DE
SPIRITIBVS
CREATIS.

TRACTATVS TRES
Expositiui & Morales.

EX MENTE PROBATISSIMORVM
Authorum tùm veterum cùm recentiorum.

AVTHORE F. CLAVDIO LE PETIT,
Parisiensi Doctore, & quondam Professore Theologo, totius Ordinis S. Francisci Diffinitore Generali.


Tractatus III. qui est de Anima.



PARISIIS,
Apud FRANCISCVM PIOT, propè fontem Sancti Benedicti:
Et in officina eius apud Patres Franciscanos
majoris Conuentus.

M. DC. XLI.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.



INDEX CAPITVM ET SECTIONVM
Tractatus tertij, qui est de Anima rationali.

CAPVT PRIMVM. pag.1

Sectio 1. De varia nominis Animæ acceptione. pag.1
Sect. 2. De origine Animæ rationalis. 3
Sect. 3. Anima est verè forma spiritualis corpus humanum informans. 9
Sect. 4. Quare Deus animam immortalem corpori mortali & corruptibili destinauerit, non autem præstantissimo. 10
Sect. 5. Quomodo Anima informando corpus, suam in eo habeat existentiam. 12

CAPVT II. pag.15

De imagine & similitudine Dei in Anima rationali.

Sectio 1. Quomodo fuit homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus. pag.15
Sect. 2. In quo Dei imago in homine consistat diuersæ opiniones adferuntur. 17
Sect. 3. Verior sententia in quo Dei imago in homine consistat. 19
Sect. 4. Exponitur quomodo propriè loquendo, sit Dei imago in Anima hominis. 22
Sect. 5. Anima ob Dei imaginem quam refert, est insigni pulchritudine prædita. 25
Sect. 6. Dei similitudo in Anima pertinet ad gratiam, & virtutes quas amplecti debemus. 27
Sect. 7. Quomodo debeat aut possit Dei imago, & similitudo per peccatum amissa, ad suæ dignitatis pristinæ formam reuocari. 31
Sect. 8. Ob imaginem Dei in Anima depictam debet homo ipsi Deo se tradere. 35
Sect. 9. Quid sit Anima humana. 36
Sect. 10. Descriptio Animæ à Cæsare Ripa, & nonnullis aliis. 39

CAPVT III. *pag. 40*

De immortalitate Animæ rationalis.

Sectio 1. *Nonnullorum Animæ immortalitatem negantium cæcitas confutatur.* pag. 41
Sect. 2. *Ethnicorum sententiis probatur Animæ immortalitas.* 42
Sect. 3. *Animæ immortalitas, ex sacra pagina probatur.* 46
Sect. 4. *Probatur Animæ immortalitas, authoritatibus Sanctorum Patrum, & Conciliorum quorumdam.* 49
Sect. 5. *Eadem Animæ immortalitas rationibus probatur, & ad quam demonstrationem reuocari possint.* 52

CAPVT IV. *pag. 64*

De potentiis seu facultatibus Animæ rationalis.

Sectio 1. *Qvid sit intellectus, quomodo & per quid intelligat.* pag. 65
Sect. 2. *De voluntate seu volendi facultate, & eius obiecto, atque actibus seu actionibus.* 68
Sect. 3. *De libero arbitrio.* 70
Sect. 4. *An homo sit verè præditus libero arbitrio.* 73
Sect. 5. *Liberum item arbitrium ex sanctis Patribus probatur & Conciliis.* 76
Sect. 6. *Idem liberum arbitrium rationibus ex absurdis quibusdam petitis probatur.* 80
Sect. 7. *Possitne cogi voluntas in suis actionibus.* 89
Sect. 8. *Quomodo voluntas moueat intellectum, & cæteras Animæ potentias.* 84
Sect. 9. *Sit-ne voluntas intellectu præstantior, an contra.* 87
Sect. 10. *De memoria intellectiua.* 89
Sect. 11. *Potentiæ Animæ distinguuntur formaliter ab Anima, & à se inuicem, non verò realiter.* 93

CAPVT V. *pag. 98*

De supernaturali Animæ pulchritudine.

Sectio 1. *Est Anima per gratiam ingenti pulchritudine exornata.* pag. 98
Sect. 2. *Animæ humanæ pulchritudo maximè supernaturalis ex*

Canticis Canticorum demonſtratur. 101
Sect. 3. *Palma decor eſt pulchritudinis ſupernaturalis Animæ repræſentatio.* 104
Sect. 4. *Animæ decorem oliua refert.* 105
Sect. 5. *Ex roſæ pulchritudine & fragranti odore nobis ſpiritualis Animæ decor & odor apparet.* 108
Sect. 6. *Lilium eſt ſupernaturalis pulchritudinis Animæ figura.* 109
Sect. 7. *Malo punico ſeu granato comparatur Anima, quod multùm ad eius pulchritudinem confert.* 114
Sect. 8. *Anima eſt Dei templum, quod per gratiam Deus inhabitare dignatur.* 117
Sect. 9. *Sunt euertenda è templo Animæ peccatorum idola.* 119

CAPVT VI. pag.122

De morte Animæ per peccatum, ex qua prouenit in eadem deformitas, corruptio, & fœtor.

Sectio 1. *De morte Animæ per peccatum.* pag.122
Sect. 2. *De Animæ deformitate ob peccatum.* 125
Sect. 3. *De Animæ peccatricis corruptione & fœditate.* 129
Sect. 4. *Reſipiſcere debent in peccatis mortui ac defœdati, ſi liberari & reſurgere ſpiritaliter velint.* 132

CAPVT VII. pag.137

Quanti Animam noſtram æſtimare debeamus.

Sectio 1. *Quia vnicam ſolùm habemus Animam, proindè eſt eius ſalus magis æſtimanda quàm corpus, diuitiæ, honores, &c.* pag.137
Sect. 2. *Arguuntur illi qui propriâ neglectâ Animâ, corporis ſolùm curam gerunt.* 139
Sect. 3. *Quid ad imitationem Chriſti in noſtræ Animæ ſalute quærenda & corpori ac rebus aliis præferendâ, agere debeamus.* 142

CAPVT VIII. pag.146

Anima noſtra eſt vinea, quam plantare & colere debemus.

Sectio 1. *Ob proprietates vineæ quas habet Anima, hoc nomine donatur.* pag.146
Sect. 2. *Anima noſtra quaſi vinea eſt cuſtodienda, & quomodo.* 149

Sect. 3. *Quomodo Animæ vinea sit colenda, & in ea superflua rescindenda, vt flores & fructus producat.* 151
Sect. 4. *Quinam sint potissimi fructus quos Animæ vinea producere debet.* 154
Sect. 5. *De mercede in vinea Animæ laborantibus reddita.* 158
Sect. 6. *Denarius diurnus pro mercede in vinea Animæ laborantibus redditur, & quisnam ille sit.* 161

CAPVT IX. pag.164

Agri nomine nostra donatur Anima, & proindè quasi ager excolenda.

Sectio I. *Cvm proximè dixerimus Animam nostram esse vineam, quorsum etiam ager dicitur.* pag.164
Sect. 2. *Quis agri Animæ sator, & quodnam semen in ipso agro seminauit, & continuò seminat.* 166
Sect. 3. *Supremus sator quatuor in locis totidem sui seminis portiones seminauit, & primò secus viam, & quid hoc denotet.* 171
Sect. 4. *De secunda seminis portione quæ supra petram cecidit, & quid denotet.* 175
Sect. 5. *Cordis durities impedit, ne semen in agro Animæ seminatum radices figat & fructificet.* 178
Sect. 6. *Quid agendum vt cordis durities è medio tollatur.* 182
Sect. 7. *De tertia seminis supremi satoris portione, quæ super spinas cecidit, & proindè nullos fructus protulit.* 184
Sect. 8. *Quot modis terrestrium rerum solicitudo Animæ nocet.* 188
Sect. 9. *Solicitudines aulicorum quàm noxiæ; & quàm fœlices Religiosi ab his liberi.* 192
Sect. 10. *Diuitias etiam vocat Christus spinas bonum semen in Animæ seminatum suffocantes.* 193
Sect. 11. *Quanta mala spinæ diuitiarum non in præsenti sæculo solùm, verùm, & in iudicio & altero sæculo causent.* 197
Sect. 12. *De voluptatum spinis quæ diuinum semen in Anima à summo satore iniectum, suffocant.* 201
Sect. 13. *Voluptates nunquam hominis animum satiant, & homines effœminatos reddunt.* 204
Sect. 14. *Voluptates citò pereunt, & tamen corpori valdè sunt noxiæ, & multas Animæ infligunt amaritudines.* 206
Sect. 15. *Voluptates enecant, & Animæ mortem inferunt.* 210

Sect. 16. *Cum tot mala à voluptatibus oriantur, veniunt à nobis sedulò vitandæ & fugiendæ.* 213
Sect. 17. *De quarta seminis parte quæ in terram bonam cecidit; & quid per bonum cor & optimum intelligatur.* 216
Sect. 18. *Ager Animæ non est ita ineptus, ut si velit, Deo auxiliante, fructum ferre non possit, ut de multis constat.* 219
Sect. 19. *De fructu quem bonum semen in terram bonam iactum refert, & quidnam per quadruplicem terræ portionem in quam pars aliqua seminis cecidit, significari velint nonnulli.* 221

CAPVT X. pag.224

De virtute patientiæ de qua apud sanctum Lucam habet Christus, vbi de semine differit.

Sectio I. *Patientiæ descriptio, & quomodo omnes complectitur virtutes.* pag.225
Sect. 2. *Confirmantur prædicta, authoritate Sacræ Scripturæ, & quorumdam Sanctorum Patrum.* 228
Sect. 3. *Verè illi animo fortes dicuntur qui in aduersis constantia & patientia sunt præditi, vt Dauid & Iob.* 231
Sect. 4. *De miranda Christi patientia.* 234
Sect. 5. *Voluit Christus vt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & alij, patientia in aduersis munirentur.* 237
Sect. 6. *Patientiæ Clypeo ad Christi imitationem potissimùm muniri debemus, si gloriæ coronam assequi exoptemus.* 241

CAPVT XI. pag.243

De Anima separata.

Sectio I. *Qvam mutationem subeat Anima rationalis à corpore separata.* pag.244
Sect. 2. *Cognoscatne se Anima separata aliasque substantias separatas, & quomodo.* 248
Sect. 3. *Possit-ne Anima à corpore separata facultate aliqua motrice ei indita, loco moueri.* 250

CAPVT XII. pag.253

De locis in quibus Animæ separatæ detinentur.

Sectio I. *Qvinque sunt animarum separatarum receptacula.* 253
Sect. 2. *Vtrumq quandoque defunctorum Animæ viuis apparere*

potuerint, & de facto apparuerint. 257

Sect. 3. *Aliæ quædam apparitiones, tum Christi tum aliorum in Nouo Testamento factæ, in Euangelio, & à probatissimis authoribus referuntur.* 260

Sect. 4. *Vtrum ipsæ Animæ secundùm veram earum substantiam ac realem præsentiam apparuerint: an solùm Angeli earum vice ac nomine, Deo ita disponente, præsertim si sanctæ sint.* 264

CAPVT XIII. *pag.* 268

De Fœlicitate.

Sectio I. *Omnes fœlicitatem appetunt, & quotuplex sit.* *pag.* 268

Sect. 2. *In quo consistat beatitudo obiectiua.* 269

Sect. 3. *De fœlicitate formali, & in quo consistat.* 272

Sect. 4. *An beatitudo consistat per se in actu intellectus vel voluntatis.* 273

Sect. 5. *Quomodo fœlicitas ex vtriusque facultatis, intellectus videlicet & voluntatis actibus coalescat, & quid proindè sit.* 279

Sect. 6. *Tanta est fœlicitatis æternæ magnitudo & excellentia, vt percipi à viatoribus non valeat.* 284

Sect. 7. *Æternæ fœlicitatis magnitudo & excellentia in eo maximè consistit, quòd omnimodè appetitum Beati satiet.* 289

Sect. 8. *De ingressu fœlicis Animæ in cœlum.* 292

Sect. 9. *De beatæ Animæ atque omnium sanctorum in cœlis corona.* 295

Sect. 10. *Coronantur beati à Christo qui eos in throno suo sedere facit.* 300

Sect. 11. *De inæqualitate beatitudinis.* 303

Sect. 12. *Quomodo ad fœlicitatem aspirare debeamus, quorumdam exemplo, & potissimùm Nabuchodonosoris, Dauidis, &c.* 309

Sect. 13. *Quibus viis Christus ad patrem suum æternum peruenit, iisdem, vt ad illum quoque perueniamus, incedere debemus.* 311

Sect. 14. *De duabus postremis viis quibus Christus ad patrem suum æternum peruenit, in quo illum imitari debemus.* 313

FINIS.



TRACTATVS III.

QVI EST

DE ANIMA RATIONALI.

CAPVT I.

SECTIO I.

De varia nominis Animæ acceptione.



VONIAM omne confusum & æquiuocum debet priùs diuidi quàm definiri; ideò cùm Animæ nomen huius sit conditionis, priusquàm de eo secundùm eius veram quam intendimus significationem, hoc in tractatu sermonem instituamus, de eius varia acceptione est dicendum.

Animæ igitur nomen quandoque sumitur in scriptura pro toto homine materiâ & formâ physicâ constante, vt apud Genesim dicitur de Abraham: *Tulit animas quas fecerant in Aram*, id est homines quos genuerant. Et iterùm: Rex Sodomorum dixit Abrahæ redeunti de prælio: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, id est redde mihi homines ciues meos. Et apud S. Paulum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. His in locis anima pro toto homine viuente animato sumitur, quia vitam dat anima ipsa: & ideò per synecdochen pars pro toto sumitur.

Animæ nomen variè sumitur. Gen. 12. Gen. 14. Rom. 13.

Non ratò etiam animæ nomine in diuinis Litteris, corpus quod

Psal. 24. animâ regitur, significatur; Et id notat Euthymius ad illud Psalmistæ: *Custodi animam meam*, ait enim: *Per animam corpus simul intellige, ea enim est quæ corpus moderatur; vt quod corpus præstat, animæ tanquàm rectori tribuatur.* Itâ apud Genesim sumitur quoque pro
Gen. 37. carne & corpore per synecdochen: *Non interficiamus animam eius;*
Iob. 6. Et apud Iobum: *Animæ esurienti, etiam amara dulcia sunt.*

Quandoque etiam idem animæ nomen pro ipsius hominis vita
Exod. 4. vsurpatur, vt in Exodo patet: *Mortui sunt qui quærebant animam*
Matth. 2. *tuam*, Et apud Matthæum: *Mortui sunt qui quærebant animam pue-*
Act. 20. *ri.* Et in Actis Apostolorum aiebat S. Paulus: *Nec facio animam meam*, id est vitam meam, *pretiosiorem quàm me:* quibus verbis constat ipsum animam suam hoc est vitam contempsisse, dummodò ministerij sui cursum adimpleret, & in nullo prædicationi Euangelij
1. Ioan. 3. deesset. Itâ S. Ioannes in Epistola sua canonica ait: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Animæ item nomen metaphoricè Deo tribuitur, vt voluntas eius
Isaie 1. significetur, vt apud Isaïam: *Solemnitates vestras odiuit anima mea,*
In 1. Isaie. vbi S. Hieronymus, *Non quod*, inquit, *Deus animam habeat, sed no-*
Iob. 23. *stro loquitur affectu.* Sic apud Iobum: *Anima eius*, subaudi Dei,
Greg. lib. 16. Moral. *quodcumque voluit, hoc fecit.* Vbi Greg. in libris Moral. *Cùm sit*, inquit, *cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis eius quâ omnia penetrat cunctaque disponit, anima illius appellatur, cuius videlicet voluntati neque illa obsistunt quæ contrà illius voluntatem fieri videntur, quia illa etiam ipse permittit.* In eo sensu Pater æternus de Filio suo
Isaie 42. dicit apud Isaïam, *complacuit sibi in illo anima mea:* Et per Iere-
Ierem. 6. miam ait: *Erudire Hierusalem, ne fortè recedat à te anima mea.* Id est
Amos 6. voluntas mea. Item Amos ait: *Iurauit Dominus in anima sua.* Vbi Hieronymus, *In Deo*, inquit, *Caput, Pedes, & cætera quæ dicuntur; intellige non esse membra, sed per eorum vocabula efficaciam eorum significari: sic etiam animam non esse substantialem, sed affectum mentis internæ, per quem Deus suam indicat voluntatem.*

Et tandem Dei anima in mystico sensu, non historico, quando-
Hom. 16. in Leuit. 26. que Christum significat, vt notat Origenes super illud Leuitici quod Dominus ait: *Non abominabitur vos anima mea*, id est Christus Filius meus qui eiusdem est mecum Essentiæ: & profectò non est nos abo-
Ioan. 3. minatus Deus Pater, nec eius Filius, cùm dicat apud S. Ioannem: *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret.*

Maximè autem propriè illud nomen *Anima* sumitur pro altera parte hominis, videlicet pro forma illa informante corpus humanum, & vocatur anima rationalis, & est anima illa de qua in hoc tractatu

dissetimus, alijs animabus omissis vegetatiuâ videlicet & sensitiuâ, quas vt vires & facultates, ipsa rationalis anima eminenter continet.

SECTIO II.

De origine Animæ Rationalis.

CVM nulli dubium sit animam rationalem existere, quia hominem per illam constitui videmus; non solùm Ethnici quidam Philosophi, verumetiam & nonnulli Theologi ancipites & dubij fuerunt, quo pacto originem ducat & procreetur.

Platonici arbitrati sunt creationem animarum longè præcessisse earum infusionem in corpora, & non fuisse in illa tanquam in carceres detrusas, nisi in scelerum quorumdam commissorum pœnam: At iure hoc figmentum reijcitur, nam si hoc esset, sequeretur vnionem animæ cum corpore esse malum pœnæ, cùm tamen constet esse bonum naturæ quod anima corpori vt vera eius forma dans illi esse & viuere, vniatur, & ex tali vnione integer homo constituatur. Deinde, quid egisset anima ante infusionem in corpus? otiosa profectò fuisset: Possunt Platonici respondere eam sibi scientias comparasse: Sed ipsamet experientia contrarium docet, cùm ex Aristotele dùm incipit informare corpus, sit tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, & lapsu temporis maximo labore ac studio sibi comparet scientias. *Quo pacto Anima originem ducat, opiniones diuersæ.*

Origenes Adamantius, & nonnulli eius sequaces, prout referunt auctores non pauci, tenent omnes animas ante corpora fuisse in mundi primordio cum Angelis in Cœlo Empyreo productas, & ob quędam etiam commissa scelera, fuisse posteà in corpora detrusas, vt pœnas luerent, & in corporibus tanquam in ergastulis inclusæ torquerentur: quæ sententia cum Pythagoricis & Platonicis participat, & ab his videtur Origenes illam hausisse, ipse siquidem fuit cum Plotino condiscipulus Ammonij Alexandrini, & in multis cum eo consentit & cum reliquis Platonicis. Refellitur autem hæc opinio Primò, quia cùm id quod est secundùm naturam & per se, sit prius eo quod est pręter naturam & per accidens: sit autem valdè secundùm naturam & per se, vt anima rationalis humano corpori vniatur, & sit pręter naturam & per accidens quòd constituatur extra corpus, non debet ipsa anima extra illud constitui priusquam ipsi vnita fuerit. *S. Epiphanius, S. Hieron. S. Leo, &c.*

Secundò, si animæ sunt ab initio mundi cum Angelis in Cœlo Empyreo simul creatæ, & ibi maneant quousque determinatis ac successiuis temporibus in corpora infundantur, aut sunt miseræ, aut felices, non miseræ, quia ibi nullæ sunt miseriæ, aut pœnæ, cùm ibi Deus suam manifestet maiestatem, in cuius visione & fruitione omnimoda consistit fœlicitas; igitur sunt fœlices: at si in fœlicitatis sint termino ad quid corporis ingressum anhelant, vt per aliquod tempus hoc in sæculo moram trahentes, penè infinitis calamitatibus & miserijs premantur? & deinde si fœlicem ibi vitam agunt, & non possunt neque mereri neque demereri, ad quid corpora ingredi vbi à sensibus delusæ, possunt gratiam & gloriam quâ potiuntur amittere? falsa igitur est hæc Origenis & sequaciũ opinio.

Tertiò, si in Cœlo Empyreo præexistant antequam in corpora detrudãtur, non est verisimile quòd tanto tẽpore sine actu meritorio maneant, & ita si merentur, sunt mox beatæ vt Angeli, si demerentur, fiunt miseræ vt Dęmones; sed hoc dicere est erroneum: igitur erronea Origenis opinio, si tamen eius est, & non calumniatorum malitia ei tribuatur. Possumus hic deniq; rationẽ Scoti in medium adferre. Cuncta Dei opera (inquit) sunt & debent esse perfecta: sed si anima diu & ante sui vnionem cum corpore præextitisset, & longè postea in corpus detrusa fuisset, imperfectionis cuiusdam Dei opera arguere possemus: ergo par erat vt simul in ipsius corporis formatione & debita eius organizatione, eam crearet, & in illud infunderet; cum eadem teste Philosopho: *Sit actus corporis organici*: hoc est perfectè completi & organizati.

Arist. de anima.

S. Aug. de hæres. cap. 86.

Alij vt Tertull. ex S. August. de hæresibus, Apollinarius & multi Orientales, dixerunt animam rationalem per virtutem seminalem quam traducem appellabant, originem ducere. At hæc opinio non minus quàm reliquorum falsa est, quia virtus materialis & corporea non potest attingere productionem rei spiritualis; atqui virtus seminalis est materialis & corporea, anima autem rationalis est spiritalis & incorporea vt suprà probatum est; igitur, &c. Confirmatur quia post eius separationem est independens à corpore; ergò recipit esse per actionem independentem à corpore.

S. August.

Deinde si anima esset ex traduce, aut esset ex carne, aut ex anima; non ex carne quia tunc esset corporea, *Non enim ex corpore potest fieri non corpus*, ait S. Augustinus; at anima est non corpus, seu spiritus; non ex anima quia vel esset ex tota, vel ex parte, si ex tota, iam pater totam animam suam transfunderet in filium, cùm anima sit indiuisibilis, & sic vel ipse careret animâ, & moreretur, vel eadem numerô anima esset in duobus; si ex parte, iam esset quoque

ipsa anima diuisibilis, quod est falsum.

Confirmatur primò, ex eo quod ait Aristoteles vnumquodque ens agere conformiter ad suæ naturæ principium, & non posse vires & sphęram suæ actiuitatis prætergredi; vt verbi gratiâ, nequit arbor leonem producere, nec leo arborem, & sic de similibus: at si anima esset ex traduce & è gremio materiæ tanquam è suo principio educeretur, non posset operari nisi conformiter ad suum principium, quod cùm materiale sit, ex consequenti eius actiones essent materiales; at verò contrarium experimur, nobisque satis innotescit ipsam quoque actiones edere immateriales & spirituales; Ergò, &c. *S. Thom 1. p. q. 118. art. 2.*

Hoc insuper satis manifestè declarat Moyses qui pœnam sanciuit in eum qui mulierem prægnantem sic vt abortiuum pateretur, percussisset, distinxit enim inter figuratum & non figuratum fœtum, & si quidem figuratus fuisset, percussorem tanquam homicidam puniri iubebat, si autem infans nondum esset animâ rationali donatus, pecuniæ mulctam statuebat; vbi indicat fœtum esse in vtero matris absque anima; quare pater eam non generat, cùm nihil deinceps agat in infante: & consonat illud Aristotelis de Generatione animalium, mentem extrinsecùs aduenire, diuinamque & separabilem esse. *Exod. 21.* *Lib. 2. de gen. animal.*

His ergò falsis opinionibus reiectis & confutatis: verissima sententia est animam rationalem à Deo proximè & immediatè ex nihilo creari, & in corpus humanum aptè dispositum & organis suis debitè instructum ad illud informandum infundi, ita vt simul creando infundatur & infundendo creetur, hoc est simul tempore; priùs enim naturâ fit eius creatio, quàm infusio, sicut in se priùs res consideratur, quàm in comparatione ad aliud, & hoc ordine naturæ. *Vera sententia Originis animæ.*

Probatur hæc assertio, primò ex scriptura, habetur enim apud Genesim: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, hoc est animam rationalem creauit & in illum infudit & infundendo creauit, nomine enim spiraculi seu flatus intelligunt Sancti Patres ipsam animam intrinsecùs à Deo creatam. Porrò quòd nos habemus, *faciem*, apud Hebræos est ęquiuocum, ita vt nares, vel faciem, significet: qui primo modo accipiunt, dicunt in nares inspirasse spiraculum vitæ, quia ibi respiratio magis apparet; qui autem secundam malunt explicationem, quæ litteræ editionis vulgatæ conformior est, dicunt in faciem ipsius primi hominis flatum seu animam inspirasse, quia sensus magis apparent in facie, vt visus, odoratus, gustus, &c. Nota porrò hæc verba: *Inspirauit in faciem eius, &c.* de homine formato dicta esse, non autem de prima rerum animatarum procreatione, tunc enim solùm *Gen. 2.*

dixit: *Germinet terra herbam virentem, &c. Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile super terram, &c.* Et sic patet animas tum plantarum, tum brutorum educi de materiæ potentia, animam verò nostram creari.

Sancta etiam illa mulier octies martyr, mater filiorum septem, eandem animæ creationem à Deo credidit, cùm in 2. libro Machabæorum illos hortaretur ad fidei paternæ constantiam: *Nescio* (inquit) *qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum & animam donaui vobis, sed mundi Creator qui formauit hominis natiuitatem.*

2. Machab. 7.

Probatur secundò ex Sancto Hieronymo in Ecclesiasticum *Spiritus reuertatur ad Dominum qui fecit illum*, hæc habet: *Satis ridendi sunt qui putant animas cum corporibus fieri, & non à Deo, sed à corporum parentibus generari:* cùm enim caro reuertatur in terram, & spiritus ad Deum qui dedit illum, manifestum est Deum esse patrem animarum, non homines. Idem quoque docet Sanctus Augustinus: *Animas hominum,* inquit, *dicimus non esse ab æterno inter cæteras intellectuales naturas, vt Academici quidam finxere, nec simul à constitutione mundi creatas, vt Origenes, sed simul creando infunduntur, & infundendo creantur.* Sufficeret tantorum virorum auctoritas ad suprà allatas futiles opiniones euertendas, & nostram confirmandam assertionem: at ei adiungimus S. Leonem qui disertè asserit animas sua non præcedere corpora, sed simul infundi & perfici. Ita S. Gregor. Nazian. [a] & S. Gregor. [b] Nyssenus.

Ecclesiast. 11.
De Eccles. dogm. c. 17.
S. Leo. Epist. 91 Tom 2. Concil.
a Orat. 30.
b Lib. de creatione hominis cap. 29.

Probatur tertiò rationibus, prima est S. Bonauenturæ. Cùm solummodò sit Dei proprium creare, & anima non sit per propagationem (vt suprà probatum est) sequitur quòd sit à Deo per creationem, & non ab alia causa; solus enim Deus est qui habet vitam in semetipso indeficientem, & per consequens ipse solus potest alteri (vt animæ) date perpetuam & incorruptibilem per creationem; cùm verò creatura etiam Angelica sic in se haud vitam habeat, sed à Deo, nulli eam impertiri potest.

Secunda ratio est communis Scholasticorum, & petitur à dignitate animæ, cùm enim ipsa sit imago Dei, vt infrà ostendemus, & apta immediatè in ipsum ferri, ipsum diligere super omnia, illi inhærere, & in ipso beatificari, totum suum esse immediatè ab ipso debuit exhaurire: si enim ab alio suam fuisset sortita originem, non ipsum solùm teneretur diligere, sed etiam alium à quo suum nacta fuisset principium: neque ex toto corde, cùm pars amoris in proprium authorem fuisset referenda.

Loco citato.

Tertia ratio est suprà nominati S. Bonauenturæ, & præceden-

tem confirmat, & maximè in eo quod anima est ęternæ beatitudinis capax. Proprium Dei est (inquit) beatificare animam, est enim finis ad quem fuit condita, vt docet S. Augustinus, & ab ipso solo hunc consequi potest finem: ergo valdè congruum est, vt dicamus etiam ab eo solo habere principium: at nequit illud habere, vt iam satis probatum fuit, nisi per creationē; igitur est à Deo immediatè creata, & in corpus infusa, nec vlla creatura cum eo cooperata est. S. Aug. in Psal. 1.

Aduertunt autem quidam Physici, corpora marium seu filiorum esse suis organis debitè instructa die quadragesimo à conceptione sua, filiarum verò die octogesimo, sicque illis diebus aut saltem circà dies illos, animas à Deo creari & in illa corpora infundi. Vnde in Lege veteri dies illi ordinabantur & expectabantur ad purgationem secundùm illam legem; Christum autem dominum ab illa lege aliorum infantum velim demas, cuius corpus in instanti fuit à spiritu sancto efformatum in vtero Beatissimæ Virginis ex eius purissimis sanguinibus, tum infusa anima omnibus donis & charismatibus exornata, & tandem sanctissima ipsius Christi humanitas verbo diuino hypostaticè & personaliter vnita, & tam ineffabili nexu copulata, vt vnio omnium maxima à Theologis vocitetur. Animæ filiorum citius infunduntur quàm filiarū, & quomodo.

Cùm igitur ex prædictis satis liquidò constet animam nostram esse à Deo per creationem, & quasi ex pectore diuino intimisque præcordiis afflatam, vt in Genesi habetur, & genere essendi immortali, & vi potentiarum atque operationum spiritualium intimè & reconditè diuinam naturam participet: *Ideo tantum tamque liberalem & benignum factorem*, vt monet Sanctus Augustinus, *agnoscere, amare, & colere debemus, vt beatam immortalitatem pro laborum nostrorum mercede adipisci valeamus, eiusque laudes in perpetuum decantemus*. Suffragatur Sanctus Ambrosius de Bono mortis, citans eundem locum Genesis, & iure hominem exhortatur, vt cum illo puro ac perpetuo & immortali bono maneat, ipsi adhęreat & cum ipso sit; de quo cognationem ducit, illudque iam olim à Sancto Paulo inculcatum repetit: *Cuius & genus sumus*: Et Sanctus Bernardus, *Spiritus*, inquit, *sanè non communem sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentiâ inspiratur, Agnosce ô homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ*. Nunc sunt proponenda & resoluenda Origenis argumenta supradictæ nostræ assertioni aduersantia. Gen. 2. S. Aug. in Psal. 1. Loco Cit. gen. 2 Act. 17. Serm. de Natiuit. Domini. Origenis argumenta soluuntur.

Primum est. Quod non dependet à corpore secundùm suum esse, potest à Deo creari absque illo; sed anima non dependet à corpore ex Philosopho; igitur sine illo potest creari, & sic creata est in mundi exordio cum cæteris substantijs spiritualibus scilicet Angelis, 2. De Anima.

Respondemus, reuerà animam non habere dependentiam à corpore quantum ad suum esse substantiale, & quoad finem ad quem creata est à Deo, habet tamen ab illo dependentiam quantum ad suum esse indiuiduale, quod quidē esse initium sumit ab ipso corpore, ad quod tanquam forma informans habet ordinem & habitudinem; & quoniam tale esse est absolutum licet acquisitum; hinc est quod post corporis dissolutionem remanet tale esse, & sic ipsa anima postquàm ab eo separatur superstes remanet, & ab eo seorsùm viuit.

Secundum Origenis argumentum desumitur ex Sacra Scriptura: *Gen. 1.* *Deus septimâ die requieuit ab omni opere quod patrarat:* Igitur postea nihil creauit, & per consequens nec animas. Respondemus quod vtique die septimo ab omni opere requieuit quoad super cælestem atque elementarem regionem, & quoad opificium quod iam effectum perfecerat, necnon etiam quoad species perfectas quibus vniuersus exornatur orbis, non autem ab effectione requieuit indiuiduorum generis humani quæ in dies nascuntur, quæque ex anima & corpore constant; vel dicendum cessasse ab his operibus quæ immediatè ipse perfecerat valdè bona & in specie propria, non autem ab ijs quæ mediantibus causis secundis in dies producuntur; & tandem requieuit ab vniuersalibus non verò à singularibus quę vsque *Ioan. 5.* modò operatur; iuxtà illud Christi Domini, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, &c.*

Tertium eius argumentum ab eadem depromitur scriptura: *Qui* *Ecclesiast. 18.* *viuit in æternum creauit omnia simul:* si simul omnia creauit nihil de nouo creat, & ex consequenti nec animas; Igitur omnes ab initio sunt conditæ. Respondemus verum esse quòd creauerit omnia simul, quantum ad ea quę in cœlo sunt, & quæ in speciebus his etiam perfectis, eis tamen posteà indicens successionem & generationem singularium ex propagatione. Sed meliùs dici potest cum Alberto Magno, hanc auctoritatem esse intelligendam quantum ad scientiam Dei simul apprehendentis, vel quantum ad illa coæua simul creata, scilicet naturam Angelicam, Cœlum Empyreum, tempus, materiam primam, & quatuor elementa, in quibus omnia erant si non formaliter saltem virtualiter, vt omnes docent.

SECTIO

SECTIO III.

Anima est verè forma spiritualis corpus humanum informans.

EX præcedenti sectione quâ resoluimus animam esse à Deo creatam & corpori infusam, sequitur ipsam informare, viuificare & regere corpus cui infunditur, & propterea dicitur spiritualis eius forma, non quidem assistens, vt sunt intelligentiæ quæ corpora mouent cœlestia, aut sicut nauta mouens & regens nauim, vt Platoni & Philoponi placuit, sed informans, hoc est ei intimè & substantialiter vnita, ipsum corpus actuans & perficiens, necnon cum ipso vnum per se constituens, quod substantiale compositum dici solet. Id autem tanquam de fide fuit definitum in Concilio Lateranensi & Viennensi sub Clemente 5. vt refertur in Clementina vnica de summa Trinitate, *Quicumque pertinaciter asserere præsumpserit quòd anima rationalis non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus est censendus.*

Philop. in 1. de anima cap. 1.

Clement. c. Porro.

Ratione probatur, quia anima rationalis est internum & naturale principium actionum quę homini propriæ sunt, videlicet intellectionis & volitionis, & propterea debet esse interna & essentialis atque informans. Deinde quia alioquin homo essentialiter non diceretur rationalis, nec per rationale essentialiter distingueretur, quod est absurdum. Igitur ipsa anima est forma informans, non verò assistens. Confirmatur ratio; primò quia forma informans facit per se vnum cum materia: forma verò assistens non, sed solùm vnitur per operationem quandam vt nauta naui, at id de anima hominis dici nequit ergo, &c.

Et fauet Aristoteles, postquam enim animam definiuit esse *actum corporis organici potentia vitam habentis*, subiungit maioris explicationis gratiâ: *Anima est forma quâ viuimus, sentimus, & intelligimus.* quæ quidem verba nequeunt de assistente forma intelligi, sed de informante.

Lib. 2. de anima cap. 2.

Accedit alia ratio, quia si anima rationalis non esset forma informans dansque esse homini, sequeretur hominem propriè non intelligere, vt superiori ratione dicitur, quia intellectio est actio immanens in eo a quo procedit, nempe in intellectu; vnde sequeretur hominem non magis propriè dici intelligere, quàm equum qui regi-

tur ab equite, vel nauim à nauta intelligente, aut certè cœlum ab intelligentia motrice. Confirmatur, quia sicut actio motoris non tribuitur mobili, nec actio aurigæ curuui, ita nec tribui debent actiones animæ assistentis ipsi homini.

Prætereà, si anima rationalis non esset essentialis forma, & pars hominis, sed tantùm ei assisteret, esset substantia quædam completa habens quidditatem independentem in sua integritate à corpore, & liberam & solutam ab omni ordine essentiali ad corpus, ac proinde talis esset secundùm substantiam, qualis est intelligentia cœlorum motrix; sed hoc est falsum, quia propria eius operatio quæ est intellectio, esset penitùs independens à corpore: at nos experimur eam vtplurimùm depēdere à phantasmatibus corporis, præsertim quoad apprehensionem terminorum, à qua omne iudicium enunciatiuum siue discursiuum pendet. His accedit ratio S. Thomæ: Intelligere est propria & formalis operatio hominis, ergò est à propria forma hominis, sed est ab intellectiua: ergo, &c. Antecedens habetur ex Philosopho 3. de anima textu 1. & 5. & alibi. At, objicies; si anima esset forma essentialis & intrinseca corpus informans, naturalem haberet ad ipsum corpus inclinationem: at verò impeditur per corpus à sua operatione perfectissima, qualis est contemplatio; ergo, &c. Respondemus quod etiamsi per corpus impediatur à perfectiori modo intelligendi, tamen eo mediante exercet multas operationes materiales sensitiuæ & vegetatiuæ, quod sufficit vt naturaliter appetat corpus.

S. Thom. 1. p. q. 76. art.

Aristot.

SECTIO IV.

Quare Deus animam immortalem corpori mortali & corruptibili destinauerit, non autem præstantissimo.

PVLCHERRIMÆ à Theologis adferuntur rationes, cur id Deus præstiterit.

Prima est Magistri sententiarum; Quoniam ita Deus voluit, nec est alia quærenda causa. Dici tamen posset id præstitisse, ne anima superbiæ vento tumesceret, & ob hoc facillimè in errorem incideret, & interitum sempiternum, sed ad pœnitentiam magis se humiliaret, considerādo habitaculi sui miserrimam conditionem, quemadmodum de Pauone accidit qui venustate plumarum & ob varios colores in oculatis rotis depictos, in maximam incidit elationem, & suiipsius existimationem; sed quando sordidos inspicit pedes, hu-

Animam immortalem destinauit Deus corpori mortali & cur.

Lib. 2. dist. 1.

miliatus & demissus maximos & horribiles edit clamores: ita de anima dicendum, cui vile corpus tradidit Deus atque corruptioni obnoxium, quatenùs etiam vt idem asserit Magister sententiarum, occasionem habeat homo inseruiendi Deo, & maiorem merendi in cœlis coronam.

Secunda ratio est S. Augustini, qui docet Deum voluisse talem in rebus instituere ordinem, vt in eis admiranda eius sapientia cerneretur. Itaque sicut ipsa reuerà cernitur in natura angelica quæ semper eidem assistit æterno famulatu à corpore prorsus libera in cœlo empyreo; decuit quoque eandem sapientiam elucere in mundo hoc sensibili, aliqua creatura corporea mediante, videlicet homine ipso, provt de facto ipsa maximè eluceseit non modò in ordine partium corporis illius, sed etiam in animæ functionibus. Hâc igitur ratione voluit in eodem homine spiritualem naturam corporeæ naturæ vnire. Hinc Galenus medicorum princeps, dum rei anatomicæ operam nauaret, ac mirabilem corporis humani structuram inspiceret, exclamasse fertur: *ô opus reuerà admirandum in natura inter opera primæ causæ præstantissimum & principale, hoc est humanum corpus.* Quòd si corporis præstantia, pulchritudo & dignitas tanta sit, inde colligere possumus animam esse longè præstantiorem, pulchriorem, & digniorem; quam tamen voluit diuina sapientia ipsi corpori quanquam caduco & corruptibili, vnire, vt sicut in cœlo ita in terra, creaturam haberet intelligentiâ præditam, quæ sicut Angeli ei inseruiret: sic in cunctis regni sui partibus, famulis & sibi obsequentibus non caret. *Lib. 1. de vsu partium.*

Tertia ratio est S. Thomæ dicentis animam intellectiuam creari omnibus scientiis destitutam, propterea quod *est tanquam tabula rasa* teste Philosopho: Ideò ad hoc vt posset perfici in rerum cognitione mediantibus speciebus sensibilibus, necesse fuit ipsam in corpore organico sensibus prædito & proinde corruptibili, collocari, ad hoc vt posset sensuum adminiculo intelligere quodcumque intelligibile, & perfectam eiusdem adipisci cognitionem, quam ab ipsis ortum habere fatentur etiam ipsius Aristotelis sequaces; ideò hâc ratione voluit ipse Deus, eam esse corpori corruptibili iunctam. Ob hanc rationem noluit Deus ipsam animam corpori homogeneo copulari, sed heterogeneo, vt idem S. Thomas asserit, quoniam ipsa quanquam sit simplex quoad essentiam, est tamen multiplex quoad potentias, quod esse non posset, nisi esset corpori organico vnita, quod varia organa partialia haberet ad varias & diuersas operationes edendas, sicut de facto per oculos videt, per aures audit, per nares odorat, per os loquitur, & sic de cœteris partibus organicis. *D. Thom. in sent. dist. 1.* *3 De anima.* *Loco cit.*

Quarta ratio elicitur ex S. Gregorio docente animam diuinâ sapientiâ esse corpori mortali caduco & passibili iunctam, vt possit proficere ad maiorem gloriam promerendam, per opera bona in corpore, vt per castitatem, continentiam, patientiam, abstinentiam, ac denique, per miseri ordiæ opera erga proximum, quibus mediantibus dicitur ipsa anima perpetuam coronam in cœlis mereri; & est quod docet S. Thomas in opusculis, Deum ipsam animam corpori corruptibili vnire voluisse, vt homini ostenderet quomodo in terris exercere deberet præfatas & alias quascunque virtutes, & potissimùm ergà proximum, quemadmodum ipse exercet; vnde de misericordia exclamat dicens: *Estote misericordes sicut pater vester cœlestis misericors est.* De iustitia verò per Salomonem dicit: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* Sed hoc pro voto minimè succedere posset, nisi fieret corporis & animæ copulatio. Igitur his de causis Deus animam corpori destinauit, non quidem nobilissimo & excellentissimo, sed vili, caduco & corruptibili. Non desunt multæ aliæ rationes, sed istæ hic sufficiant.

Opusculo 10. & vltimo.

Luc. 6.

Sap. 1.

SECTIO V.

Quomodo anima informando corpus suam in eo habeat existentiam.

IN definitione animæ dicemus [a] illam esse indiuisibilem, & ideò docent omnes illam esse totam & integram in toto corpore quod informat, & totam in qualibet ipsius corporis parte, & cùm non sit quantitate prædita, non existit maior in maiori corpore, nec minor in minori, sed in vtroque æqualis, quemadmodum enim mons adeò magnus est in paruo oculo Petri, vt paruus in magno Pauli; ita anima in maximo vel minimo corpore; & quando corpus crescit, anima non crescit, sed incipit esse vbi anteà non erat, & si membrum abscinditur vel arescit, anima non minuitur, neque secatur, sed desinit in eo membro esse vbi antea erat, absque omni læsione vel mutilatione sua. Hæc doctrina quæ verissima est, similitudinibus quibusdam à celeberrimis Theologis illustratur.

a *Sect. IX. huius Capi.*

Quomodo existat anima in corpore quod informat, similitudinibus quibusdam ostenditur.

Prima est de existentia Dei vbique; sicut enim Deus ipse est totus in toto mundo vnicus, & vbique in qualibet re & mundi parte totus, cùm sit indiuisibilis; sic anima in corpore tota & in qualibet eius parte tota. In omnibus tamen quæ Deum spectant, non valet com-

paratio; nam non est anima nisi in corpore quod informat, eoque satis angusto & breui, Deus autem per suam immensitatem in tota est rerum vniuersitate, quamuis ipsa maxima sit, & si alij mundi, alij cæli, alia elementa &c. sine fine crearentur, illa omnia repleret, vt colligimus in Paralip. *Cœlum & cœli cœlorum non te capiunt.* Præterea vt anima in corpore sit, & corpus regat ac moueat, necesse est vt sit forma corporis, non quidem assistens, sed informans, & ita cum eo coniungatur, vt ex anima & corpore vnus homo & persona subsistens fiat; Deus autem forma vel anima mundi nequaquam dici potest, neque ex ipso & mundo vna substantia aut quid subsistens componitur, sed ex sua immensitate hoc habet, vt totus ex indiuisibili vnitate vbique sit, & ex sua omnipotentia omnia portet, moueat & moderetur. Et hæc confirmantur ex eo quod habet Diadochus: *Sicut Deus, inquit, nequaquam minore sui parte minorem mundi partem replet, maiore maiorem, sed totus in toto est; ita & anima non pro parte sui est in parte corporis, nec alia pars animæ sensificat oculum, & alia viuificat digitum, sed sicut in oculo tota viuit, ita per oculum tota videt, & in digito tota sentit, &c.* Et sic manifestè patet ipsam animam esse in corpore humano longè aliter quàm animæ brutorum in corporibus eorum, animæ siquidem ipsorum materiales sunt, & extensæ ad corporis extensionem vt pars sit in parte, & tota in toto, anima verò rationalis non sic. Denique anima quamuis in toto corpore sit vt dictum est, propriè tamen non est nisi in partibus viuentibus siue animatis, & proindè non est in humoribus, in capillis, in vnguibus, in membris aridis vel emortuis; at verò Deus est absolutè in rebus omnibus, & non solùm in corporalibus, sed etiam in spiritualibus, neque fieri potest vt aliquid sit, in quo Deus non sit. Itaque liquidò constat animam in toto corpore & in singulis eius partibus existere, sicut Deus est vbique, quamuis tamen non omnimodè conueniat illa comparatio.

2. Paral. 6.

S. Athan. in Symbolo.

De Resurrectione cap. 5.

Secunda comparatio est de Spiritu Sancto in Apostolis in die Pentecostes, quem vnusquisque Apostolorum totum recepit & totus omnibus simul communicatus est.

Tertia est de existentia Corporis Christi in sanctissimo altaris Sacramento, est enim totum illud sacrum corpus, modo indiuisibili, supernaturali, & miraculoso in tota hostia, & totum in qualibet etiam exigua eius parte.

Quarta comparatio est de Angelo qui totus est in loco vbi operatur, & totus in qualibet eius parte, cùm simplex sit & indiuisibilis, non informat tamen locum in quo est, sicut anima informat corpus.

Solent his nonnulli, in medium quoque similitudines adferre de radio solari in aëre, & de imagine in speculo integro & fracto.

Porrò, quamuis constans sit ista veritas, quòd anima rationalis existit in corpore humano tota secundùm suam essentiam, & tota in qualibet eius parte, nihilominùs tamen non eodem modo in omnibus operatur, sed per diuersa organa diuersas elicit actiones, verbi gratiâ, visionem elicit per oculum, auditum per aurem, suos exprimit conceptus ore & instrumentis naturalibus ad id aptis, & sic de reliquis; ita vt cunctis partibus corporis ad illa obeunda munia non vtatur, sed quibusdam organicis. Ita referunt nonnulli Platonem cum tota eius schola, docuisse illam proprium locum habere in capite; sicut Aristoteles voluit præcipuam eius sedem esse in corde, quia hæc pars in medio corporis situm habens, fons est vitalis caloris, & per consequens etiam omnis vitalis motus atque etiam localis. Ita denique Galenus cum sua Medicorum schola illam vult potissimum residere in sanguine, in quo etiam vitalis calor & spiritus, præcipuè vigent.

Qua in corporis parte resideat præcipuè anima.

Quod ad animæ facultates, intellectum videlicet & voluntatem attinet; omnes ferè sapientes docent illas nulla habere determinata organa ad suas actiones producendas, sicut visiua facultas habet oculum vt colores percipiat, auditiua aurem vt voces & sonos, & sic de reliquis; quamuis tamen pro hoc statu viæ ad corporea obiecta percipienda, sensibus corporeis in multis indigeant; nam intellectus nihil cognoscit quod priùs in sensu non præextiterit, vt passim docet Aristoteles; & iterùm; oportet intelligentem phantasma speculari: & ita proportione seruatâ dicendum de voluntate, quæ actiones amoris, odij, &c. elicit, iuxta ea quæ ab obiectis externis vel à speciebus ab eisdem eductis, aut etiam per intellectum repræsentantur.

Animæ facultates non habent determinata organa.

Arist.

Hæc omnia aptè confirmantur exemplo à Magistro sententiarum adducto de ipso Deo. Sicut Deus (inquit) dicitur per essentiam, potentiam, & præsentiam esse totus in maximo mundo, & vbique totus, sed tamen secundùm gloriam in cœlo est principalius; secundùm iustitiam in inferno, & secundùm misericordiam in hoc mundo: sic anima rationalis secundùm suam essentiam est in toto suo corpore tota, & in singulis eius partibus, vt in suo paruo mundo, per varias tamen eius operationes, & secundùm diuersas facultates, dicitur esse potiùs in quibusdam partibus quàm in aliis.

CAPVT II.

De imagine & similitudine Dei in Anima rationali.

SECTIO I.

Quomodo fuit homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus.

CERTISSIMVM est ex doctrina S. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum, hominem à Deo conditum esse vt eius beatitudinis & gloriæ particeps fieret, qui finis adeò sublimis est, vt nullus eo dignior atque excellentior cogitari possit. Quia verò Dei perfecta sunt opera; sicut hominem ad hunc finem adeò sublimem creauit; ita ijs donis ac virtutibus instruxit, quibus ad eum prouehi mereretur; qua de causa illum ad imaginem & similitudinem suam condidisse dicitur, vt similis esset in vita, cui similis futurus erat in gloria, & imitaretur bonitatem cuius assequuturus erat fœlicitatem, viueretque in hoc mundo tanquam filius Dei, qui futurus erat in altero sęculo hæres Dei; aliter enim pręposterum foret, si viueret in hoc sęculo tanquam pecus, qui in altero victurus esset vt Deus, vitamque imitaretur brutorum, qui honorem posteà percepturus esset Angelorum.

Homo ad Dei imaginem & similitudinem fuit conditus, & quomodo.

Quòd autem ipse homo ad imaginem & similitudinem Dei sit conditus, clarissimè constat ex ipsiusmet Dei verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; quæ verba clarè nobis ostendunt Deum consultasse de hominis ad imaginem suam formatione: Et profectò si Angelus aut aliqua alia creatura de huiusmodi consultasset, non mirarer; sed quòd Deus qui est infinita Sapientia, consultet priusquam operetur, id profectò non modicam in nobis parere debet admirationem, in hoc enim maximè elucescit eius bonitas; quòd sic honorabilem existimauerit hominē priusquam illum crearet; vnde pro tali tantaque eius circunspectione & habito consilio de futura sua imagine, illum summo prosequi honore &

Genes. 1.

Solent his nonnulli, in medium quoque similitudines adferre de radio solari in aëre, & de imagine in speculo integro & fracto.

Porrò, quamuis constans sit ista veritas, quòd anima rationalis existit in corpore humano tota secundùm suam essentiam, & tota in qualibet eius parte, nihilominùs tamen non eodem modo in omnibus operatur, sed per diuersa organa diuersas elicit actiones, verbi gratiâ, visionem elicit per oculum, auditum per aurem, suos exprimit conceptus ore & instrumentis naturalibus ad id aptis, & sic de reliquis; ita vt cunctis partibus corporis ad illa obeunda munia non vtatur, sed quibusdam organicis. Ita referunt nonnulli Platonem cum tota eius schola, docuisse illam proprium locum habere in capite; sicut Aristoteles voluit præcipuam eius sedem esse in corde, quia hæc pars in medio corporis situm habens, fons est vitalis caloris, & per consequens etiam omnis vitalis motus atque etiam localis. Ita denique Galenus cum sua Medicorum schola illam vult potissimum residere in sanguine, in quo etiam vitalis calor & spiritus, præcipuè vigent.

Qua in corporis parte resideat præcipuè anima.

Quod ad animæ facultates, intellectum videlicet & voluntatem attinet; omnes ferè sapientes docent illas nulla habere determinata organa ad suas actiones producendas, sicut visiua facultas habet oculum vt colores percipiat, auditiua aurem vt voces & sonos, & sic de reliquis; quamuis tamen pro hoc statu viæ ad corporea obiecta percipienda, sensibus corporeis in multis indigeant; nam intellectus nihil cognoscit quod priùs in sensu non præextiterit, vt passim docet Aristoteles; & iterùm; oportet intelligentem phantasma speculari: & ita proportione seruatâ dicendum de voluntate, quæ actiones amoris, odij, &c. elicit, iuxta ea quæ ab obiectis externis vel à speciebus ab eisdem eductis, aut etiam per intellectum repræsentantur.

Animæ facultates non habent determinata organa.

Arist.

Hæc omnia aptè confirmantur exemplo à Magistro sententiarum adducto de ipso Deo. Sicut Deus (inquit) dicitur per essentiam, potentiam, & præsentiam esse totus in maximo mundo, & vbique totus, sed tamen secundùm gloriam in cœlo est principalius; secundùm iustitiam in inferno, & secundùm misericordiam in hoc mundo: sic anima rationalis secundùm suam essentiam est in toto suo corpore tota, & in singulis eius partibus, vt in suo paruo mundo, per varias tamen eius operationes, & secundùm diuersas facultates, dicitur esse potiùs in quibusdam partibus quàm in aliis.

CAPVT II.

De imagine & similitudine Dei in Anima rationali.

SECTIO I.

Quomodo fuit homo ad imaginem & similitudinem Dei conditus.

CERTISSIMVM est ex doctrinâ S. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum, hominem à Deo conditum esse vt eius beatitudinis & gloriæ particeps fieret, qui finis adeò sublimis est, vt nullus eo dignior atque excellentior cogitari possit. Quia verò Dei perfecta sunt opera; sicut hominem ad hunc finem adeò sublimem creauit; ita ijs donis ac virtutibus instruxit, quibus ad eum prouehi mereretur; qua de causa illum ad imaginem & similitudinem suam condidisse dicitur, vt similis esset in vita, cui similis futurus erat in gloria, & imitaretur bonitatem cuius assequuturus erat fœlicitatem, viueretque in hoc mundo tanquam filius Dei, qui futurus erat in altero sęculo hæres Dei; aliter enim pręposterum foret, si viueret in hoc sęculo tanquam pecus, qui in altero victurus esset vt Deus, vitamque imitaretur brutorum, qui honorem posteà percepturus esset Angelorum. **Homo ad Dei imaginem & similitudinem fuit conditus, & quomodo.**

Quòd autem ipse homo ad imaginem & similitudinem Dei sit conditus, clarissimè constat ex ipsiusmet Dei verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; quæ verba clarè nobis ostendunt Deum consultasse de hominis ad imaginem suam formatione: Et profectò si Angelus aut aliqua alia creatura de huiusmodi consultasset, non mirarer; sed quòd Deus qui est infinita Sapientia, consultet priusquam operetur, id profectò non modicam in nobis parere debet admirationem, in hoc enim maximè elucescit eius bonitas, quòd sic honorabilem existimauerit hominē priusquam illum crearet; vnde pro tali tantaque eius circunspectione & habito consilio de futura sua imagine, illum summo prosequi honore & *Genes. 1.*

amore, nec-non cũ debita reuerentia, & animi submissione adorare debemus. Et quod magis ac magis ad infinitæ bonitatis diuinæ admirandam confert beneuolentiam, est quod tres simul personæ conuenerint, & consilium inierint de homine earum imagine efformando dicentes: *Faciamus hominem, &c.* quasi earum quælibet suam acciperet partem, Pater creando, filius redimendo, Spiritus sanctificando, vt simul creatione cum reparatione attenta, sciret ipse homo, quàm Deo operosus fuerit, & sibi ipsi non vilescat, aut ingratus existat, sed eximiæ suæ conditionis memor, in gratiarum actiones, & bona opera prorumpat. Et hinc verba illa: *Faciamus, &c.* ponderans Sanctus Ambrosius [a] hæc habet: *Tanta itaque dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis & opere maiestatis diuinæ creatus sit homo, vt ex primæ conditionis honore intelligeret quantum deberet suo conditori, dum tantùm in conditione mox dignitatis priuilegium constituit ei conditor, vt tanto ardentius amaret conditorem quanto mirabiliùs se ab eo esse conditum intelligeret, ne ob hoc solùm quòd consilio Sanctæ Trinitatis sic excellentior à conditore conditus est, sed etiam quoad imaginem & similitudinem suam ipse creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit.*

Genes. 3.

a S. Ambros. lib. de dignitate hominis, cap. 1.

Notanter dicit Sanctus Ambrosius iuxta Sacræ Scripturæ textum hominem esse ad Dei imaginem conditum, & non ipsammet imaginem, solus enim Dei filius à Patre ab æterno genitus, est ipsamet Dei imago, vt disertè docet idem Sanctus Ambrosius: *Solus Christus* ait, *est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatem: iustus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam diuinæ conuersationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat.* Ex qua authoritate Sancti Ambrosij fit vt cùm homo non habeat cum Deo similitudinem, nec specificam nec quasi specificam, nec referat Deum, vt Deus est, sed secundùm analogam imitationem, vt præclarè docet Suarez, *Non dicitur imago Dei, sed ad imaginem Dei*, per analogam imitationem, hoc est, si expressè loqui velimus, imperfecta Dei imago dici debet, si Dei Filio comparetur, vt sentit S. August. & quotiescumque hoc in Capite dicimus hominem esse Dei imaginem, vel in anima nostra esse ipsam Dei imaginem, illud modo supradicto intelligi debet, quòd videlicet comparatione facta ad Dei Filium non sit homo ipse Dei imago, sed ad imaginem productus.

Super cap. 22. Lucæ.

Suarez de Trinit. lib. 9. cap. 8. nu. 3.

S. August. lib. 7 de Trin. c. vltimo.

Doctores Sancti his verbis, *Faciamus, &c.* docent Dei vnitatem in essentia, & Trinitatem in personis nobis innotescere, nam cùm

Moses

Moses dicit, *ait*, scilicet Deus in singulari, nobis naturæ diuinæ vnitatem demonstrat; dum addit *Faciamus*, personarum numerum nobis indicat, & tum superaddendo *ad imaginem*, nobis rursum naturam & essentiam designat. Tota ergò hic Trinitas declaratur, & tres loquuntur personæ in verbo *faciamus*, quæ cùm habeant vnam indiuisibilem essentiam, ad eius imaginem hominem faciendum proponunt. S. Bernardus sic præfata Genesis verba interpretatur, vt imaginem ad bona naturæ, similitudinem verò ad bona gratiæ referat, & ideò non mirum si imaginem præmittit similitudini sacer Textus, nam ipsa natura gratiam ordine antecedit. Vnde S. Basilius: *per imaginem animæ meæ impressam obtinui rationis vsum, verùm Christianus effectus vtique similis efficior Deo.* Subscribit S. Hieron. *Notandum*, inquit, *quòd imago in creatione facta sit tantùm, similitudo in baptismate*: at verò virtutes Theologicæ simul cum gratiâ & charactere tunc à Deo infunduntur, & sic si imago pertineat ad naturam vel dona naturalia, cuiusmodi sunt mens, voluntas, memoria ac liberum arbitrium, similitudo pertinet ad gratiam & virtutes quæ ipsam perficiunt naturam, & hoc est quod quidam Anonymus ait, similitudinem notare facultatem quâ per studium & exercitium virtutis Deo Opt. Max. homo ipse quoad fieri potest, similis euadat; & inde fit vt ipsa Dei imago sit indelebilis, quia fieri nequit vt natura vnquam deficiat, sed similitudo potest expungi. De his ergo duobus sigillatim, sequentibus sectionibus est dicendum.

S. Bern. serm. 80. de imagine siue verbo Dei super Cant.

S. Basil. hom. 10. in hexameron.

S. Hieron. in cap. 28. Ezechielis.

SECTIO II.

In quo Dei imago in homine consistat, diuersæ opiniones adferuntur.

QVOD ad primum spectat, videlicet imaginem quæ bona naturæ respicit, est examinandum quo modo in homine sit, & quænam in eodem existat. Fuit olim hæresis quæ eam corpori impressam dicebat, cuius meminit S. August. licet auctorem non indicet, videtur tamen sumpsisse originem ab Anthropomorphitis qui Deum corporeum esse asseuerabant, quod priùs sensit Tertullianus quem tamen excusat S. Augustinus, dicens Tertullianum ita de Deo potuisse sentire vt diceret eum corpus habere, non quidem tale quòd partes habeat, quarum aliæ maiores, aliæ minores existant, quòd etiam loco sit circunscriptum, & certis limitibus conclusum; sed ideò

Opiniones diuersæ in quo Dei imago in homine consistat.

S. August. ad quod vult Deo cap. 76.

potuit nominare corpus, quia videlicet non est inanis, sed est aliquid quod vbique totum est. Sed hic iudicent docti an talis res quæ corpus non habeat possit vocari corpus. Excusauit autem ipsum Tertullianum S. Augustinus quoad potuit. Ideò nos vlterius progrediemur.

Eiusdem opinionis fuerunt olim nonnulli hæretici Vadiani dicti qui propterea Anthropomorphitæ sunt nuncupati, multis scripturæ sacræ auctoritatibus fulti, quæ Deo caput, aures, oculos, manus, os, linguam, & cætera membra tribuunt. At hoc facilè confutatur, quia quod infinitum est & certis limitibus non concluditur, omni caret figurâ, & proindè caret quoque corpore & membris; at Deus est huiusmodi, vt præclarè docet psaltes Regius: *Magnus*, inquit, *Dominus & laudabilis nimis, &c.* Nonnè Christus ipse illum esse spiritum docet Ioan. 4. *Spiritus autem carnem & ossa non habet*; vt idem habet S. Lucas. Ergo incorporeum esse & nulla corporea membra habere est asserendum & de fide tenendum: Dum itaque scriptura Deo membra tribuit, id præstat vt nostris se conformet sensibus, qui aliter de ipso nihil intelligere possent, vires enim describit quibus vel cuncta operatur, vel nobis benefacit, & ita caput eius ipsa est diuinitatis essentia & natura infinita, quæ cunctis creaturis superior est, & cui omnia subiecta sunt, & à qua cuncta procedunt & conseruantur, aures eius sunt ipsa virtus quâ orationes nostras audit: oculi sunt ipsa virtus eius quâ omnia conspicit, vel sunt gratiæ suæ respectus. *Vnde psaltes Regius: oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorũ:* Palpebræ occulta sunt eius iudicia: *palpebræ eius interrogant filios hominum*: Olfactus, quo odorem nostrorũ operum approbat; facies eius, cognitio veritatis est; vnde idem psaltes: *Ostende nobis faciem tuam & salui erimus*: Os illius virtus quædam est per quã suam nobis declarat voluntatem: lingua eius est mysticè Spiritus Sanctus: *Lingua mea calamus scribæ, &c.* Quia etiam Spiritus Sanctus per Prophetas suos & concionatores Ecclesiæ suæ sponsæ loquitur: brachium fortitudinem eius denotat: dextera gloriam eius vel potestatem nobis indicat: alas habere dicitur, qui potentiæ suæ virtute suos protegit electos, & ideò illos sub pennis eius sperare docet idem psaltes: *Sub pennis eius sperabis*, & alibi *sub vmbra alarum tuarum protege nos?* Sic nobis constat cur & quomodo Deo qui incorporeus & spiritalis est, membra attribuat scriptura; & ideò eius imaginem in corpore consistere nequaquam dicendum est, imò nec somniandum aut imaginandum. Et id à S. Augustino confirmatur in psalmos super illa verba; *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Vos autem fratres* inquit, *considerate vos homines factos ad imaginem & similitudinem Dei*

Ioan. 4. — Luc. vlt. — Psal. 33. — Psal. 10. — Psal. 79. — Psal. 44. — Psal. 16. — Psalm. 90. — S. Aug. in psal. 48.

imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus, sed est facta tamen: vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis, vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra, ibi habet imaginem suam.

Præterea talis forma Deo tribuitur in scriptura, vt ad eius imaginem quoad corpus homo factus nequaquam dici possit. Primò quia ipsemet dicit: *Cœlum sedes mea, &c.* quomodo eâ ratione posset homo eius imago censeri? Secundò de ipso loquens Zacharias ait: *Septem oculi Domini respiciunt super vniuersam faciem terræ*, homo autem duos tantùm habet, quare ei in hoc non assimilatur. Denique Psaltes, vt diximus, eum alatum depingit, cùm autē homo alis careat, in hoc etiam eidem assimilari nequit. Adde quòd illa animalia vt Simiæ quæ quodammodo homini similia sunt, eâdem essent imagine exornata, quod erroneum est, & proindè hæc opinio est damnanda. *Isaiæ 66.* *Zachar. 7.*

Alij volunt Dei imaginem esse characterem Christi in baptismo impressum indelebiliter, quo quidem ita signamur ab ipso Christo, vt eius nos esse & ad eum pertinere constet, sicut oues signari solent à pastore, & inuri ferro Domini, vt eius esse noscantur. De hac imagine habet S. Paulus *sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis.* Sed hæc opinio refellitur ab Epiphanio, quia antiqui Patriarchæ in suis animis Dei imaginem ferebant, etsi baptisati non essent, cùm nondum institutus esset baptismus. Deinde hæc opinio seipsam destruit, quia licet Adam non peccasset, homines nihilominus essent ad Dei imaginem, & tamen baptismi Sacramentum non esset. *Epiphan. lib. 8. tom. 1. hæres. 7.*

SECTIO III.

Verior sententia, in quo Dei imago in homine consistat.

MELIVS ergo & verius alij in anima hominis hanc quærunt imaginem. *Imaginem Dei esse in anima clarè ostenditur.*

Primò quia sicut Deus per suam immensitatem & modo indiuisibili est totus in toto mundo, & totus vbique præsens, & nunquam inclusus, sic enim est intus vt extra sit, sic circundat vt penetret, sic præsidet vt portet, sic portat vt præsideat: ita anima licet indiuisibi-

lis, est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, omnia membra replens & nullum occupans locum: Et sicut vnus Deus præest vniuerso mundo, sic vna tantùm anima toti præest corpori, &c.

Secundò sicut Deus est primum mouens & omnis operationis & vitæ principium à quia dat esse omnibus, & omnia vbique operatur, sicut ait Apostolus: *In eo viuimus, mouemur, & sumus*, & in toto mundo vt supremus moderator dominatur: sic anima dat vitam & motum corpori, & omnis in illo operationis est principium: & sicut Deus est finis omnium rerũ: ita videtur & homo finis esse rerum omnium præsertim corporearum; illæ enim propter eum sunt conditæ: Deinde sicut Deus nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescentibus decrescit; sic anima nec minutis membris minuitur, nec adauctis augetur: Et tandem sicut Deus sordibus huiusce mundi non inficitur, sic nec anima sordibus corporis.

Act. 17.

Tertiò sicut Deus est simplicissimus spiritus, immortalis, & ipse omnia vnus; sic anima spiritus est simplex & immortalis, qui simplicitatem & alias Dei perfectiones suo modulo imitatur.

Quartò Deus per intellectum & voluntatem operatur, & habet operationes duplicis generis, immanentes videlicet & transeuntes; sic & anima intrà se cognoscendo & amando, per vtramque facultatem operatur, & agit ad extrà per sensus & corporis organa.

Quintò Deus non solum theoricè multa intelligit, sed etiam practicè inquit Bellarminus in psalmos; Et sine instrumentis, sine labore, & sine spatio tẽporis, solo nutu atque imperio voluntatis condidit vniuersa; ita anima non solum theoricè multa intelligit, sed etiam practicè; atque indè existunt opera ingenij humani planè admirabilia in variis artibus, in ædificiis, hortis, fontibus, aliisque id genus plurimis, vt sæpè opera artis humanæ cum operibus naturæ contendere videantur. Aliqui aliam superaddunt rationem, quia sicut Deus est in suis actionibus liberrimus & summâ libertate donatus, ac omnium Dominus, vt ait vates Regius: *omnia seruiunt tibi*; ita anima nostra est liberi arbitrij potestate exornata, ac sui & suorum actuum domina, & in eo hanc cum Deo similitudinem, siue vt ait Sapiens, hanc imaginem, similitudinem siuè imaginem simillimam collocandam docet S. Ambr. quæ quidem imago Dei in homine est naturalis & amitti non potest, nisi naturâ ipsâ cui indelebiliter impressa est amittatur. Cùm igitur in hominis creatione Dominus dixit, *faciamus hominem, &c.* adiecit, *Vt præsit volatilibus cœli, & bestiis terræ, &c.* quasi diceret faciamus hominem velut alterum in mundo Deum vt sit Dominus omnium. Hinc nonnulli volunt Deum ideò

Bellarm. in psal. 41. versu 4.

Psal. 18.

Sap. 2.

Gen. 2.

hominem ad tantam dignitatem excellentiamque euehere voluisse, vt res omnes corporales eum reuererentur, vt qui tam expressam & illustrem sui conditoris & dominatoris imaginem in se gereret. Hinc Deus dixit Noë: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, &c.* & ne cœli atque astra inseruire homini, aut etiam Angeli ministrare dedignarentur; denique ne Dæmones ipsum hominem lædere auderent, néue propter eius aduersùs sui conditoris rebellionem, omnes creaturæ in eum insurgerent, suâ imagine ipsum insignire & munire voluit, atque etiam ita altè ac tenaciter eam eius menti impressit, vt saluâ ipsius hominis naturâ, signaculum illud auferri nullomodò posset. Suffragatur S. Chrysost. in hom. cur de Sole, Lunâ, Cœlo, aliisq; dixerit Deus, *fiat*, de homine autem, *faciamus*, & quid sit *ad imaginem:* & ex eo probat, quòd imago prærogatiuam imperandi significet, quia ab Apostolo vir imago Dei, mulier gloria viri nuncupetur; non possit autem vir imago Dei dici præ muliere nisi propter imperium in eam, cùm cætera ferè omnia mulieris priuilegia, quin & studium pietatis, & virtutum exercitium cum viro sint communia. Gestat igitur homo Dei imaginem vt filius sui patris cui debet amorem & pietatem; vt mancipium Domini sui quem timere ac reuereri debet; vt miles sui ducis ac imperatoris cui fidem & obedientiam præstare oportet: Denique vt minister & dispensator bonorum heri & Domini sui, cui rectum vsum creaturarum quæ dispensationi eius commissæ sunt, exhibere debet. Non desunt aliæ rationes cur Deus suam impresserit imaginem in hominis anima; vt videlicet esse posset æternitatis, infinitatis & diuinitatis quodammodò capax, nullumque esset tantum bonum vt non id auderet homo petere à Deo, & se ab eo impetraturum speraret. Quemadmodum igitur vas rotundâ figurâ præditum, non potest omni ex parte repleri nisi à corpore similiter rotundo; ita nec animus hominis ad imaginem Dei factus, nisi à solo Deo cuius similis est, repleri & satiari potest. Et tandem quemadmodum Rex conditâ à se ciuitate, in medio eius loco celebri, imaginem suam collocat ex materia quapiam eximia & pretiosa confectam, vt manifestum sit omnibus eam intuentibus quis fuerit eius ciuitatis conditor; Ita Deus fabricato à se mundo, effigiem suam posuit in medio eius id est in homine & præcipuè in illius anima; est quippè homo medium quoddam inter res à Deo conditas, vt ex eius aspecta dignitate, in aperto & manifesto sit omnibus, qualis fuerit huius mundi fabricator & opifex.

Gen. 9.

S. Chrysost.

1. Cor. 11.

Anima hominis à solo Deo repleri & satiari potest.

SECTIO IV.

Exponitur quomodo propriè loquendo ſit Dei imago in Anima hominis.

POSTQVAM aperuimus Dei imaginem in anima hominis ſolùm reperiri, nunc eſt videndum de modo quo in ipſa imprimitur; Et pro faciliori intelligentia, eſt priùs aduertendum eſſe diſcrimen inter veſtigium & imaginem, veſtigium enim eſt repræſentatio partis, imago verò eſt repræſentatio totius immediatè; exempli cauſâ, ſi pes hominis ambulantis vel cuiuſlibet animalis imprimatur pulueri, illud repræſentatiuum derelictum in puluere, poterit dici veſtigium illius hominis vel animalis, quia ibi ſolùm eſt partis & non totius immediatè repræſentatio: ſi autem totum corpus ſit pulueri expreſſum, illud repræſentatiuum in puluere derelictum dicetur imago illius corporis, quia totum diſtinctè repræſentat; ita ſtatua Herculis eſt imago Herculis, quia repræſentat totum Herculem. Eſt porrò addendum hanc repræſentationem & ſimilitudinem totius non ſufficere ad hoc vt aliquid dicatur imago alterius, quia ſecundùm S. Auguſtinum quantumcumque duo oua ſint ſimilia, tamen vnum non dicitur imago alterius, requiritur ergò alia conditio, videlicet quòd imago imitetur & exprimat id cuius eſt imago, talis enim imitatio eſt ratio conſtitutiua & diſtinctiua imaginis; vnde non valet, hoc ouum eſt iſti alteri ouo ſimile, ergò eſt imago illius. Statua ergò Herculis (vt dictum eſt) eſt imago Herculis quia exprimit & imitatur Herculem, ſiue dicit relationem imitationis ad Herculem, tanquam menſurati ad menſuram.

Differentia eſt inter veſtigium & imaginem.

S. Aug. lib. 83. quæſt. q. 74.

His ſuppoſitis conſtabit clarè, in anima noſtra eſſe imaginem Dei non ſolùm quoad eſſentiam, ſed etiam (quamuis obſcuriùs) quoad perſonarum Trinitatem, ſi has imaginis conditiones habeat; conſtat autem eam illas habere, nam totam repræſentat Trinitatem cum vnitate eſſentiæ & diuinarum perſonarum origine, per modum imitationis & expreſſionis, & hoc in tribus, videlicet in memoria, intelligentia, & voluntate; anima quippe ſecundùm quod habet partem intellectiuam vt fœcundam ſpecie intelligibili in ratione principij productiui, eſt memoria, ipſa verò anima in quantum in eadem parte intellectiua recipit notitiam à memoria genitam per actum pro-

In tribus animæ facultatibus conſiſtit Dei imago, & quomodo.

ductiuum qui est dicere, est intelligentia; eadem denique anima vt producens, & in se recipiens amorem, dicitur voluntas. Memoria igitur repræsentat Patrem, intelligentia filium, & voluntas Spiritum Sanctum. S. Ambr. libro de dignitate hominis vt quidam moderni aduertunt, clariùs id interpretatur, quamuis paulò dissimili modo, docetque in anima esse imaginem Sanctissimæ Trinitatis, quia vna cùm sit, trina est in potentijs, intellectus, memoriæ, & voluntatis; intellectus enim repræsentat patrem, quia sicut intellectus noster est verbi mentalis principium, ita pater diuini verbi est origo: memoria filium denotat quia sicut illa est receptaculum imaginum quæ mente concipiuntur, ita filius est idæarum diuinarum thesaurus, & omnium quæ creata sunt imago; voluntas cuius obiectum est bonitas, & in qua tanquam in officina conflatur omnis amoris affectus, declarat Spiritum Sanctum, cui bonitas & amor attribuitur, non solùm essentialis vt Patri & Filio, verumetiam & personalis, quod proprium est Spiritus Sancti, & ex consequenti alteri personæ non communicabile.

S. Ambr. lib. de dignitate homin.

Alij præterea, paulò aliter eodem tamen sensu, aiunt quòd sicut in anima hominis reperitur intellectus, verbum sibi proportionatū generans, & voluntas amorem suæ essentiæ consentaneum eliciens & producens; ita in Sanctissima Trinitate, intellectus diuinus immensus, & inexhaustus Diuinitatis fons in patre, adæquatâ sui perceptione verbum naturæ suæ consentaneum & ijsdem perfectionibus stipatum gignit; & voluntas diuina in Patre & Filio, amorem substantialem & immensum producit & spirat, tertiam videlicet, eamque ineffabilem Sacratissimæ illius Triados personam. Denique Bellarm. in Psal. breuiùs se ab hac difficultate expedit dum ait: In anima est mens intelligens quasi Pater, est notitia producta quasi verbum Patris, est & amor à mente per notitiam productus quasi Spiritus Sanctus. Ex his omnibus præclara admodùm formatur ratiocinatio à S. Bonauentura. Vbi est inquit, vera repræsentatio alicuius secundùm eius nobilissimum actum, & secundùm distinctionem & ordinem, ibi est vera imago; sed in animo humano est huiusmodi, secundùm suprà dicta; igitur in ipso est vera repræsentatio Dei. Primò repræsentat Deum secundùm actum intelligendi, quoniam repræsentat ipsum non solùm inquantùm ens & inquantùm viuens, sed etiam inquantùm intelligens, & sic excellenti modo & proximiori quàm cætera creata corporea, mox indè repræsentat distinctionem & ordinem quæ in diuinis extat personis, quantùm ad memoriam, intellectum, & voluntatem, etenim imago consistit in tribus potentijs, vnde sicuti est vna anima, ita est vna essentia in diuinis

Bellarm. in Psal. 41. verso 4.

S. Bonau. 1. sent. dist. 16. art. 1.

& sicut in ea sunt tres prædictæ potentiæ, ita & in essentia tres personæ suis proprietatibus distinctæ, &c.

Aduerte autem ipsam imaginem Sanctissimæ Trinitatis, non consistere solùm in his tribus, proùt simpliciter & absolutè considerantur, & in suis actibus primis (inquit Doctor subtilis) quia hoc modo repræsentat anima Deum sub ratione solùm essentiæ, cùm ipsæ animæ potentiæ eidem animæ & inter se realiter identificentur, & solùm formaliter distinguantur, conueniantque in vna & eadem animę essentia; verumetiam vt in suis actibus secundis copulatim spectantur, qui sunt actus memorandi, intelligendi, & volendi, qui actus cùm realiter distinguantur, tres diuinas personas realiter personaliter à se inuicem distinctas referunt: & deinde vnus actus aliquo modo ab alio originem ducit, saltem præsuppositiuè, amor enim notitiam præsupponit, nihil enim volitum nisi pręcognitum: quemadmodùm ergo pater verbum generat, & ab vtroque Spiritus Sanctus producitur, sic quodammodo à memoria fœcunda actus intellectus seu notitia, & velle seu amor ab vtroque originantur, quamuis tamen diuiniori & altiori modo pater diuinus verbum suum generet, & Pater & Filius Spiritum Sanctum spirent, qui est amor viuens & fons viuus omnis casti amoris; & ea de causa non potest mysterium Sanctissimæ Trinitatis nobis innotescere naturaliter, & omnem nostram superat scientiam; anima quippè hominis producit verbum & amorem quæ substantiæ non sunt sed accidentia solùm, ac proinde personæ subsistentes esse nequeunt: Pater autem æternus verbum suum sibi coęquale ac consubstantiale gignit, vnde filij nomine donatur, & Pater & Filius Spiritum Sanctum sibi quoque consubstantialem spirant. Pręthereà hominis anima verbum producit quod diu non permanet, sed transit & deleri ab intellectu potest, & voluntas pariter amorem producit qui non diu durat: Pater autem æternus æternum gignit verbum, & Pater & Verbum Spiritum Sanctum æternum quoque producunt, Deus siquidem absque Verbo suo & Spiritu Sancto esse nequit. Denique anima hominis per vnum verbum rem vnam tantùm repræsentat, & ideò si velit plura cognoscere debet multiplicare verba non solum mentis, sed etiam oris; & voluntas humana multos actus amoris producere debet si res multas amare velit: at Deus vnico verbo omnia vera dicit, *semel loquitur Deus*, & vnico actu amoris omnia bona diligit. En clarè conspicimus animam hominis esse ad Dei imaginem formatam, cùm vt dictum est, ipsum repræsentet in vnitate suæ essentiæ, ac personarum trinitate, nec non etiam quodammodo in ordine originis personarum. His etiam superadditur imitatio in qua quidem imaginis ratio constitu-

tiua

tiua & diffinitiua consistit, nam nihil magis Deum ipsum in essentia vnum, & in personis trinum, tanquam prototypum exprimit & imitatur, quàm ipsa anima, in quantum creatura suum creatorem imitari potest.

Cùm igitur omnes conditiones ad imaginis rationem requisitæ, in anima reperiantur & concurrant, nulli dubium esse debet quin ipsius Dei imago in ea reluceat, sicut ipse homo quoad alias suas partes gerat Dei vestigium, quemadmodum aliæ creaturæ. Ex quibus satis conspicimus nihil homini excellentius aut gloriosius contingere posse, quàm hanc Dei imaginem præ se ferre, quæ illum ita euehit vt omnibus etiam aliis rebus inferioribus vt animantibus, &c. dominetur. Hæc admirans S. Bern. animam ipsam his verbis alloquitur: *Intellige dignitatem tuam nobilis creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verumetiam decorata similitudine*, & infrà: *Quid maius his tibi facere potuit, quàm vt ad similitudinem suam conderet factor tuus? attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in teipsâ agnosce.* Et hæc sufficiant de imagine quæ vt suprà notauimus ex S. Bernard. in bonis naturæ consistit, vel illa respicit, & ideò naturaliter animam pulchram efficit vt sequenti sectione constabit. *S. Bern. de interiori domo cap. 67.*

SECTIO V.

Anima ob Dei imaginem quam refert, est insigni pulchritudine prædita.

EX antecedentibus liquidò constat, quantâ pulchritudine naturali prædita fuerit rationalis anima, quando ad Dei imaginem fuit condita. Profectò mundus ipse pulcherrimus est, omnique parte absolutissimus; opus quippè est diuinæ sapientiæ, & ad ideam quæ ab æterno latebat in diuina mente fabricatus: *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens*; sed quantò pulchrior censeri debet anima hominis ad Dei imaginem & similitudinem expressa? tantò vtique pulchrior, quantò eius exemplar est pulchrius quod est ipse Deus, mundus enim non est ad imaginem Dei factus, neque spiritus est vt Deus; neque est intellectu, voluntate, aut libertate præditus vt Deus; neque dominij, fœlicitatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatatis est particeps vt Deus; at ipsa anima, illi in omnibus his egregiâ *Animæ pulchritudo ex Dei imagine proueniens.*

similitudine respondet. Deindè si hæc rerum omnium corpore constantium multitudo, tam pulchra est, & speciei tam excellentis & absolutæ, vt ei mundi nomen rectè sit attributum, quod munditiem pulchritudinemque significat; quantò maior censenda est animæ dignitas & pulchritudo etiam naturalis, quæ eius domina est & regina, ad Dei imaginem condita? O quàm est igitur à bono sensu alienus, qui per peccatum aliquod hanc deformat animæ pulchritudinem naturalem, immò & supernaturalem! vt posteà dicemus. Proptereà apud S. Iob legimus: *Visitans speciem tuam non peccabis*, quod exponens Lyranus noster ait, nomine speciei, intelligi debere pulchritudinem, vt illud Ecclesiastici: *Propter speciem mulieris multi perierunt*, sicque sensus erit, *visita speciem tuam*, id est considera frequenter animæ tuæ dignitatem, pulchritudinem, & excellentiam, in quâ Dei contemplatus imaginem & similitudinem, non ita humiliter de te iudicabis, vt ad peccati sordes atque miserias illam indignè dejicias, & ad deformem belluarum similitudinem, turpiter transformatus existas.

Per peccatū Dei imago deformatur.

Iob. cap. 5.

Ecclesi. 9.

Exemplo à Plinio de Rege Demetrio allato, id potest nobis patefieri, etenim iste Rex dum opulentam vrbem Rhodon obsidione premeret, monitus fuit à quibusdam ex suis militibus, se non posse vrbem illam ditioni suæ subjicere, nisi priùs templum in quo Protogenis excellentissimi pictoris simulachrum & imago erat, incendio immisso corrueret; at prudenter iudicans maius fore incommodum tam præclaram incly ti huius pictoris imaginem comburi & deleri, quàm optato victoriæ triumpho priuari, protinus obsidionem amouit, intactamque vrbem illam deseruit. Si igitur Rex ille Demetrius tanti vnius hominis picturam fecit, quanti quæso Dei præpotentis imaginem in anima nostra impressam, debemus æstimare? Quantâ diligentiâ omnem peccati labem ipsam Dei imaginem turpiter deformantem, procul ab ea tenemur ejicere? Profectò tantam turpitudinem diligentiùs abhorrere, eamque pro viribus effugere debemus, quàm quoduis capitis aut vitæ graue periculum. Sumite hoc exemplum; si rei omnium pulcherrimæ imaginem, fecisset Apelles, qualis illa foret imago? Attende ô homo qualis rei sis imago, Dei planè, qui infinita pulchritudo est, sed quâ manu formata hæc imago fuit? Dei manu, qualis ergò erit eius forma ac species? an non dignum est eam magnificare nec vilissimis rebus obfuscare? *Fili,* inquit Sapiens, *in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum, peccantem in animam suam quis iustificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?* Hoc verò Pythagoras lumine naturæ assequutus est, qui inter symbola sua

Quanti imaginem Dei in anima nostra impressam debeamus æstimare.

Ecclesiast. 10.

hoc præcipuum docuit : *Imaginem Dei ne efferas in annulo.* Quod explicat S. Hieronymus, *animam ne alliges corporeis sensibus & voluptatibus, si enim indignum esset Reginam videre, indignissimus occupatam seruitiis quasi seruam, multò indignius est animam conspicere terrenis rebus implicatam.* S. Hieron.

SECTIO VI.

Dei similitudo in Anima, pertinet ad gratiam & virtutes quas amplecti debemus.

ANIMA igitur ipsa, non solùm ad imaginem Dei in natura, sed etiam ad similitudinem in gratia creata esse dicitur : per quam redditur ipsa Deo similis aut quasi Deiformis; sanctitatem, puritatem, bonitatem, charitatem & alias Dei perfectiones, modo supernaturali, atque ipsum esse diuinum participās; est enim anima grata Deo per eius participationem, iuxtà illud Psalmistæ, *Ego dixi Dij estis & fily excelsi omnes:* vt enim ferrum in igne mersum, ignis candorem atque calorem recipit : sic per gratiam homo Deiformis effectus est atque perfectus, non solùm propter naturæ integritatem, verumetiàm propter gratiæ dignitatem; adeò vt si quis illum in hoc fœlicissimo statu cerneret, velut in puro quodam speculo, quandam diuinæ bonitatis, puritatis, charitatis, &c. effigiem contemplaretur. Nonnulli præclarè autumant similitudinem Dei in anima, maximè consistere in tribus Theologicis virtutibus, quas cum originali iustitia animæ primi hominis in sua creatione effudit, & nunc quoque cum gratia in baptismate; illæ enim tres virtutes tres diuinas personas maximè referunt, nam per spem quæ ex S. Thoma circa bonum arduum & difficile versatur, Pater ostenditur cui potestas & fortitudo attribuitur; per fidem quæ lux mentis est, Filius vera mundi lux, de se enim dixit : *Ego sum lux mundi*; Et per charitatem Spiritus Sanctus intelligitur. Hæc est igitur illa imago & similitudo, quâ homo initio conditionis suæ hoc est ante peccati lapsum, decoratus atque ornatus fuit. At proh dolor! homo qui hoc in florentissimo statu erat constitutus, imagine & similitudine sui conditoris exornatus, cùm deberet tantæ fœlicitatis auctori subjici, eique immortales agere gratias, serpentis antiqui suggestione delusus, si imaginem retinuit valdè tamen deformatam, saltem si-

Sicut Dei imago in anima ad bona naturæ refertur, ita similitudo ad bona gratiæ & virtutum.

Psal. 81.

Ioan. 8.

militudinem amisit, & aliam sibi imaginem & similitudinem per peccatum impressit; sicque cùm anteà summo in honore
Psal. 48. conditus esset, *Iumentis insipientibus similis effectus est*, vt scribit
S. Bern. serm. de Annuntiat. vates Regius, S. Bernardus ait: *Imago in gehenna vri poterit, non exuri, ardere sed non deleri; similitudo non sic, sed aut manet in bono, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter, iumentis insipientibus similata.* Olim Tyranni imaginem habere capitale crimen erat; & non magis damnandus qui tartari Tyranni imaginem defert, in Dei sui contemptum? penè eadem verba habet S. Ambr. in Psal-
S. Ambr. in Psal. 38. mos. Pœnas igitur debitas luet qui Dæmonis imaginem prauis moribus defert, & æternam mortem nisi resipiscat, ob hanc temeritatem subibit, & cruciatibus æternis cum ipsis & ab ipsis Dæmonibus quorum gerit imaginem, torquebitur; cùm ob peccata & prauos mores, animę faciem in qua Dei imago diuinis picta coloribus splendescit, turpissimè dedecorarit, eamque ita atram, fuliginosam, plumbeam, lutulentam, belluinamque reddiderit, vt ne pictor quidem ipse nempe Deus, illam satis agnoscere videatur, meritóque, & non sine admiratione dicere queat, *Cuius est imago hæc?* Deus præclaram illi largitus est vim intelligendi, vt mirabiles conditoris sui diuitias scrutaretur, simulque industriam, vt debitum ei cultum deferret, in huius tamen imaginis contemplatione, diuinus pictor agnoscit omnem ipsius peccatricis animæ industriam poni, ad nouas in dies peccandi artes è tenebris eruendas. Dedit illi Dominus voluntatem quæ ferri posset ad amorem summi boni, in quo vno posset acquiescere, sed illam nihilominùs offendit à seipso auersam, & omnibus corporis sensibus animique affectionibus, ad inanes nugas & puerorum crepundia suspirantem. Ac denique suauissimam ei ad virtutem sectandam dedit propensionem, nunc eam reperit ad omne vitium procliuem, ad virtutem autem malè flexibilem ac rigentem, quomodo ergò illam agnoscet? quomodò recipiet vt suam? quomodò non illi seuero vultu oculisque dicturus est, abominabilem fecisti decorem tuum? *Cuius est imago hæc?* Igitur quia penes nos est Deum referre similitudine quam virtutes ingerunt; quid moramur in hac egregia specie quantocyùs efformanda, quam Deus ipse tam magnifacit? Magnifaciunt matronæ perfectam eximiâ politurâ gemmam, quid Deus? nonne opus est si amorem quo genus humanum prosequitur consideres, vt pluris faciat animæ ipsius imagine & similitudine insignitæ cælaturam? O quanta cæcitate perculsus fuit Protoparens noster, qui non contentus diuinâ similitudine quâ donatus fuerat, aliam indebitè vsurpare præsumpsit, quam videlicet fal-
Gen. 3. lax serpens illi promiserat dicens: *Eritis sicut Dij scientes bonum &*

malum. Quam similitudinem non solùm non est assequutus, sed eam etiam amisit quâ fuerat decoratus, iurè enim amittere debuit quod sibi erat indultum, qui contrà ius fasque inuasit alienum. Sed quamuis potuisset supernus iudex, lapsum atque deformatum hominem sibi ipsi relinquere, noluit tamen iustitiæ seueritate quâ poterat, sed summa vti misericordia quam non debebat, vt erigeret immensa Dei pietas quem prostrarat Diaboli iniquitas, quis enim hoc vel digniùs, vel conuenientiùs, vel cumulatiùs præstare, quàm conditor ipse potuisset? Constat enim absolutissimam imaginem vel similitudinem rei alicuius ab egregio aliquo artifice expressam & formatam, sed iniuria temporum aut casu aliquo deformatam, à nemine commodiùs pristino decori restitui posse, quàm ab eo qui eam ante formasset: Cùm ergò Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam effinxerit, quis alius pristini decoris & pulchritudinis speciem ei reddere potuit nisi idem ipse qui condidit? Ex tribus autem diuinis personis, illa præcipuè hoc negotium suscepit, quæ & hominem ipsum condidit, & imaginis & natiuæ similitudinis nomen inter eas obtinet, videlicet Filius Dei qui imago Dei inuisibilis & figura substantiæ eius, atque paternæ gloriæ splendor appellatur; quocircà ad illud præcipuè instaurandæ similitudinis nostræ officium delegatus est, vt qui Dei imago & similitudo erat, collapsam Dei similitudinem ad suam reformaret; sed qua ratione hoc præstitit? nimirùm humanitatem nostram in se suscipiens, imaginis ac similitudinis suæ pulchritudinem in nobis instaurauit. Hinc Apostolus: *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*, non quia vllum in se peccati semen aut labem acceperit, sed quia caro eius purissima, doloribus & pœnis quæ propter peccatum illata sunt, obnoxia erat: vt enim si quis abscissas gestaret aures, latronis speciem referret, quamuis latro non esset, quoniam pœna hęc latronibus ordinariè imposita est; ita caro pœnis ac doloribus subiecta peccati similitudinem gerit, quamuis à peccato immunis sit: dolores igitur peccatis nostris debitos in se Christus quanquam nulli peccato obnoxius suscepit, vt nos ab illis liberaret, hac enim ratione de peccato damnauit peccatum, cùm in peccato inuenit vnde peccatum deleret: sicut enim ex viperæ veneno, homines medicinam aduersùs venenatum eiusdem morsum conficere solent, ita Christus ex pœnis quas peccatum importauit in mundum, antidotum nobis aduersùs peccati venenum confecit: & sicut Dauid Goliath suo ipsius interemit gladio, ita Christus à peccato arma accepit (pœnis ac morti obnoxius pro ipsis peccatoribus) quibus peccatum interimeret & dam-

Filius Dei collapsam in nobis Dei imaginem reparauit.

Rom. 8.

2. Reg. cap. 23. naret Aliquid simile de Banaïa fortissimo viro testatur 2. liber Regum his verbis: *Banaïas interfecit virum Aegyptium dignum spectaculo, habentem in manu hastam; itaque cùm descendisset ad eum in virga vi extorsit hastam de manu Aegyptij, & propriâ suâ hastâ illum necauit;* Ita Christus à peccato ipso pœnas suscepit quas tamen subire non debebat, vt tantæ humilitatis & patientiæ merito ac sacrificio, nos à peccati debito liberaret, prout præclarè admodùm docet Sanctus Chrysostomus. *Etenim*, inquit, *cùm Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat, Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos & salutem nostram suscepit, cur non & nos ergà fratres iusti sumus, agnoscentesque eos vt membra nostra, & eripientes ex Diaboli faucibus in viam veritatis inducimus?* Et sic imaginem quam Deus fecit per creationem, Christus Dominus polit & ornat, imò & reficit per redemptionem, ac denique absoluit & consummat per glorificationem. Magna est propterèà dignitas animarum, cùm tantoperè à Deo æstimentur & honorentur: quæ meritò considerans S. Bernard. exclamans inquit. *O anima Dei insignita imagine, decorata similitudine, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et infrà, *totus quidem iste mundus ad vnius animæ pretium æstimari non potest, non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit quam pro anima humana dedit: Sublimius ergò est animæ pretium, quæ nonnisi sanguine Christi redimi potuit, nonne Dei Filius cùm esset in sinu Patris, à Regalibus sedibus pro ea descendit, vt eam à potestate Diaboli liberaret? fleuit ipsam, nec solùm fleuit, sed etiam morti se obtulit, vt pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret; aspice mortalis pro te datur hostia talis, agnosce homo quàm nobilis est anima tua, & quàm grauia fuerint eius vulnera, &c.*

Chrysost. tom. 1 Hom. 3. in Genesim.

Ad Galat. 3.

S. Bern. cap. 3 in dit.

SECTIO VII.

Quomodo debeat aut possit Dei imago & similitudo per peccatum amissa: ad suæ dignitatis pristinæ formam reuocari.

PRo huius quæstionis solutione, aduertendum Dei imaginem sumi quandoque separatim à similitudine, ita vt sit aliquid ab ea distinctum; aliquando illam Dei imaginem sumi pro imagine simul & similitudine, siue pro imagine quæ sibi coniunctam habet similitudinem, id est iustitiam, pietatem, charitatem aliasque virtutes, quæ in voluntate velut in suo subiecto sedem habent. Priori modo sumpta imago, non deletur sed deformatur & deturpatur per peccatum, sicut si Regis effigies nummo insculpta in cœnum dejiceretur, tunc enim inquinaretur (inquit S. Augustinus) sed non aboleretur, & hoc modo est intelligenda suprà-dicta S. Bernardi sententia. Posteriori autem modo sumpta, non est inconueniens asseuerare per peccatum eam amitti, quia similitudo amittitur: Dum itaque hic quęrimus, quomodo Dei imago per peccatum deleta, possit ad suam pristinam formam reuocari & restaurari in nobis; debet illa quæstio intelligi non de imagine priori modo sumpta, hoc est vt à similitudine seiũgitur, sed posteriori modó, prout similitudinem etiam complectitur. Et respondemus ad suæ pristinæ dignitatis formam reuocari, si alia imagine videlicet Christi insigniamur. Audite Apostolum: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; sicut ergò portauimus imaginem terreni; ita nunc portemus imaginem cœlestis:* Quæ verba explicans B. Theodoretus in scripturæ diuinæ quæstionibus ambiguis ait: *Imaginem quidem terrenam portat qui secundùm carnem viuit & perficit opera carnis; Imaginem verò cœlestis qui spiritu mandata carnis mortificat: quemadmodùm Deus longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei; iustus & sanctus est Dominus, condolens & misericors, igitur qui amat iustitiam & sanctitatem, & peragit atque obseruat præceptum illud saluatoris: Estote misericordes, quemadmodum Pater vester misericors est: estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est; fit imago Dei per omnia.* Hæc autem imago nullibi magis quàm in ligno crucis apparet, quid enim in cruce vides? Video planè hominem summo

S. Aug. lib. 1. Retr. c. 24.

Dei imago per peccatum amissa reparari potest, & quomodo.

1. Cor. 15.

B. Theodor. q. 20.

Luc. 6.

Matth. 5.

odio peccata prosequentem, summâque dilectione labores amplectentem; video hominem tantâ præditum bonitate, vt pro malis etiam hominibus seruandis vitam in cruce profuderit; video hominem tantâ iustitiâ præcellentem, vt pro iniustis mori non dubitauerit; & quid aliud à me Christi crux quàm peccatorum odium & laborum amorem exigit? Hoc est igitur quod Apostolus à nobis exoptat: *Sicut ergò portauimus, &c.* Ergò si quando tales fuerimus qualis vetus Adam, qui ob exiguam cibi voluptatem inobediens conditori suo extitit; simus nunc vt nouus Adam Christus, qui mori potiùs voluit quàm Dei præcepta violare: Si aliquando fuerimus vt vetus ille Adam, qui cùm homo esset, diuinitatis sibi gloriam & similitudinem vsurpare præsumpsit: simus vt nouus Adam Christus, qui vt habet Apostolus: *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Si fuerimus vt primus ille homo, qui ne vxorem suam, hoc est delicias suas tristitia afficeret, Dei præceptum contempsit, simus vt homo iste secundus Christus qui amantissimam carnem suam ad crucem obtulit vt Dei mandatum impleret: si igitur id prompto ac alacri animo præstemus, aliqualem Christi Domini pro nobis in cruce passi imaginem ad viuum exprimemus, & in nobis apparebit, cùm diuinæ imaginis participatio sit proposita iis qui crucifixi Domini sui imaginem in hac vita gestant. Et quemadmodum ipse, *Est imago Dei inuisibilis,* vt habet Apostolus, *Et speculum sine macula Dei maiestatis & imago bonitatis illius,* vt habet Sapiens: sic & nos, præcipuè verò sacerdotes; debemus esse imagines & similitudines ipsius Domini Iesu & illũ in cognitione & amore in vitâ, in actionibus, in virtutum exercitiis repræsentare, sic enim, *Prædestinauit nos Deus conformes fieri imaginis filij sui,* vt ait idem Apostolus; certum est enim ex Aristotele cognitionem fieri per assimilationem ad rem cognitam; & amorem etiam assimilare, quia transire facit in rem amatam: quicumque ergò Christum Deum & hominem tanquam suum exemplar & saluatorem cognoscet, & eiusdem amorem eliciet, & ipsum imitari in humilitate, patientia, obedientia, aliisque sanctis operibus, pro posse conabitur; vera illius imago erit eique assimilabitur. Et hoc docet S. Thomas ex S. Augustino: *Non propterea est Dei imago in mente quia sui meminit, & diligit, & intelligit se, sed quia potest etiam meminisse, intelligere, & amare Deum à quo facta est.* Sed quid est meminisse, intelligere, & amare Deum, nisi sese in cunctis bonis operibus & virtutum exercitiis exercere, & quantùm fieri potest imagini Christi sese conformare? & hæc imago vocatur recreationis siue iustificationis, & nonnisi in viro perfecto & optimo Christiano

Ad Philip. 2.

Apost. ad Coloss. 1.

Sap. 7.

Apost. Rom. 8.

S. Thom. 1. p. q. 93. art. 7.

relucet. In euangelio S. Ioannis ait Christus Dominus S. Philippo; *Philippe qui videt me, videt & patrem meum:* quia patris imago est; sic suo ordine qui videt perfectum Christianum, videt Christum Dominum: Deus inuisibilis in se, factus est in Christo visibilis; sic Christus qui ascendens in cœlum inuisibilis nobis est redditus, in perfecto viro proboque Christiano bonis operibus abundanti, cernitur: & profectò quid nobis prodesse potest adumbrata quædam & inchoata in nostrâ natura Dei imago, quâ illum possimus cognoscere, si amore, gratiâ, & virtute non perficiatur, quâ de facto illum cognoscamus per fidem in præsenti vita, & amemus per charitatem, & sanctas actiones, secundùm quod humana nostra pati poterit infirmitas, vt ei assimilemur? Id perpendens S. Bern. ait: *Oportet id quod ad imaginem est cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare: Repræsentemus ergò in nobis imaginem eius in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis, teneamus eum in memoria, portemus in conscientia, vbique præsentem veneremur, mens siquidem nostra eo ipso eius imago est quo eius capax est: meminerit itaque Dei sui ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat, diligat, atque colat eum quo potest semper esse beata.* Et S. Leo: *Si fœliciter*, inquit, *atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat.* Suffragatur B. Cypr. qui eloquenter ostendit quales esse debeant ipsius imaginis Dei portatores: *Hanc imaginem Dei*, inquit, *virginitas portat, portat integritas, portat sanctitas, portat veritas, portant disciplinæ Dei memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraternâ pace vnanimes atque concordes.* Lactantius eandem sequitur imaginis Dei interpretationem dum ait: *Vult Deus imaginem suam nos etiam similitudinem fieri vt simus sancti sicut & ipse sanctus est.* Isti ergò sancti Doctores clarè ostendunt modum quo in nobis Dei imaginem portare debeamus, quo etiam modo si per peccatum deleta sit, eam restaurare valeamus. Hinc alij animam ipsam esse speculo persimilem animaduertunt; quemadmodum enim speculum figuram exprimit illius rei quæ illi objicitur, vt si terram ei. è regione objicias, terræ effigiem in eo videbis, si cœlum, cœli imaginem referet, vt ait S. Gregorius, ita anima nostra cognitione & amore illa exprimit, eisque assimilatur rebus quæ illi objiciuntur, & ad quas ipsa fertur: si ad terram, hoc est ad terrena bona & voluptates huius

Ioan. 14.

S. Bern. lib. de anima cap. 1.

S. Leo serm. 1. de Ieiunio primi mensis.

B. Cypr. tract. 2. de habitu Virginum.

Lactant. lib. de exhortatione castitatis.

Anima nostra est speculo similis.

S. Greg. lib. 13. Moral. cap. 26. in Iob 41.

sæculi se conuertat, nullam aliam effigiem & similitudinem quàm ipsius terræ refert; si autem cælum, hoc est res cælestes & spirituales contempletur & diligat, ad easque per bona opera aspiret & dirigat gressus, imago verè cœlestis erit, cœlique referet effigiem. Vnde Origenes dicit quemlibet nostrûm posse exquirere ex vniuscuiusque fide & operibus, ex conuersatione & actibus, ex cogitationibus, ex verbis, vtrùm in imagine cœlestis ambulet; an in imaginé terreni, eorum enim qui in imagine terreni ambulant Deus imaginem ad nihilum redigit. Iuxta id quod dicit psaltes Regius: *In ciuitate tua Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges*: E contrà iustum & qui in imagine cœlesti ambulat, tuetur & seruat, eiusque imaginem illibatam custodit; tandemque, subdit Origen. *Omne quod agitur à nobis per singulas horas vel momenta, aliquam imaginem deformat, scilicet terreni, aut cœlestis.* Perspiciendum ergò homini est cuius imaginem gerat, & aliquando est interrogandus, sicut Christus Pharisæorum discipulos cum Herodianis ab eisdem missos, vt illum interrogarent an liceret censum dare Cæsari an non, post nonnulla eis dicta, suo ordine interrogauit: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* illi enim numisma census ostendebant. O homo cuius imaginem & similitudinem geris? An Dei, an dæmonis, an mundi? Superbe, cuius hæc imago est? nonne dæmonis? inhoneste, cuius imago es? nonne bruti? auare, cuius imago es? nonne terræ? His omnibus dicitur a S. Ioanne in Apocalypsi: *Si quis adorauerit bestiam aut imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei.* Omnis peccator diaboli characterem aut imaginem habet; Diabolo ergò tradendus est qui imaginem Diaboli habuerit, & sese degenerem exhibet, belluarumque similitudinem ob tot peccata gerit. S. Bern. recolens ipsa verba psalmistæ: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, &c.* Ecce, inquit, *quomodo de grege brutorum facta est egregia creatura, puto, dicerent animalia, si loqui fas esset, ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.* Id quoque ponderat S. Ambr. cùm dicit: *Quis maior honor homini potuit esse quam vt ad similitudinem sui factoris conderetur, eiusdem virtutum vestimentis ornaretur quibus & conditor, de quo legimus in Psalmis: Dominus regnauit, decorem indutus est, id est omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus, vel quod maius homini potest esse dedecus aut infœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloriâ sui conditoris amissâ, ad informem & irrationabilem brutorum delabatur similitudinem.*

Origen. Hom. 2. in Psal. 38.

Psal. 72.

Matth. 22.

Apoc. 14.

S. Bern. serm. 35. in cant.

Psal. 48.

S. Ambr. lib. de dignitate humanæ conditionis cap. 3.

Psal. 92.

SECTIO VIII.

Ob imaginem Dei in anima depictam, debet homo ipsi Deo se tradere.

EX dictis ergò sequitur singulariter hominem deuinctum esse vt se Deo tradat, quoniam singulari ratione Dei est, & eius imago. Et ad hoc credo pertinere quod quidam prudenter intelligunt illud quod Dominus viso Cæsaris nummo, vt supra dictum est, ait; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ac si diceret ex mente S. Augustini: Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic & Deus animam lumine vultus sui illustratam atque insignitam: Sicut enim moneta sine nummus imagine Principis signatur; ita homo Dei imagine ac similitudine; & sicut quandiu in moneta imago Regis impressa remanet, tandiu eius valore cætera commutari possunt, ita etiam anima si inuiolata permaneat, cœleste regnum meretur. Sed quid quæso inducere hominem potest vt se Deo tradat? Quoniam ratione pollet quâ Deum agnoscit, quâ beneficia illius expendere potest, quia voluntatem habet quæ in solo Deo quiescit; & demum cùm operationes sequantur naturam & esse, & naturam suæ similem homini concesserit, eum profectò deuinxit vt similes diuinis operationes exhibeat; & hinc hominis perfectio colligenda est si Deo assimiletur in operibus suis, sicut perfectio imaginis iudicatur ex assimilatione ad id cuius est imago. Reliquæ omnes creaturæ Dei sunt quia ab eo conditæ sunt, & solùm hâc ratione nunquam ab eo discesserunt: *Ordinatione tua,* inquit Psaltes, *perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Et Iudith: *Tibi seruiat omnis creatura tua, quia dixisti & facta sunt, misisti spiritum tuum & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ.* Hâc ergò solâ ratione, ô homo quâ Dei factura es, in tuo officio te continere debes, ne vnquam Dei præceptum violes; sed vltrà hoc ipse Deus ad imaginem & similitudinem suam te efformauit, te libertate donauit, iudicio, ratione, donis naturalibus & supernaturalibus, &c. te exornauit: vide ergò in quantis es ei deuinctus. Forsan dices reliquas omnes creaturas Deo obedire semper, quia cùm arbitrio liberæ non sint, non possunt non obedire, at quia liber es, ideò peccas: ita res se habet vt Ieremias ait; *Fecisti malum & potuisti.* Sed si rectâ ratione vteteris, imago Dei quam in mente tua geris, potestas ipsa & arbi-

Homo Deo ipsi se tradere debet ob eius imaginem quam in anima defert.

S. August. in Psal. 4.

Psal. 118.

Iudith. 16.

Ierem. 3.

trium liberum tibi concessum, magis deuinctum te tenere deberet, ne Deo rebellis existeres. Id subiecto exemplo manifestum fiet, Duos assumit homines Rex, primum, seruum suæ domus constituit, secundum, in filium adoptat; si prior fidelis existeret, & alter infidelis qui in filium assumptus fuerat, an non ei probro daretur quod in tanta dignitate à Rege constitutus, proditor inueniretur? Nonne ei diceres, attende socium tuum quem Rex seruum suæ domus tantùm constituit, qui ei fidelis semper fuit, te autem ad maiorem longè dignitatem & honorem euexit, dum in filium suum adoptauit; nonnè hæc dignitas te magis tenere debuit & efficere vt regi fidelissimus esses? Ita nunc peccatori ingrato dicimus, arbitrio liberes, Dei imago, filius Dei adoptiuus, &c. quibus reliquæ creaturæ insignitæ non sunt, quomodo in Deum insurgere audes, & infidelis ac proditor eidem existere, dum inferiores 1. Cor. 4. creaturas esse ei valdè obsequentes conspicis? *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* De huiusmodi filiis ingratis conqueritur ipse Deus per Isaiam: Isaie 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me:* Teneris ergò ô homo Deo obsequi, quia Dei es tùm creatione, tùm redemptione, tùm quia ipsius imago intellectu & voluntate polles & libero arbitrio; & tandem fiet vt imago & similitudo Dei quæ in nobis multis imperfectionibus est annexa, absoluatur & perficiatur in patria & æterna vita. Et hoc est quod ait S. Pau- 2. Cor. 3. lus: *Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ita S. 1. Ioan 3. Ioannes in Epistola sua prima: *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

SECTIO IX.

Quid sit Anima humana.

EX antedictis & sequentibus, potest rationalis anima in hunc modum definiri: *Anima humana est substantia quædam spiritualis, & incorporea, simplex, inuisibilis, & indiuisibilis, rationis particeps; de nihilo à Deo immediatè creata ad propriam eius imaginem & similitudinem, immortalis, tribus constans facultatibus, corpori informando, viuificando, & regendo accommodata, nec quantitatis

mensuræ, nec qualitatis formæ susceptibilis, arbitrio libera, capax virtutis, gratiæ, & vitij, beatitudinis, & miseriæ, illocabilis, passibilis & mutabilis. Et hæc definitio colligitur ex diuersis locis S. Augustini, & ex Cassiodoro, Hugone, alijsque probatissimis authoribus.

Quidam tamen non desunt, qui his definitionis animæ partibus & conditionibus alias superaddant, sed ad suprà notatas facilè reducuntur.

In hâc autem definitione notatur animæ genus, dum primò dicitur *substantia*, & differentia, dum dicitur *Spiritualis*, vt ostendatur à substantijs corporeis differre. Dicitur ergo primò substantia, quia non est accidens, vt nonnulli falsò autumarunt: *Nihil enim* (inquit S. Thomas) *potest per se operari nisi quod per se subsistit, & est ens in actu*; atqui accidentia non subsistunt, bene autem anima, & sic habet operationem per se cui non communicat corpus: ergo non est accidens, sed substantia. Deindè, quia vitam dat corpori, ipsam subsistere necesse est, proprium enim substantiæ est subsistere: & denique, quia si non esset substantia, non posset extra materiam per se stare: at verò à materia separata, per se stat aut subsistit, quia est immortalis, vt Cap. 3. ostendemus. S. Thomas.

Secundò, dicitur *incorporea*, id est absque materia, quia non educitur de aliqua præjacente materia, sed de nihilo, vt suprà diximus. Deindè dicitur *incorporea*, quia est actus & forma corpus ipsum informans & perficiens; at si esset corporea sequeretur corpus informare aliud corpus, quod est absurdum penès omnes Philosophos veritatis sequaces, & apud omnes Theologos. Prętereà anima est simul cum qualibet parte corporis, sed duo corpora simul esse nequeunt: ergo, &c. Denique, S. Paulus eam vocat hominis Spiritum, in 1. Epist. ad Cor. *Quis hominum scit*, inquit, *quæ sint hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Ita alio Cap. illam iterùm vocat Spiritum; Et anteà Ecclesiasticus: *Reuertatur puluis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum*: si anima humana sit spiritus, profectò corporea non erit, cùm spirituale & corporeum è diametro pugnent. 1. Cor. 2. Cap. 5. Eccles. 12.

Tertiò, dicitur *simplex*, non eâ simplicitate quâ Deus simplex est, quia actus est purus, non quòd careat partibus metaphysicis & essentialibus, nam ex genere & differentia, ex actu & potentia, ex positiuo & priuatiuo constituitur, vt docet Scotus, sed quia non componitur physicè ex materia & forma, neque ex elementis, vt Empedocles olim cum alijs nonnullis docuit. 1. Sent. dist. 8. qu. 1.

Quartò, est *inuisibilis* quia spiritus est, & proindè nec videri, nec palpari potest; vnde non videtur in corpore, licet in eo exer-

ceat opera vitæ quæ videntur; neque extra ipsum corpus; sed sicut calor inuisibilis sentitur in operatione, & ignem quodammodo viuificat, ita proportione seruatâ de anima est iudicandum.

Quintò, est *indiuisibilis*, cùm sit incorporea & spiritalis vt dictum est, res enim incorporeæ & spiritales haud diuidi possunt.

Sextò, est *rationis particeps*, ad differentiam Angelorum, qui non dicuntur rationales, non enim discurrunt & ratiocinantur ad modum hominum, sed merè sunt intellectuales.

Septimò, est *ex nihilo à Deo proximè & immediatè creata*, ad differentiam rerum ex præiacente materia productarum, ipsa enim à parentibus non traducitur, aut è materiæ potentia educitur, vt Tertulliano, Apollinario, & multis Orientalibus placuit, vt iam suprà notatum est: diximus autem, *proximè & immediatè*, contrà Auicennam & alios post ipsum, qui voluerunt intermedijs Angelis ipsam à Deo creari, quod est falsum, cùm ex innumeris Scripturæ Sacræ testimonijs constet, nulli adhuc creaturæ, nequidem Angelo, hanc creandi potentiam fuisse concessam.

Octauò, est *ad Dei imaginem & similitudinem creata*, ad differentiam aliarum rerum, etiam animarum irrationalium, quæ ad Dei imaginem creatæ non sunt, sed tantùm sunt creatoris quoddam vestigium.

Nonò, dicitur *immortalis*, quoniam cum corpore non moritur, vt animæ brutorum, sed superstes remanet post huius vitæ cursum, vt fusiùs posteà dicendum erit.

Decimò, *Tribus constat facultatibus*, intellectu nempè, voluntate, & memoria, de quibus posteà.

Vndecimò, est *corpori informando, &c. accommodata*, quia in tantùm corpus viuit & opera vitalia exercet, inquantùm anima illud informat & moderatur, ab eo siquidem recedente animâ, dicitur mortuum & inanimatum.

Duodecimò, *non est quantitatis mensuræ susceptibilis*, quia nec trina dimensione mensuratur, nec ex loci circunstantijs, quæ sunt, ante retrò, dextrùm, sinistrùm, sursùm & deorsùm, se includi patitur.

Decimotertiò, *non est etiam, Qualitatis formæ susceptibilis*, qualitates enim sensibilium formarum, aut insunt elementis vt calor, frigus, &c. aut mixtis vt colores; aut corpori simplici, cuiusmodi est cœlũ cui inest lux, anima autem nullum istorum est, nec alicuius corporis naturam sapit.

Decimoquartò, est *arbitrio libera & voluntaria*, quia habet suum velle, & suum nolle liberum; vnde dicunt omnes illam posse in opposita ferri, siue contraria, siue contradictoria, ad differentiam

animarum sensibilium quæ naturâ duce in sua propendent obiecta.

Decimoquintò, est *capax virtutis, gratiæ & vitij,* ob eius libertatem.

Decimosextò, est *beatitudinis & miseriæ capax,* ad differentiam Dęmonum qui solummodò miseriæ capaces sunt, & etiam ad differentiam earum formarum quæ cum corpore intereunt, vt sunt animæ sensitiuæ.

Decimoseptimò, est *illocabilis*, hoc est non occupatiua loci, circumscriptiuâ occupatione, cùm sit incorporea & immaterialis, est autem locabilis definitiuè sicut Angelus, hac enim in re Angeli & animæ sunt eiusdem conditionis.

Decimooctauò, est *passibilis*, quia diuersis afficitur passionibus, gaudio videlicet, tristitiâ, amore, odio, spe & timore, & in hoc dicitur Dæmonibus præcellere, qui neque possunt (vt suo vidimus loco) gaudere vero gaudio, & propriè dicto, neque de peccatis dolere, & pœnitentiam agere, cùm in sua malitia obdurati sint.

Decimononò tandem, est *mutabilis*, cùm ab ignorantia ad scientiam, & à vitijs ad virtutem, illam mutari contingat.

His itaque definitionis animæ partibus enucleatis, dicendum sequentibus capitibus & sectionibus, de his quæ pręcipuè & magis notanda videntur de ipsa anima, quæque maioris sunt ponderis & momenti, vt quòd sit creata ad Dei imaginem & similitudinem, quòd sit immortalis, & tribus constet facultatibus, &c.

SECTIO X.

Descriptio animæ à Cæsare Ripa, & nonnullis alijs.

CÆSAR Ripa & quidam alij, ob multiplices animæ proprietates ac perfectiones naturales, maximè verò ob Dei imaginem in illa depictam, eius insignem admirantes pulchritudinem, illam describunt ac repræsentant vt quandam iuuenculam valdè speciosam, stellam super caput habentem, alas in dorso vel humeris, faciem velo transparenti coopertam, atque veste delicata, subtili, & splendida, indutam & ornatam. Valdè pulchra depingitur, quoniam ad sui creatoris imaginem est condita; nemo autem inficias ibit Deum esse pulchritudinis, gratię & perfectionis omnis scaturiginem ac fontem vberrimum: Velum super eius faciem nobis designat il-

Animæ descriptio, quæ.

lam esse substantiam oculis humanis inuisibilem, ac formam corporis substantialem, in quo non apparet neque comprehenditur nisi quibusdam externis actionibus: Splendor vestis eius, signum est essentiæ suæ mysteriosum, atque indicium puritatis suæ, quæ illam valdè illustrem reddit: Stella quæ super caput eius refulget, nobis eius immortalitatem denotat, de qua infrà dicemus, illam siquidem per Stellam depingere solebant Ægyptij, vt docet Pierius. Alæ tandem, duas illas potentias, intellectum & voluntatem nobis repræsentant, quæ incredibilis sunt agilitatis in suis functionibus spiritualibus.

Pierius lib. 44.

Ex his omnibus clarè nobis innotescit quanta sit animæ nobilitas, nimirum quòd sit cœlestis, diuina, proles & propago Dei: ac proindè indignum esse si illa ad brutas cupiditates se abjiciat; quare eam debere diuinam, cœlestem & angelicam vitam agere, vt Deum patrem suum imitetur, ad eumque beanda redeat, vt ait Manilius,

Manilius lib. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

Refert S. Paulus Poëtam Aratum, qui aiebat: *Dei genus sumus*, id est opus Dei, propago seu proles, & eius filij per creationem; & ideò debemus illum imitari, ad ipsumque tanquam ad Patrem tendere & redire. Et id confirmat idem Apostolus: *In ipso inquit viuimus, mouemur & sumus*; & dat rationem, *quia dat omnibus vitam, inspirationem, & omnia*, hoc est gratiam, gloriam, & fœlicitatem æternam, si illam etiam per bona opera mereamur. Quòd si mysticè hæc intelligere verba velimus, dicemus nos supernaturaliter in Deo viuere per gratiam, moueri per charitatem, & alias virtutes; & tandem in eo esse per summam vnionem cum ipso, quâ diuinæ consortes naturæ facti sumus, noua & supernaturalis creatura & vitâ æternâ digna.

Paul. act. 17.

Paul. loco cit.

CAPVT III.

De Immortalitate animæ rationalis.

EX eo quòd anima rationalis sit ad imaginem & similitudinem Dei efformata, vt suprà fusè diximus, colligere & concludere possumus, ipsam etiam Deo in Immortalitate suo modo assimilari, & sic perennem ac perpetuam remanere. Quemadmodum enim Phydias effigiem suam nonnisi in scuto Mineruæ pretiosissimo, quod æternum fore putabat, includere voluit: ita non decuit Deum imaginem

Anima est Immortalis.

ginem suam in anima rationali imprimere si caduca & mortalis esset; etsi autem non liceat homini Christiano de illa immortalitate dubitare, cùm id sacrarum paginarum oracula, Conciliorum decreta, & sanctorum Patrum auctoritates, apertè satis testentur, & illâ sublatâ ruant præcipua Christianæ fidei fundamenta; nihilominus tamen ad maiorem fidei illustrationem, & ad quorundam impiorum cœcitatem conuincendam, illam multis auctoritatibus Ethnicorum necnon sacræ scripturæ, Sanctorum Patrum, Conciliorum, multisque rationibus comprobabimus.

SECTIO I.

Nonnullorum animæ immortalitatem negantium cœcitas confutatur.

MIRANDA profectò venit eorum cœcitas, qui dixerunt animam hominis esse mortalem & cum corpore interire; de quibus ait Sapiens: *Dixerunt impij apud se non rectè cogitantes, exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus quasi non fuerimus.* In quibus verbis tria proponunt; Primum, cùm dicunt, *Exiguum est tempus vitæ nostræ:* Et hæc prima propositio vera est quoniam habetur in Sapientiæ libro: *Homo infirmus & exigui temporis;* Secundum, cùm aiunt, *Non est refrigerium in fine hominis,* quasi dicerent, quantumcumque homo benè ac iustè vixerit, bonis operibus abundauerit, & à voluptatibus huius sæculi abstinuerit, nihil illi tamen post mortem retribuetur pro merito: hoc apertè falsum est, nam Hieremias scribit: *Ambulate in via recta vel iusta, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Et in Sap. libro: *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Item in psalmis dicunt iusti & electi: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Tertium quod proponunt est similiter falsum, *Non est agnitus qui reuersus sit ab inferis,* quibus verbis locum pœnæ & tormentorum negant, quasi dicerent: si aliquis talis esset locus, illi qui ibi puniuntur reuerterentur ad nos, & de suis pœnis certiores facerent, istud inquam, est impium, & stultè illud dicunt. Nam apud S. Lucam scribitur: *Chaos magnum firmatum est inter nos & vos, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Et hoc etiam de lege communi

Sap. 2.
Eorum qui animæ immortalitatem negarunt cœcitas.
Sap. 9.
Hier. 6.
Sap. 4.
Psal. 65.
Luc. 16.

falsò loquuntur, Christus enim ab inferis resurrexit, & Lazarus atque quidam alij. Similiter talem horum impiorum stultorumque, animæ immortalitatem negantium cæcitatem, sequutus est Epicurus Xenocratis discipulus, homo nec etiam mediocriter instructus, vt notant sancti Augustinus & Hieronymus, quia tamen corporis voluptates contra omnes Philosophos docebat, plures habuit sequaces: contra quem scribunt Seneca [a] & Cicero. [b] Si quis autem scire velit quo scripturæ loco suum fulciant errorem, quòd anima sit mortalis. Respondemus illum firmare ex libro Ecclesiastes: *Vnus est interitus hominis & Iumentorum, &c.* Sed benè aduertit S. Thomas, Sapientem ibi loqui in persona impiorum, qui omni curâ de futuræ vitæ statu depositâ, tantùm de præsentis vitæ voluptatibus cogitant: vel dicendum Salomonem loqui de interitu corporali quantum ad corpus & vitam animalem, hoc enim modo corpora hominum moriuntur & corrumpuntur, sicut & corpora iumentorum, cùm illa sicut ista de terra facta sint, & in terram pariter reuerti debeant. Dum autem idem Sapiens de animabus hominum sermonem instituit, hæc habet: *Iustorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, & existimata est afflictio exitus illorum, illi autem sunt in pace; & si coram hominibus tormenta passi sunt; spes illorum immortalitate plena est.*

SS Aug. & Hieron.
a Lib. de diuin. prouid.
b De repub. & de senect.
Eccl cap. 3.
S. Thom. 1 p. q. 75. art. 6.
Sap 3.

SECTIO II.

Ethnicorum sententiis probatur Animæ immortalitas.

CONSTANS est omnium sapientum Ethnicorum & Philosophorum sententia, animam humanam cùm spiritus sit simplex, natura sua esse immortalem, neque cum corpore interire sicut brutorum animæ, cùm in se etiam aliquid non habeat vnde distrahi vel interire possit. Ipsi ergò Ethnici apud quos vel vmbra fuit aliqua cognitionis cultùsque veri Dei, etsi exempla vel saltem pauca & valdè obscura, de huius animæ immortalitate habuerint, per certas tamen inspirationes Dei, hanc opinionem firmam esse statuerunt, vnde corpora è quibus erant separatæ animæ, & quæ iam mortis erant prædæ, sepulturis & exequiis honorarunt, sperantes illa aliquo tempore denuò ab ipsis animabus assumenda & viuificanda. Prodeat in medium egregius Philosophus Pythagoras qui hanc doctrinam in sua schola ita est professus, vt teste Eugubino suos hortaretur disci-

Ethnici animam esse immortalem nouerunt.
Eugub. lib. 9. de perenni Philosophia.

pulos ad domandas suorum corporum passiones, atque illa veluti currus plurimis instructos rotis regere discerent, quò gloriosè ad veram immortalitatem peruenirent. Ita Plethon Philosophus ipsam animam immortalem dixit in corpus tamen mortale contrusam, mortalis speciem gerere; sed & alibi diuinos cœlestesque annos tradit esse. Sic Maximus Tyrius Philosophus: *Animus*, inquit, *rationalis, est immortalis, quod certè nemo inficiari potest, huic necessarium est intellectiones ac scientias rerum ex æternitate inesse*. Et apertiùs iterum: *Hoc*, inquit, *quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitatis initium, & futuræ vitæ procreatio, pereuntibus scilicet sua lege suoque tempore corporibus, animis verò ad proprium locum propriamque vitam abscedentibus.*

Plethon lib. naturalium quæstionum.

Tyrius serm. 28.

Serm 25.

Plotinus autem loquatur nunc de eadem immortalitate Animæ. Ab illo discemus agente de eductione animæ à corpore, ipsam à loco illo corporeo in alium locum emigrare, & per consequens aliam vitam adipisci corporis non obnoxiam solutionibus. Et idem docet animas post discessum à corporibus se se mutuò cognoscere & alloqui, sed non mediante voce, cùm puri sint spiritus, sed ex conscientia & ordine, voluntate per se patente, veluti & inter viuentes nutu voluntates interdum manifestantur sine voce; Quod & fortiùs idem comprobat Alcinous, eamque animam immortalem esse, argumentis & rationibus ostendit libro de doctrina Platonis. Proclus etiam in Commentarijs in Alcibiadem primum Platonis, animas putat immortales easque post corporis interitum superstites viuere. Iamblychus item de mysteriis Ægyptiorum, animam esse perpetuam & diuinam, per se viuentem, & post solutionem corporis remanentem, sæpissimè repetit.

Plotinus Enneade 1. lib. 9.

Ennead. 4. lib. 3. c. 18.

In eadem En. 4. lib 4. c. 5.

Lib. de doct. Plat. c. 25.

Proclus.

Iamblychus.

Eandem confirmant sententiam insignes Philosophi Plato, Aristoteles, & alij, & in primis ipse Plato in suo Timæo, satis superque eandem supponit immortalitatem dum sæpè de fœlicitatis æternitate aut de punitione quæ virtutem aut vitium hac in vita sequuntur differit. Idem Plato librum composuit, vbi de hac animæ immortalitate eruditè admodum disputat; quem cùm legisset Cleombrotus se præcipitem è turri in mare dedit, atque è vita ad eam quam credidit meliorem, emigrauit. Idem etiam Plato in Critone, asseuerat animas separatas multò perfectiùs quàm in corpore videre. Rursum in Phædro ait: *Anima immortalis est, quæ semper à seipsa mouetur*. Et ita multis aliis in locis quæ breuitatis causâ hîc referre non est opus.

Quoad Aristotelem, etiamsi aliqui dubitent an non erit animæ rationalis immortalitatem, quia vt aiunt, nihil manifestè de ea de-

clarauit; habemus tamen satis aperta testimonia in suis libris quibus illam asseruisse, conabimur euincere. In primis ex eo quòd scribit in libris Ethicorum ad Nicomachum: *Oportet*, inquit, *non quemadmodum monent quædam humana sapere cùm simus homines; aut mortalia cùm simus mortales, sed quoad fieri potest immortales nos ipsos facere: cunctaque efficere vt ea vita viuamus, quæ ab eo manat quod est eorum quæ in nobis sunt præstantissimum.* Idem lib. primo de Anima docet intellectum humanum diuinum esse, atque interitus & passionis expertem. Ita quoque lib. 2. de Anima, docet aliquod esse animæ genus quod ab alio separatur sicut perpetuum à corruptibili; vbi dubioprocul de anima rationali loquitur, quæ præ reliquis excellentior est, & proindè perpetua & immortalis, cùm reliquæ tamen interire possint; Et libro 2. de Generatione asserit mentem extrinsecùs aduenire: hoc est diuinitùs creari & non educi è sinu & gremio materiæ, quod & multi alij censuerunt quos refert Collegium Connibricense. Idem Aristoteles libro de Moribus, spiritus humani excellentiam considerans, ait eius operationes illum Deo similem reddere, & virum sapientem qui virtutum sublimium contemplationi occupatur, atque se suprà res naturales eleuat, singularem quandam affinitatem cum diuinitate acquirere: quibus verbis satis innuit hanc spiritus humani immortalitatem. Sic idem pluribus alijs in locis; Vide Scotum in 4. dist. 43. quæst. 2. num. 1. qui multa quidem loca Philosophi adducit pro immortalitate, & ea soluit.

Arist. lib. 10. Ethic. c. 7.

Idem lib. 1. de Anima c. 4. 2. de An. tex. 21

Lib. 2 de Gener. c. 3.

Colleg. Connib. tract. de An. separata disp. 1. art. 1. Arist. lib. de Moribus.

Epictetus aiebat rationales animas esse quasi substantiæ diuinæ particulas & exemplaria, quæ à mortalibus exutæ corporibus ad suum redibant principium, se seque ei reuniebant, quo fœlici æternitate fruerentur.

Epictetus.

His suffragatur eloquentiæ princeps Cicero scribens aduersùs quosdam Philosophos, qui animæ humanæ immortalitatem negabant, & alijs nonnullis inclytis Philosophis eam astruentibus, contradicebant; ait enim: *Plus ad me antiquorum valet auctoritas, vel maiorum nostrorum qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent si iudicassent animam simul cum corpore interire.* Et lib. de Senectute in fine. *Quòd si in hoc erro, quòd animos hominum immortales esse credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem quo delector dum viuo, extorqueri volo, sin mortuus (vt quidam minuti Philosophi censent) nihil sentiam: non vereor ne hunc errorem meum mortui Philosophi irrideant.* Eandem immortalitatem crediderunt Insulani Vtopienses, de quorum republica scripsit Thomas Morus, inter cætera adijciens Vtopum eius gentis primum fundatorem, sanctè & seuerè vetuisse, ne quis vsque adeò ab humanæ naturæ di-

Cicero lib. de amicitia.

Cicero lib. de Senectute.

Thomas Morus lib. 2. Vtopia.

gnitate degeneraret, vt animas quoque interire cum corpore, aut mundum temerè ferri sublatâ prouidentiâ existimaret; quòd putauerit hac opinione imbutos facilè leges & omnia contempturos, nihil post mortem de vita sperantes. De Thracibus autem Herodotus testimonium conseruauit, qui nusquam eos in natiuitate, sed in obitu lætari tradit solitos, quod tunc animam à malis vitæ liberatam, & in fœlicitatem transire, & ita fœliciùs post mortem viuere existimarent. Galli etiam sub Druydibus degentes, immortalitatem animæ professi sunt, vt testatur Iulius Cæsar [a], & Valerius Maximus [b] qui de ijsdem ita scribit: *Vetus mos Gallorum occurrit, quod memoria proditum est pecunias mutuas quæ ijs apud inferos redderentur dare, quia persuasum haberent animas hominum immortales esse.* Et in hoc, suæ pietatis ratione, cunctis quanquam idololatræ extiterint, admirationi fuêre. Arabum similem immortalitatis sententiam fuisse, auctor esse potest eius gentis Auicenna [c] qui sic scribit: Cùm anima liberabitur à corpore, & ab accidentibus corporis, tunc poterit coniungi intelligentiæ agenti quam vocant Deum: Et idem [d], Anima à corpore separata clariùs videbit veritatem quàm coniuncta. Illi subscribit Algazel [e]: *Cùm anima*, inquit, *fuerit separata à corpore, durabit vna cum suo intellectu.* De aliarum etiam Gentium cum superioribus consensu in immortalitate, meminit Pausanias [f]: *Enimuerò*, inquit, *primos omnium Chaldæos & Indorum Magos, memoriâ prodidisse noui, animos hominum esse immortales, assensi deinde sunt eis, tum alij Græcorum, tum Aristonis filius Plato.* Scribit & Porphyrius ad Boëthum conuenisse homines in asserenda animæ immortalitate, & ipse eorum opinionem approbat. Idem consensus Arcadum, vt habet Ælianus [g], refert enim inter illos Cercidam ciuem Magalopolitam morientem dixisse familiaribus suis se non ægrè mortem obire, sperare enim se conuenturum ex Philosophis Pythagoram, ex Historiographis Heccatheum, ex Musicis Olympum, ex Poëtis Homerum. Seneca item eadem sentit [h]: *Mors*, inquit, *quam pertimescimus & recusamus, intermittit vitam non eripit, veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent nisi oblitos reduceret.* Et iterùm de morte fratris Paulini loquens: *Fruitur nunc*, inquit, *fratris mei animus aperto & libero cælo, non perdidit lucem, sed securiorem consequutus est vitam; omnibus nobis commune est iter, quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit:* his omnibus est addendus Philo Iudæus qui docet verum diuinitatis symbolum quod in homine est, consistere in immortalitate animæ, de qua quidem suæ maiestatis palatium vel magnificam ciuitatem constituit, vt docet Psaltes Regius: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.*

Her. l. lib. 5.
a *Lib. 6. comment.*
b *Lib. 2. c. 1.*
c *Parte 5. naturalium.*
d *6. parte.*
e *In comm. in lib. Physic.*
f *Lib. 4. in Messenicis.*
g *Lib. 13. de varia histor. cap. 10.*
h *Lib. 5. Epistolarum epist. 36.*
Lib. 1. de breu. vitæ.
Psalm. 86.

Sed quomodo quæso, corruptibilis & mortalis dicenda erit, si in ea commorari elegerit & velit Deus immortalis? Et ita Trismegistus, Xenocrates, Plutarchus, Themistius, Quintilianus, & penè innumeri docuerunt, cùm id etiam crediderint Hebræi, Chaldæi, Persæ, Medi, Babylonij, Ægyptij, Arabes, Æthiopes, Scytæ, Græci, Romani, &c.

SECTIO III.

Animæ immortalitas ex Sacra pagina probatur.

Ex scriptura ostenditur animæ immortalitas. HÆc vera de immortalitate animæ sententia cùm sit de fide, ex multis etiam Scripturæ Sacræ testimonijs probari potest; quorum pauca tantùm hic recensere volumus, non enim ad Atheos & Ethnicos contrarium negantes conuincendos valent. A Psalte Regio igitur initium sumimus, ipse enim ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis requiescet in monte sancto eius? innocens manibus & mundo corde, &c.* (Psalm. 23.) Ibi mentio fit de futura vita & fœlicitate acquirenda, quæ obtineri non potest, nisi priùs deponatur hoc mortale corporis tabernaculum. Idem adhuc clarissimè: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psalm. 83.): laudare eum in sæcula sæculorum huic corporali vitæ conuenire nequit, cùm vix vel rarò non sæcula sæculorum, sed ne vnum quidem sæculum videat, sæculum namque spatium centum annorum est, vt legimus apud Festum: (Festus Varro.) Sæculum vt placet Varroni quasi senium dictum, senium autem hominis non potest communi viuentium vita, porrigi ad centum vsque annos.

Id pariter confirmat Salomon in libro Sapientiæ, ibi enim habet: *Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum,* (Sapien. 5.) quibus verbis animæ immortalitatem satis declarat, cùm homines quantumlibet iusti in hoc præsenti sæculo non semper viuant, & proptereà expectent necesse est aliam vitam, in qua perpetuò viuentes suorum bonorum operum mercedem accipiant. Idem in Ecclesiaste: *Reuertetur,* inquit, *puluis in terram suam vnde erat, & Spiritus ad Deum qui illum dedit.* (Eccles. 12.) Et in Ecclesiastico: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* (Eccles. 12.) Illud etiam probat Tobias, is enim cùm pietas & spes quibus Deum colebat, ei à quibusdam exprobrarentur, respondit illos increpans: *Nolite ita loqui quoniam filij sanctorum sumus: & vi-*

tam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui nunquam fidem mutant ab eo. Et idem loquens ad filium suum aiebat: *Fili mi, cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli*: dixit, *cùm acceperit*, docens per hoc non mori animam, sed à Deo accipi. Tob. 4.

Succedit Eleazar Scriba, primus & ætate & virtute inter pios Israëlitas, is enim cùm in persecutione Gentilium ad transgrediendа legis præcepta cogeretur, videlicet ad carnes porcinas edendas, noluit nec blanditiis, nec suppliciis de illis edere, & sic se à morte liberare, quanquam illum rogarent aliqui etiam ex Israëlitis, sed dixit se præmitti velle in Infernum, ne senior peccandi exemplum iuuenibus etiam simulando daret; Et addit: *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.* Ipsum in confessione & constantia Eleazarum sequuti sunt septem vnius matris filij cum matre fratres, in defensione mandatorum Dei & legum paternarum milites & martyres; quorum secundus ad supplicium raptus à tyrannis gentilibus sic animæ immortalitatem asseruit dicens: *Tu quidem ô Tyranne scelestißime in præsenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et eandem professi sunt fidem reliqui cum matre filij, coram ipsomet persequutore Antiocho. Legimus quoque Iudam Machabæum duodecim millia drachmas argenti Hierosolymam misisse, fuisseque pro peccatis mortuorum militum oblatas, qui quidem in acie educta à Machabæis contrà Gorgiam præpositum Idumeæ occisi fuerant; quia quamuis hi peccassent, tamen cum pietate dormitionem id est mortem acceperant, & vt dicit sacer Textus, id præstitit Iudas, *iustè & religiosè de resurrectione cogitans*, & per consequens animam superstitem post corporis dissolutionem, cum reliquis fidelibus credens. Credidit & Saül post mortem animas viuere, vt satis testatus est dum ad Pythonissam refugiens, postulauit vt sibi Samuëlem suscitaret. Vnde apud Ecclesiasticum habetur: *Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit ei finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in Prophetia delere impietatem Gentis.* Propheta Helias satis etiam dictam animæ immortalitatem ostendit dum suscitaturus hospitis suæ filium, expandit se, atque mensus est super filium tribus vicibus, & orando ait: *Domine Deus meus reuertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius: & exaudiuit vocem Heliæ, & reuersa est anima pueri intrà eum & reuixit.* Quibus verbis nobis innotescit animam à corpore esse separatam, & alibi sine corpore viuam subsistere, cùm eius oratione reuersa fuerit. His addatur quod habet Daniel in sua Prophetia: *Multi de his qui dormiunt, in-*

2. Mach. 6.
2. Machab. 7.
2. Mach. 12.
Eccles. 46.
3. Reg. 17.
Daniel. 12.

quit, *in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Non desunt plures aliæ Veteris Testamenti authoritates, ipsius animæ immortalitatem comprobantes, sed suprà allatæ sufficiant, & iam eas Noui Testamenti, quæ præcipuæ videntur, adducamus.

Matth. 22. Primò notari solent ea quæ habet Sanctus Matthęus, vbi refert Christum in hęc verba prorupisse: *Nolite,* inquit, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.* Sic Christus ipse, dictam tutatus est immortalitatem aduersùs Saducęos, qui & negabant resurrectionem, & vitam futuram, attulitque locum Exodi: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, &c.* eos viuentes post mortem esse demonstrans: *Quia,* inquit, *non est Deus mortuorum sed viuentium.* Idem Christus apud eundem S. Matthęum, prędixit peccatores in Iudicio à Deo relegandos in ignem æternum: *Ite maledicti in ignem æternum;* bonos autem, *in vitam æternam.* Accedat S. Lucas, qui Christum Dominum docet manifestè immortalitatem animæ post mortem, probasse ex historia de diuite quodam epulone & Lazaro paupere: *Factum est,* inquit, *vt moreretur mendicus,* ecce mortem corporis; *& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ;* ecce vitam animæ post mortem ipsius Lazari. Et de vita animæ diuitis epulonis ait: *Mortuus est & diues, & sepultus est in Inferno,* in quo ipsa eius anima viuit, sed vitâ miserrimâ. Idem Sanctus Lucas dicit eundem Christum ipsam animæ immortalitatem clariùs ostendisse, exemplo villici iniquitatis adducto, qui sibi comparat amicos de bonis Domini sui, & tandem concludit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* hoc est de diuitiis. quæ sic nuncupantur quia ordinariè ab iniquitate descendunt, aut per eam acquiruntur, inquit Iansenius: *Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quod verum non esset, nisi anima post mortem corporis, aliud haberet receptaculum nunquam cum ea interiturum.

Loco cit. S. Matth. — Exod. 3. — Matth. 25. — Luc. 16. — Loco cit. S. Luc.

Ioan. 3. 5. 8. 11. 12. & 18. &c. Sæpè etiam apud Sanctum Ioannem in suo Euangelio, habetur mentio de vita æterna, & quòd credens in Deum, & eius Filium Iesum Christum, etiamsi mortuus fuerit, viuet: Quibus verbis promittit æternam fœlicitatem animæ, quam non posset anima assequi, si illa non superesset post egressionem à corpore, nihil enim qualitates aliquas suscipit, si non existat.

Sanctus Paulus post vitæ huius terminum, vitam aliam se expe-
2. ad Tim. 4. ctare testatur, dum ait: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis*

meæ

meæ instat; bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius: Et rursum: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Item in Epistola secunda ad Corinthios: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam sed æternam in cælis.* 2. Cor. 5.

Audiatur & Sanctus Petrus, animam suam post corporis mortem superstitem & memorem dicens: *Iustum existimo quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi; dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt omnium horum memoriam faciatis.* Epist. 2. cap. 21.

Sanctus præterea Stephanus Protomartyr, hanc immortalitatis spem dum à Iudæis lapidaretur, præclarè est protestatus, læto quippè animo positis genibus dixit: *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Act. 7. Extat denique in Apocalipsi Sancti Ioannis de viuentibus animabus interfectorum, testimonium: *Et cùm aperuisset*, inquit, *sigillum quintum, vidi subtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, vsquequò Domine Sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Quamplures alias authoritates Sacræ Scripturæ omittimus, his allatis quæ præcipuæ & clariores videntur, contenti. Apoc 6.

SECTIO IV.

Probatur animæ immortalitas, auctoritatibus Sanctorum Patrum, ac Conciliorum quorumdam.

NONNULLAS Sanctorum Patrum auctoritates animæ immortalitatem clarè comprobantes nunc adferamus, si enim singulorum Patrum Sententias hîc inserere vellemus, volumen in immensum excresceret. Ordiamur autem ab antiquioribus, ac primùm ab Apostolis, quorum Confessio fidei inter cætera hæc habet

Ex SS. Patribus & Cōcilijs probatur animæ immortalitas.

ex S. Clemente in suis Constitutionibus Apostolicis[a]: *Nos animam incorpoream & immortalem affirmamus, nec interire eam sicut corpora, sed perpetuò manere vt rationis participem, &c. libertate præditam.* Hic autem Sanctus Clemens erat Petri & Pauli dignus auditor, vt scribit Sanctus Ignatius.[b] Idem Sanctus Ignatius scribens ad Magnesianos[c] ait: *Mortuos iudicandos esse, & secundùm ea quæ hîc fecerunt vel præmium vel pœnam accepturos*, quod idem sæpè in reliquis suis Epistolis inculcat, vt ad Trallianos & Tharsenses, quas prætermitto. Eadem fuit confessio S. Polycarpi & S S. Martialis & Clementis. Sanctus quoque Ireneus[d] docet animas esse immortales, sed creatas à Deo.

a Lib. 6. Const. Apostol. cap. 21.

b Epist. 4. ad V Deiparam.

c Epist. 6. ad Magnes.

d Lib. 2 contra hær. cap. 65.

Prodeat quoque in medium S. Gregor. Nyssenus[e]: *Si anima*, inquit, *non est quod corpus natura dissolubile & corruptibile vt monstratum est, neque qualitas neque quantitas, aut aliud quicquam eorum quæ intereunt, vt docuimus, immortalem existere perspicuum est: extant autem apud Platonem & reliquos complusculæ immortalitatis eius demonstrationes, &c.* Idem Sanctus Gregor.[f] hoc illud docet exemplo & auctoritate Ethnicorum. Item Sanctus Athanasius Alexand. Patriarcha[g]: *Vt corpus*, inquit, *mortale, mortalia suis sensibus contemplatur, ita quoque immortalia contemplantem animam, necessariò est eam immortalem esse & perpetuò viuere.* Sanctus Cyrillus etiam Archiepiscopus[h], sæpiùs repetit immortalem esse animam. Sanctus Augustinus pariter,[i] lib. de Spiritu & Anima, & alibi sæpè animam esse immortalem, & ad Dei imaginem factam pronuntiat. Et Sanctus Ambrosius[k] lib. de Bono Mortis cap. 10. item lib. 2. de Abrahamo Patriarcha: *Mortuo homine*, inquit, *corpus corrumpitur, sensus pereunt, & vox corrumpitur, remanet mens immortalis incorpoream vitam recipiens.* Sanctus Cyprianus[l] lib. de Resurrectione Carnis, docet corpus nostrum nihil aliud esse quàm indumentum, à Patre nostro Cœlesti animæ concessum, dum illam in hunc elementarem mundum transmittit; quo quidem confracto & corrupto, in suam redit domum, vbi pretiosa veste immortalitatis gloriosæ operitur & exornatur. Cassiodorus denique[m] notat hunc terminum, *Anima*, qui aliquid à carne & sanguine discretum sonat, satis nobis indicare formam substantialem hominis esse immaterialem, & proindè immortalem; quod enim immateriale est & spirituale, nec è sinu & gremio materiæ educitur, sed à Deo creatur, corrumpi non potest, cùm materia principium sit corruptionis. Non desunt multi alij plurimis idem probantes.

e Lib. 2. Philosophia de Anima cap 9.

f Lib. 8. Philosophia, &c.

g In orat. contra idola.

h Catechesi 4.

i S. August.

k S. Ambr.

l S. Cypr.

m Cap. 1. de Anima.

His addere debemus Apostolorum Symbolum, & quædam Oe-

cumenica Concilia. Quod spectat ad Symbolum, in fine, carnis resurrectio & vita æterna inseritur; & illud symbolum est datum omnibus Christianis pro tessera fidei creditæ & prædicatæ in vniuerso orbe, & ita creditum vbique hactenus. Si igitur de carnis resurrectione & vita æterna in eo fiat mentio, animæ immortalitas ex eo satis probatur. Quod ad Concilia attinet, Sacram Synodum Nicænam vniuersalem habemus, vbi fides de venturo sæculo renouatur, cui subscripserunt omnes Episcopi qui aderant, imò posteà Chrysantas & Musonius Episcopi iam vita functi qui interfuerant Synodi tractationi & conclusioni, sed ante subscriptionem è vita migrauerant, vt refert Nicephorus, etiam subscripserunt; reliqui enim Episcopi subscripti, ad sepulchrum eorum accesserunt cum scripto, & tanquam ad viuentes loquuti sunt: *Bonum certamen Diui Patres nobiscum decertastis, cursum peregistis, fidem seruastis: si igitur obtinere censetis id quod à nobis actum est; quoniam nunc nullo interposito obstaculo, Trinitatis splendore illustrati, clariùs id perspicitis, opus est vos nobiscum libello subscribere.* Quibus dictis libellum obsignatum ad tumulum eorum deposuêre, noctemque totam insomnem peregêre, & postridiè ad eum locum rediêre, & signa inuiolata inuenientes, libello explicato subscriptiones illorum reliquis insertas cognouêre recentes adhuc, in hæc verba conceptas: *Chrysantas & Musonius qui cum Patribus omnibus in sancta prima œcumenica Synodo Nicæna consensimus, quamuis corpore translati, manu tamen propriâ nos libello subscripsimus.* Hæc autem Sacra Synodus à multis consequentibus Concilijs approbata fuit. Plurima alia Concilia eandem animæ immortalitatem probantia missa facimus, & solùm hic addimus illam esse vlteriùs definitam in Concilio Lateranensi sub Leone decimo, ibi enim declaratum est animas rationales per se & essentialiter esse immortales, non quòd implicet illas à Deo in nihilum posse redigi, sed quia de facto in æternum conseruabit. Ita in Concilio Viennensi sub Clemente quinto, prout refertur Clementina 2. de Trinitate, & fide Catholica.

Lib. 8 cap. 18.

Concil. Later. Sess. 8.

Concil. Vienn.

SECTIO V.

Eadem animæ immortalitas rationibus probatur, & ad quam demonstrationem reuocari possint.

PRo huius quæstionis resolutione, est aduertendum demonstrationem duobus modis sumi: Vno modo largè pro omni discursu sufficienti ad rem aliquam persuadendam, sine formidine de opposito cuicumque benè disposito: & huiusmodi demonstratio passim in moralibus occurrit: Alio modo pressè pro illa quæ facit scire aliquid certò, necessariò & euidenter per discursum syllogisticum ad conclusionem applicatum, vt planè ostēdit Scotus ex Philosopho: *Scire* (inquit) *arbitramur vnumquodque simpliciter, cùm causam arbitramur cognoscere propter quam est, & quia eius est causa, &c.* Si primo modo spectetur demonstratio, certum est animæ immortalitatem demonstrari: non verò si secundo modo sumatur, & hoc est quod aliqui dicunt demonstrationem ipsius immortalitatis animæ non dari in rigore. Et hoc videtur ex S. Augustino desumendum, qui asserit difficilè esse viribus naturalibus animæ immortalitatem astruere & paucos ex Philosophis id assequutos fuisse: hoc autem non dixisset, si tenuisset eam demonstrari posse rigorosa demonstratione: & ideo si quæ fiant eiusdem demonstrationes ad ipsius animæ immortalitatem probandam, sunt sufficientes solùm & satis vrgentes moraliter loquendo, ita vt nullus est qui non assentiatur, si non sit valdè proteruus. Et hinc S. Chrysostomus de prouidentia, ait: *Qui dubitat de animæ immortalitate, etiam dubitare potest an in meridie dies sit.* His ergò suppositis & intellectis, sunt videndæ & examinandæ rationes demonstratiuæ saltem morales huius veritatis de immortalitate animæ.

Scot. in 3. dist. 24. ex Phil. lib. 1. post, text. 5.

S. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 8.

S. Chrys. hom. 4. de prouid.

Animæ Immortalitas rationibus probatur.

Prima ratio est ex Iacobo Magno in Sophologio: Anima intellectiua, inquit, est indiuisibilis; Ergò est incorruptibilis. Consequentia clara est, quia indiuisibile non potest alterari vel attingi ab aliquo corporali: Et antecedens patet per Aristotelem dicentem intellectum esse simplicem, immixtum, & perpetuum. Patet quoque ratione, quia anima intellectiua est locus specierum, vt ait idem Arist, si ergò species locum non occupant, vt deducitur, sequitur animam

3. de Anima.

3. de Anima.

in qua recipiuntur esse indiuisibilem, nam quicquid in aliquo recipitur, ad modum recipientis recipitur, ait Philosophus. Sed quòd species non recipiantur occupatiuè, satis patet; quis enim tam hebes est, vt dicat species seu conceptus humanos locum occupare? tunc enim dicendum esset virum multùm sapientem non posse sapientiorem fieri, quia sui conceptus totam animam suam occuparent, sicque noui conceptus superaddi non possent, quod dicere ridiculum est. Et ideò dicebat Auctor sex principiorum, quòd anima nullum locum occupat, & sic est incorruptibilis & immortalis.

Secunda ratio, Naturale desiderium frustrari nequit teste Philosopho, non enim quod naturale est temerè fertur vt idem ait; sed naturaliter omnes homines semper subsistere & viuere appetunt, Deus enim & natura immortalitatis appetitum in cordibus nostris impresserunt; at Deus & natura nihil agunt frustrà; ergò animam esse immortalem asserere necesse est. Confirmatur hæc ratio ex eo quòd tale ingenitum animo humano immortalitatis desiderium semper viuendi & subsistendi non solùm fit in seipso, verumetiam in ore & memoria apud alios. Et hinc antiquos tam sollicitos animaduertimus & attentos Mausoleis, Colossis, Pyramidibus, columnis, aliisque id genus monumentis erigendis, & post se relinquendis; vt ita sempiterna eorum fama & memoria apud posteros conseruaretur: quod quidem summum arguit desiderium immortalitatis, & cùm Deus & natura vt dictum est, nihil frustra agant, & sic cassum & inane non sit hoc desiderium, adimpleri aliquando debet; at non in hac vita vt experientia testatur: ergò postea in altera; sicque vt manifestè constans debet illi respondere animæ immortalitas. Quòd si verò quis contrà arguat, bruta etiam animantia mortem refugere, adeoque habere innatum desiderium semper viuendi; dispar assignari potest ratio; nam bruta quidem mortem horrent tanquam malum imminens, quemadmodum ignem & alia mala auersantur, at homo quamuis mortem timeat tanquam naturæ inimicam, mortem tamen sæpiùs appetit, & vitam hanc virtutis & alterius vitæ, atque etiam famæ post hanc vitam amore, euidenti periculo exponit, quod non solùm temerè & inconsultò, verumetiam frustrà (licet natura incitante) fieret, nisi alia vita superesset, alia autem vita superesse non potest, nisi anima post corpus superstes sit & immortalis. Ex hac etiam ratione & eiusdem confirmatione deduci potest simile argumentum, ex innato & naturali desiderio beatitudinis quam omnes omninò homines desiderant, quam tamen apprimè sciunt se in præsenti vita breui ac temporanea, consequi non posse; & ex consequenti post hanc vitam. Quapropter fœlicitatem post

3. de Anima. 2. Phys. 8.

Homines naturaliter viuere continuò appetũt.

mortem & posuerunt & desiderauerunt antiqui, & Christiani persequuntur: sic Ethnicis elysij campi, & Turcis paradisus voluptatis, Christianis gloria & regnum cœlorum Deique fruitio, pro fine beatitudinis constituitur. Hanc & rudes desiderant, hanc illiterati persequuntur, nullo alio doctore quàm propriâ animi naturâ edocti. Et eius gratiâ omnes etiam Barbari, & qui legem Dei non nouerunt, adfrugem vitæ comparandam, & in excolendis virtutibus laborarunt. Sola sanè hæc ratio si nulla alia esset, sufficere videtur.

Propter hominem cuncta creata sunt.

Tertiò, Finis semper est excellentior iis quæ sunt ad finem; sed homo finis est propter quem omnia creata sunt, ipsa autem in suo esse permanent, vt elementa, sydera, & alia; Ergò homo in omnibus partibus suis mortalis esse nequit. Et profectò quâ rationis lance considerare possumus naturam in genere esse perennem, cœlum & lumen eius esse inextinguibile; & naturam hominis cui hæc omnia tanquam ei inferiora & viliora inseruiunt & obsequuntur, mortalem esse & caducam? Si hæc ita essent, præpostera foret rerum series, seruire esset dominari præstantius, domus esset quid hospite nobilius, quod dici non debet. Ex hac ratiocinatione aliqui sequentem eliciunt. Vbi dantur extrema, ibi debet dati medium: sed dantur corpora quædam incorruptibilia vt sunt cœlestia & sydera: & dantur spiritus incorruptibiles cuiusmodi sunt Angeli: forma igitur illa quæ & spiritualis est & actus corporis cùm sit media inter vtrumque, videtur iure merito sibi immortalitatem vendicare. Deinde si in ordine creaturarum reperiatur materia prima incorruptibilis, ita quoque debet reperiri vltima forma etiam incorruptibilis, cùm non minùs sit de perfectione vniuersi; ipsa autem est anima rationalis.

Quartò, Motus cœlorum est causa generationis & corruptionis rerum: at rationalis anima huic motui non subjicitur; & ideò non generatur & corrumpitur, ac per consequens immortalis & incorruptibilis remanet. Quòd autem tali motui non subjiciatur clarissimè constat, nam creatura superior & dignior, nullâ ratione est naturaliter inferiori & minùs nobili subiecta; sed anima est cunctis cœlis naturâ nobilior & dignior, cùm cœli esse solum habeant, ipsa verò esse & intelligentiam simul.

Quintò, vbi in rebus elementorum contrarietas reperitur, ibi etiam corruptionem & alterationem reperiri necesse est; at verò ita est quòd anima intellectiua nullam elementorum contrarietatem patitur, intelligit enim ignis, aquæ, aëris, caloris, frigoris &c. naturam, absque vlla alteratione aut passione: Satis ergò euidens est ipsam esse incorruptibilem & immortalem; è contrà corpus est corrup-

tibile, si enim experiri velit aliquid esse calidum, frigidum, dulce, amarum, oportet vt alteretur & patiatur, vt experimento constat. Confirmatur hæc ratio; nam si anima esset corruptibilis, aut à se, aut ab alio, aut à nullo; non à nullo, quia à nullo nihil corrumpitur: non à se, quia nihil naturaliter appetit non esse, nec ab alio, quia nihil animæ est contrarium: ergo anima non potest corrumpi. Ostendo quia esse reale non corrumpitur, nisi per aliquid quod habeat etiam esse reale, quia à nihilo nihil fit: si ergo anima corrumperetur, ab aliquo deberet corrumpi, vel ergo à superiori virtute vel ab inferiori, vel æquali: non à superiori virtute, quia solus est Deus, qui est causa efficiens & nunquam deficiens: non ab inferiori, quia inferius in virtute non potest præstantius in virtute corrumpere; nec ab æquali, quia ad corruptionem inferendam requiritur agens cum prædominio: ergo nullatenus corrumpitur & per consequens est immortalis.

Sextò, ex precedentibus rationibus potest ista elici, Quod est simplex, intelligens & spirituale, illud est immortale seu incorruptibile; atqui anima rationalis vt pluriès diximus, est huiusmodi; ergò est incorruptibilis seu immortalis. Maior vltrà prædicta probatur, nam quod est spiritale, nec habet materiam quæ est principium corruptionis, nec ex eius potentia educitur, proindéque corrumpi non potest. Deinde, quia cùm spirituale sit independens à materia, hinc fit vt à materia separatum per se subsistat. Et denique cùm non constet partibus physicis nempè materiâ & formâ, quæ à se inuicem sunt separabiles, sed tantùm metaphysicis, nempè genere & differentiâ quæ à se realiter non differunt, hinc fit vt illud quod spiritale est, sit quoque immortale seu incorruptibile. Minor etiam huius syllogismi probatur; nam facultates animæ rationalis, putà intellectus & voluntas, sunt omninò spiritales, feruntur enim in obiecta spiritalia; Ergò anima à qua profluunt debet quoque esse spiritalis. Hinc Christus in cruce Patri suo æterno animam suam commendans aiebat, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Confirmatur ratio *Luc.23.*
primò, ex eo quòd nos experimur, eò melius intelligere quo mens magis separatur & eleuatur à materia. Confirmatur secundò, ex eo quòd animam nostram esse immaterialem ac spiritalem, multis modis cognoscimus ex effectu. Primùm quòd operationes habeat cum immaterialibus substantijs communes earumque duntaxat proprias, intellectionem inquam & volitionem; ergo & substantiam similem & communem. Deinde quòd conuertat se in seipsam, intelligit enim & amat seipsam suasque operationes, quod nulla materialis & corporea substantia potest. Et denique quòd propriam & abstractam habet operationem in qua corporeo non vtitur organo; igitur potest

separata ab organis corporeis operari, & per consequens est immortalis.

Septima ratio desumi potest à cognitione Dei quæ solis hominibus propriè inest, vt scribit Cicero, nemoque omnium tam immanis cuius mentem non imbuerit Deorum opinio: vnde omnes naturali quadam cognitione Deum venerantur, & semper etiam inter eos qui verum Deum non nouerunt, fuisse tamen aliquod numen & Deum constanter creditum est: atque Aristoteles cultum Dei inductum à natura fuisse, etsi modus colendi ex lege manauerit, profitetur. Semper itaque, & omni tempore & vbique, metus numinis in malis, preces fusæ, aræ extructæ, libamina, hostiæ, sacrificia, sacerdotia, templa extiterunt. Fieri autem non posse constat diuinitatem ab homine comprehendi, nisi per quandam similitudinem & proportionem intelligentis animæ ad Deum intellectum; sicuti neque per sensum aliquis alia sentire potest, quàm ea cum quibus naturalem quandam habet proportionem, non enim oculus capax est iudicij vel cognitionis, soni aut auditus, sed solùm coloris ad quem habet proportionem: ita auris de colore non iudicat, sed solùm de sono aut auditu, cùm ad hæc solùm habeat proportionem: Sic de gustu dicendum qui saporis capax est, & ad videndum vim nullam habet: & ideò intelligentia & cognitio de Deo qui immortalis, incorruptibilis & immutabilis est, alia esse nequit quàm immortalis, vt proportione aliqua ei quod esse intelligit, iungatur, prout confirmat idem Cicero: *Deus*, inquit, *qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi non potest, nisi mens soluta quodammodò sit & libera, & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno:* Vnde etiam Plotinus docet similitudinem quandam essentiæ rei intellectæ, in intellectu præexistere operæpretium esse; quamuis autem anima Deum intelligat, non sequitur exindè eam ipsum comprehendere, quia id neque Angelis datum est, neque creatura vlla est, quæ possit Deum sicuti est, plenè cognoscere, cùm incomprehensibilis & ineffabilis existat, & limitatam quælibet creatura habeat cognitionem & substantiam; sicque vt dictum est, proportione aliqua tantùm, Deum infinitum & immortalem per effectum & natura duce, nec-non in quantùm Sacræ nos docent litteræ, cognoscimus; quòd præstare nequaquàm possemus si mortalis esset anima nostra, quia sine diuino aliquo vinculo nulla est proportio per se mortalis ad immortale. Ex his formatur hæc ratiocinatio: Omne quod recipitur (ait Philosophus) ad modum recipientis recipitur, vt sicut suprà dictum est, oculus omne colorum genus conspicit, quia ad illa obiecta proportionem habet, & sic

1. Tuscul.

Homo naturaliter Deum cognoscit.

5. Ethic.

Loco citato.

Lib. 9 5. Enn. cap. 5.

ſic de alijs ſenſibus reſpectu ſuorum obiectorum; at verò anima noſtra etiam corpori vnita, independenter tamen à corpore res cognoſcit immortales, ſpiritales, & purè intelligibiles abſtractas à materia, putà Deum ipſum, nec-non & Angelos, immò ens vniuerſale quod eſt immutabile, abſque vlla ſenſuum ope aut organo corporeo, de hiſque diſcurrit: Euidens eſt igitur illam quoque eſſe immortalem, aliàs nequaquam iſta omnia intelligeret, quia materialis facultas id non poteſt, illa etenim certum & determinatum habet obiectum, quod ſolùm & non aliud percipit.

Confirmatur primò, ex eo quòd intellectus à vehementibus obiectis intellectibus non corrumpitur, quemadmodum vehementibus obiectis ſenſibilibus ſenſus, ſed magis confirmatur, & perſpicacior atque acutior ad intelligendum redditur, immaterialis agitur, & incorporea natura eſt, & proindè immortalis.

Confirmatur ſecundò: Accidere poteſt, vt in cœtu aliquo Doctorũ rorum quædam proponatur quæſtio, vel de Deo, vel de Angelis, & alijs à materia abſtractis, cuius intelligentia & reſolutio aliquem lateat; ſi verò poſteà in priuatis, multis ratiocinationibus ſe ſe circà illam quęſtionem applicet, & tandem eius reſolutionem aſſequatur, certum eſt cognitionem illam de nouo acquiſitam, eſſe à materia independentem, & proindè intellectualem ac ſpiritualem, & ex conſequenti aſſerendum eſt intellectum ſeu animam intellectiuam, eſſe in perpetuum formam ſubſiſtentem & immortalem.

Octaua, Intellectus humanus eſt infinitæ capacitatis, quia quo plura cognoſcit, plura adhuc poteſt diſcere, poteſt enim non ſolùm totum mundũ, ſed & omnia quæ in mundo ſunt, & fieri poſunt, atque omnium rerum perfectiones & gradus percipere, & tandem poteſt intelligere infinitum, & magnam perfectionem infinitam: Igitur in his ſe immortalem exhibet: ex horum autem enumeratione id nobis conſtabit. Res profectò miranda, humanum videre ſpiritum vniuerſam & vſque ad profundum ſcrutari omnium rerum naturam, eamque ad medullas vſquo (ſi ita fari liceat) penetrare: per inextricabiles etenim eſſentiarum labyrinthos ingreditur, definit, diuidit, diſtinguit, diſcurrit, ratiocinatur, naturas vniuerſales intellectu ſuo à ſingularibus ſeparat, numeros efformat, reſpectus, habitudines, ac proportiones diſponit, nec-non ordines & cuncta alia in rebus cognoſcendis ritè ac debitè appropriat & accommodat: ſuper Solis & temporum ſemitas aſcendit, curſum cæli notat, Aſtrorum periodos ac Solis & Lunæ eclipſes inueſtigat, & per maxima illa cœleſtia corpora quæ motus rapidiores ipſis ventis & fulminibus habent, ſuâ intelligentiâ prçuenit. Quòd ſi ad aëra deſcendat, ven-

Intellectus noſter quantæ ſit capacitatis in intelligendo.

torum, procellarum, ac tempestatum originem, & niuium, grandinum, pluuiarum, imbrium, fulgurum, &c. generationem, cum horum omnium proprietatibus & effectibus percipit: tum ad ima & cauernas terræ descendens, metallorum & lapidum pretiosorum productionem ibi mente conspicit: maria peruadit & trãsnatat, auium, piscium, reptilium, serpentum, herbarum, plantarum naturas & proprietates inquirit; & in summa vniuersum naturæ statum sua consideratione percurrit, & de omnibus differit à cedro Lybani vsque ad hyssopum. Scientias & artes tùm mechanicas adinuenit, regna ac respublicas incomparabili prudentiâ regit & moderatur: summa animi sagacitate & solertia ab ipsa leges conduntur, eius industria arma fabricantur, infirmitates & vulnera si accidant, adinuentis salutaribus medicamentis sanantur; commercia, nauigationes, & omnes industriæ mechanicæ, atque vt vno verbo dicam, mille alia ad vsum & commodum generis humani, ab eiusdem animæ rationalis scaturigine & inuentione prodeunt, & executioni demandantur. Hæc autem omnia quæ continuò fiunt, & tandiù perseuerant & permanent, non cognosceret aut perageret ipsa anima, si interitui obnoxia foret: iam verò si infinita est eius capacitas; ergo aliquando repleri debet, non in hac vita vt videmus; ergo posteà Deo videlicet infinito, & per consequens anima post separationem à corpore subsistit, estque immortalis.

Nona ratio: Voluntas nostra cuius verum obiectum est vniuersale bonum, velut cœli filia, in continua est inquietudine, si ad suum non recurrat principium, videlicet ad Deum bonorum omnium ornatum & fontem vberrimum, fœlicitatis suæ obiectum & finem vltimum, propter quem fuit condita, talem enim ad illum tanquam ad centrum suum & bonum, infinitam habet proportionem & tenden-

Voluntas nostra per amorem in solo Deo quiescit. tiam, vt per amorem in illo quiescat, non vltrà progressura, cùm nullis rebus creatis satiari & impleri valeat. Vt rectè docet S. Augustinus: *Anima*, inquit, *quam creasti, ita facta est capax maiestatis*

Lib. Soliloq. cap. 30. *tuæ, quod à te solo & à nullo alio possit impleri, quando autem te habet, plenum est desiderium eius, & iam nihil aliud quod desideretur exteriùs restat; cùm enim sis summum bonum & omne bonum, non habet quod desideret ampliùs, si possidet te omne bonum.* Et post pauca addit: *Licèt quod desiderat de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat nisi tu, ad cuius imaginem est creata, imples autem tu eos qui nihil aliud desiderant præter te.* Conformiter ad S. August. loquitur noster Harphius; *Quicquid Deo minus est,* inquit, *animam implere non potest, sicut enim anima vegetabilis appetit esse, & sensibilis appetit bene esse, sic anima rationabilis*

appetit optimè esse, nec vnquam quiescit donec optimo coniungatur. Quapropter vi amoris in Deum tanquam in centrum proprium mouetur, vt in ipso summè delectetur & quietetur. At verò talis summa delectatio & quies in hac vita non contingit; ergò in altera, vbi Deus videbitur, & ipso viso fructur voluntas, & per consequens est anima necessariò dicenda immortalis. Confirmatur ex eo quod Alphonsus Arragonum Rex, Panormitano referente de gestis eiusdem aiebat, dum reuoluens opera Senecæ Philosophi rogabatur, cur animus hominis ita esset insatiabilis, respondebat: *Ergò animus à Deo profectus non priùs conquiescit, quàm eò redeat vnde profectus est.* Ita olim Lucretius, *Panorm. de gestis Alphonsi.*

Cedit enim retrò de terra, quod fuit antè
In terra: sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursùm cæli fulgentia templa receptat.

Decima ratio à præcedentibus quodammodò pendere videtur, quòd scilicet velle & nolle sint liberæ actiones suprà sensum omnem & appetitum sentientem, immò potest aliquando voluntas rationalis, efficaciter obniti & resistere appetitui sensitiuo, non secùs ac ratio sensui interdum aduersatur: potest etiam voluntas auertere intellectum ne hoc vel illud cogitet: item in voluntate sunt virtutes & virtutum actiones, quæ nullo modo possunt esse in sensu & corpore, vt iustitia, spes, religio, reuerentia Dei, neque enim potest ferri appetitus sentiens in obiectum spiritale vt est Deus. Istis autem omnibus ipsius animæ immortalitatem detegimus, hanc siquidem agendi ex libertate rationem non nouit natura mortalis, ita enim determinato certarum actionum coërcetur exercitio, vt electione aliquid consectari nequeat; Superest ergò vt eligendi ratio, ab immutabili immortalique emanet scaturiatque principio. *Libertas in homine, est Immortalitatis Animæ indicium.*

Confirmatur hæc ratio ex eo quòd inter animantia solus homo obiectis quæ prosequutus est, fruatur, & eorum detegat & intueatur blanditias, iuxta vniuersalem illius omnis quod in eis est delectabilis notionem; alia autem animantia non sic, bono enim in suis obiectis contento sic oblectantur, vt ab incerta duntaxat & peculiari apprehensa in eo suauitate concitentur: Ergò satis constat, solam hominis animam non esse vt brutorum animæ, caducam & mortalem:

Vndecima ratio; Nulla facultas seipsam reflectens suprà se, est corporea, nam non potest corpus sibi superponi, nec vna pars super seipsam, alioqui daretur penetratio, sed facultates animæ conuertunt se in seipsas, Ergò non sunt corporeæ sed spiritales proindeque independentes à materia. Quòd si id dicatur de facultatibus, multò

potiori iure de anima dicetur. Quòd autem facultates illæ habeant eiusmodi reflectionem, patet; quia anima vult se velle, se intelligere, recordatur se intellexisse, intelligit & vult se reminisci; vnde intellectus conuertit se suprà voluntatem, & hæc suprà intellectum, & vtraque facultas suprà memoriam, sicut hæc suprà vtramque, imò vnaquæque suprà seipsam se reflectit: cùm igitur anima actiones suas habeat independentes à corpore & materia, argumento est eam immortalem esse.

Duodecima: Si anima hominis extingueretur cum corpore, paulatim quoque cum eo debilitari necesse esset, eiusque potentias extingui, nempe rationem, intellectum, & alia huiusmodi; at verò tantùm abest vt hæc cum corporis consternatione deficiant, quinimò etiam in corpore penè arido & iam senio fatiscente, ratio iuuenescit quia: *In antiquis est sapientia & in multo tempore prudentia,* ait Iob, ita vt tunc ipsa anima cum suis facultatibus magis præualet, & firmior ac efficacior est. Ita S. Paulus: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Et nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat, vt ait Alexander tertius Pontifex Max. *Vrgente deorsum conditione corporeâ, feruor spiritus in sublimiora conscendit.* Et Alphonsus Arragonum Rex, maximum argumentum ipsius immortalitatis animæ sibi videri dicebat, quòd corpus in hac vita decrescere ac omnia membra suos quasi fines & terminos habere videret, sensusque debilitatos, ac corporis vires fractas: animos verò quantò ad annos accederent, tantò magis intelligentia, virtute, & sapientia crescere. Ita refert Panormitanus. Quapropter Cicero quia maiorem animi firmitatem cognouit in senibus, labores quidem corporis minuere suadet, exercitationes autem animæ augere. Neque oportet nos diutiùs in probatione senilis sapientiæ immorari, cùm quotidiano erudiamur exemplo iuuenum prudentiam tantò inferiorem esse senum maturitate, quantò iuuenes membrorum & corporis firmitate senibus superiores sunt: Quo fit vt indubiè appareat aliam & distinctam à corpore esse animæ vitam, nec cum eo viuere vitâ corporali, neque cum eo corrumpi aut interire, & ideò ipsam post corporis interitum superstitem remanere.

Senio fatiscente corpore, magis viget animus.

Iob. 12.

2. Ad Corinth. 12.

Cap. 1. tit. 5. decret.

Lib. 4. de gestis eiusd. Regis.

1. Offi.

Decimatertia: Qui animam humanam & caducam & mortalem esse censent, sibi ipsis perduelles sunt, & infensissimi hostes, cùm ad nihilum reduci tendant, cuius iura & dominium vetant omnia, eiusque nesciunt leges, ipsi tamen lapidibus ipsis rudiores & stupidiores in ipsum nihili barathrum immergi conantur, dum hæc figmenta sibi vera persuadere volunt, nihil enim est in tota rerum natura quod quærat hanc nihili viam, imò cuncta & singula immor-

Animæ immortalitatem negantes, sibi ipsis hostes sunt.

talitatem cogitant, & nihili ſemitas abhorrent. Vnde tota natura perennis eſt & immortalis, cùm ſingula cuncta habeāt quid perenne & immortale: ergò homo cæteris omnibus immortalitate & perennitate prælucere debet, & potiſſimùm cùm in eo vigeat anima cui præcipuè competit Deum venerari & adorare; non corpori ipſius, niſi quatenùs nata ſunt ambo indiuiduum vnum conſtituere, quod Deo ſoli ſeruire & obſequi natum etiam eſt, & à Deo creatum ad gratias & laudes perenniter ei celebrandas & agendas: cùmque Deus ipſe immortales, perennes, ac perpetuas expoſtulet laudes, honores, & gloriam; immortalis, perennis, ac perpetuus eſſe debet, qui laudes has perenniter celebraturus eſt.

Decimaquarta ratio ſumitur ab animabus huc poſtquam à corpore ſeparatæ ſunt, ex alio mundo redeuntibus, vt Plato narrat de Ero Armenio, qui mortuus in prælio, duodecimo die reuixit, multaque de æterna vita animarumque gloria vel pœnis narrauit, de quo loquens Iuſtinus Martyr: *Non eſt* (inquit) *fabula, ſed vera hiſtoria.* Plutarchus etiam de Enarcho quodam narrat, qui tertia die poſt inferni pœnas viſas reſurrexit, vitamque optimam poſteà duxit. Valerius de Simonide etiam memorat, qui ab anima cuiuſdam cuius corpus ſepelierat, admonitus, ne nauim ingrederetur, naufragium euitauit. Plinius Iunior de quodam ſpiritu etiam mentionem facit, qui Athenis domum quandam conturbabat, cuius poſteà Philoſophus Arthenodorus ab eodem admonitus cùm cadauer ſepeliendum curaſſet, nuſquam apparuit. Denique ſacra etiam pagina mortuos à Prophetis, à Chriſto & ab Apoſtolis ſuſcitatos cōmemorans, idem confirmat. Apparitio etiam Samuelis Sauli loquentis, eiuſdem rei eſt argumentum; quod roborat etiam Moſis apparitio in monte Thabor, dum Chriſtus transfiguratus eſt: quare indubitatum permanet animas noſtras eſſe immortales.

Lib. 10. de repub.

Animæ ſeparatæ quandoque apparuerunt.

Valerius Max

Plin. Iunior.

Decimaquinta: Si anima non eſſet immortalis, & poſt hanc miſeram vitam non ſupereſſet, fruſtrà religio cultuſque Dei, fruſtrà Dei Filius incarnatus, & in hunc mundum miſſus, fruſtrà ieiunauit, fruſtrà legem dedit, fruſtrà paſſus eſt, fruſtrà baptiſamur, fruſtrà benè viuimus, fruſtrà à malis abſtinemus; & in ſumma fruſtrà omnis pietas, iuſtitia, cæteræque virtutes. Imò tolleretur diuina prouidentia & gubernatio vniuerſi, & probi homines non ſolùm improbis hominibus eſſent miſerabiliores, ſed etiam animantibus, quæ quia legem naturæ ſequuntur, finem tandem cuius gratia fiunt, obtinent. Præterea fruſtranea eſſent bona opera, fruſtràque admonitiones ad benè viuendum inſtituerentur, cùm tamen bonorum operum præmia non in hac vita, ſed in alia expectemus. Iuxtà id quod multis in locis

Fruſtrà bona opera & abſque præmio ſi anima cum corpore intereat.

vtriusque testamenti habetur, & maximè vbi cæli & inferni ęternæ vitæ ęternique supplicij mentio fit, & potissimùm apud Sanctum Matthęum, qui refert à Christo electos ad vitam æternam inuitari, & reprobos ad æterna supplicia condemnari. Explicatur: Indecens est Deo, vt eos qui pro tuenda Religione, cultu & gloria ipsius, se tormentis & ignominiosæ morti obtulerunt, post eam sine prę-mio vllo relinquat; è contrariò verò patiatur eorum occisores, vsurpatores bonorum, rerum publicarum euersores, blasphemos, adulteros, homicidas, periuros, prędones, &c. impunes, & de suis sceleribus gloriantes abire: Et hoc confirmatur ex eo quod de Frederico Imperatore refert Æneas Syluius, dùm enim in Austria obijsset vnus ex primoribus annum agens 93. qui vitam inter voluptates & illecebras absque vlla vnquam aduersa valetudine duxisset, & ei ignota omnis calamitas & molestia, nec-non mœstitia fuisset, idque Imperatori narraretur: & hinc (ait ille) immortales animas censere licet, nam si Deus est vt verè est, qui hunc mundum gubernat, cumque iustum nemo nisi iniustus negat, alia profectò loca sunt ad quæ post mortem animæ migrant, vbi pro meritis demeritisue mercedem pœnamue consequantur, hic enim neque bonis sua prœmia, neque malis pœnas, reddi videmus: *Hæc ille.* Ex his itaque satis liquidò patet ordinē diuinæ iustitiæ exposcere, vt multa bona quæ fiūt à mortalibus, & non possunt in hoc sæculo remunerari, in alio remunerentur, sicut etiam multa mala quæ non possunt in hoc eodem puniri, in alio puniantur, nullum enim bonum manet irremuneratū, nullumq; malum impunitū apud Deum, qui iustè iudicat: sed hoc accidere non posset, si ad interitum corporis interiret & anima, non igitur hac ratione interire dicitur; & relinquitur quòd immortalis & incorruptibilis censeatur: & est ipsa ratiocinatio quam in medium profert S. Chrysost. in hunc modum: *In hac mortali vita,* inquit, *impij sæpiùs prosperam agunt vitam, diuitijs affluunt, sanitate gaudent; boni verò & studiosi aduersa patiuntur, & multis malis premuntur, quæ non videretur æqua distributio & digna Deo prouidentia, nisi alia esset vita in qua improbi meritas pœnas luerent, iusti verò digna præmia reciperent; at si alia sit vita in qua Deus bonis & malis iusta retribuit, anima erit post corpus superstes & immortalis.*

Matth. 25.

Iniquos non puniri in hoc sæculo, animæ immortalitatem arguit.

Hom. 4. de prouid.

Nonnullæ aliæ possent adferri rationes ex probatissimis auctoribus depromptæ, sed supra allatæ præcipuæ sunt ad quas omnes aliæ reduci possunt. Vide si velis Toletum in lib. 3. de Anima, cap. 5. textu 20. quæst. 16. & Arriagam disput. X. quæ est de Anima separata.

At obijcies primò Scripturam Sacram, quibusdam in locis ani-

mam humanam esse mortalem asserere, vt apud Ezechielem; *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*, Et apud Sapientem Salomonem: *Os quod mentitur occidit animam.* Ezech. 18. Sapient. 1.

Resp. iuxtà S. Hieronymum in suprà dictum Ezechielis locum, hanc mortem animæ intelligi debere de eius morte per peccatum, & priuationem gratiæ & amicitiæ Dei, non verò quòd mortalis sit quoad substantiam: *Non moritur*, inquit, *Anima abolitione substantiæ, sed ex eius consortio qui dicit, ego sum vita*, Et item: *omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.* Ioan. 14. Ioan. 11.

Secundò Obijcies, id quod habetur apud Eccl. *Hominum & iumentorum similis est interitus, & æqua vtriusque conditio*: at dum intereunt iumenta, eorum animæ quoque intereunt: ergo idem iudicandum de hominibus. Respondeo, eundem esse vtriusque interitum quantum ad corpus, non verò quoad animam, anima enim brutorum cùm sit educta è potentia materiæ, interit simul cum corpore; at hominum anima non sic educitur, sed à Deo creatur, vt aliàs probauimus, & ideò non est par ratio. Deinde respondent Conimbricenses, ibi esse sermonem de interitu compositi non animæ, totus autem homo ita perit sicut iumenta, & tam nequit naturaliter sicut illa resurgere. Ecclef. 3.

Tertiò obijcies: Sophronius in 6. Synodo act. 11. & approbatur act. 13. à Concilio, ait animam immortalem esse, non per naturam sed per gratiam. Respondemus ipsum loqui de gratia largius, & sic comprehendit beneficium creationis & conseruationis.

Quartò obijcies Apostolum dicentem solum Deum esse immortalem: *Ipse est*, inquit, *Rex Regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.* 1 Tim. 6.

Respondemus primò, quòd si immortalitatis nomen ad rigorem ibi sumatur, erunt Angeli corruptibiles & mortales, quod est contrà communem Philosophorum & Theologorum sententiam: Dicendum est igitur, quòd sicut suprema Dei maiestas Regum terræ potestatem non minuit, sed potiùs auget; ita creatoris immortalitas non solùm creaturis intellectualibus immortalitatem non tollit, sed potiùs eam illis impertitur. Fateri ergo oportet nullam creaturam respectu Dei esse immortalē, etiamsi intrinsecè inalterabilis sit, nullū corruptionis habens principium, vt sunt Angelus & anima, ea enim potentia quâ vni naturæ immortalitatem merâ suâ bonitate & voluntate confert, potest illam eâdem priuare ipsamque annihilare, à seipso autem essentialiter & independenter à quocumque immortalitatem possidet, absque eo quòd creatura aliqua quantumcumque potens, illam ab ea eripere valeat, sicque rationalis anima non desi- Nulla creatura respectu Dei immortalis est.

nit modo explicato esse immortalis. Et est quod vno verbo ait grauissimus quidam Pater, solùm Deum ex se, rem verò creatam vt Angelum & animam, à Deo acceptam habere immortalitatem.

Secundò, respondemus apud Sanctum Paulum per immortalitatem significari immutabilitatem, quia Deus solus absolutè simpliciter est immutabilis, at verò anima imò & Angelus, quamuis naturaliter interire nequeant quoad substantiam, possunt tamen varias mutationes accidentarias subire.

Deo pro immortalitatis dono, gratiæ sunt agendæ.

Porrò cùm Dei sapientia præluceat in hac animæ immortalitate, illi debemus summum honorem, gratoque animo illi rependere gratias, pro summo illo ac peculiari dono nobis suâ beneficentiâ cōcesso; poterat enim nos si placuisset, vel brutum quoddam animal, aut immundum aliquod vel inanimatum creare, imò & nunquam producere. Debemus item hanc animam nostram immortalem in gratia quantum fieri poterit conseruare, nec ad aliquod scelus quo polluatur declinare, ne illa in pœnam transeat immortalem potiùs quàm in æternam vitam: *Qui stat enim*, vel sibi videtur stare, *videat ne cadat*, ait Apostolus. Et vt aiebat Ioannes Glycys, vt in Historia Romana refertur: Expedit nobis animi curam suscipere, qui cùm sit immortalis, immortalem curam desiderat, ne fortè duplicem mortem accersamus, & corporum & animarum.

1. Cor. 10.

Lib. 8. Hist. Rom.

CAPVT IV.

De potentiis seu facultatibus Animæ rationalis.

Tres sunt animæ facultates.

VNANIMI consensu docent Theologi ac Philosophi animam rationalem tribus esse facultatibus instructam, intellectu videlicet, voluntate, & memoriâ, quæ breuiter à nobis sunt sequentibus sectionibus examinandæ & declarandæ.

SECTIO

SECTIO I.

Quid sit intellectus, quomodo, & per quid intelligat.

INTELLECTVS sic solet definiri. *Intellectus est facultas spiritalis animæ rationalis, circà intelligibile occupata.* Ponitur *facultas* tanquam genus, in quo ipse intellectus cum voluntate aliisque facultatibus sensitiuis conuenit. Dicitur *spiritalis* ad distinctionem facultatum sensitiuarum, quæ sunt in homine, vt visus, auditus, odoratus, &c. Et denique dicitur, *Circà intelligibile occupata,* quia ens vniuersaliter sumptum quatenus est intelligibile, & complectitur ea quæ veram habent entitatem, siue sint immaterialia, siue materialia, siue singularia, siue vniuersalia, est illius obiectum; ita vt ratio formalis qua cognoscitur ens sit ipsa intelligibilitas, vt ita loquar, quemadmodum visibilitas respectu luminis quod in visum cadit. In eo autem differt intellectus à sensu, quòd ille formalitatem seu rationem formalem sui obiecti percipiat, hoc est intelligibilitatem, sensus verò non item, quia visus verbi gratiâ, non videt, nec percipit visibilitatem. Differt item, quia sensus singularia tantùm cognoscit, sed intellectus singularia & vniuersalia: aliter tamen sensus illa singularia percipit, & aliter intellectus, sensus enim illa cognoscit cognitione materiali & per species materiales, intellectus verò cognitione immateriali & per species immateriales, quas intellectiles seu intelligibiles vocant. Vt autem id clariùs pateflat non pœnitebit aduertere iuxtà Philosophos, tres esse species ad cognitionem conferentes, sensibilem videlicet, phantasticam, & intelligibilem seu impressam.

Intellectus quid.

Differunt intellectus & sensus, & quomodo.

Species sensibilis est, quæ transmittitur ab obiecto in potentiam externam, mouetque sensum externum ad cognitionem ipsius obiecti, vt species quæ à sono in potentiam auditiuam transmittitur, vt species pariter quæ transmittitur à pariete in potentiam visiuam, quod est ita iudicandum de reliquis sensibus particularibus.

Tres species ad cognitionem conferentes, quænam sint, & in quibus differant.

Species phantastica ea est, quæ transmittitur ad sensum interiorem, videlicet ad sensum communem, imaginatiuam potentiam & phantasiam, repræsentatque obiectum sub modo crasso extenso, & materiali, atque cum conditionibus indiuiduantibus, qualis est species quæ repræsentat hominem, quem aliquando vidimus prolixam

habentem barbam, vel staturæ talis, aut talis, & cum alijs denique proprietatibus accidentalibus.

Species autem intellectilis seu intelligibilis aut impressa, ea est quam intellectus efformat ex phantasmate, dum lumine suo rem in phantasia repræsentatam ab omni materia depurat, eamque sua irradiatione repræsentat intellectui passibili siue patienti, sub modo spirituali & immateriali seu in vniuersali, qualis est species quæ repræsentat hominem esse animal rationale, eamque notitiam sic efformatam ipsi passibili intellectui imprimit, sicque nostra formatur intellectio, & quandiu species recipitur & conseruatur in intellectu tanquam in subiecto, appellatur habitus siue habitualis notitia aut notio, reperiturque modo perfecto in doctis tantum qui veram rei notitiam habent, species autem phantastica in doctis atque etiam in rudibus reperitur.

Porrò species sensibiles repræsentant ac referunt obiectum in sua præsentia, vel saltem paulò-post quàm desijt aut cessauit, quod dicitur propter sonum, qui iam desijt cùm auditur à potentia auditiua, atque tardiùs ad aurem peruenit quàm species visibilis ad oculum, eò quòd sonus circulariter fertur ad aurem, species autem visibilis per lineam rectam fertur ad oculum: vel benè dicitur sonum desijsse, cùm auditur, nam sonus non fit nisi per motum, & etiam non peruenit ad aures per aërem nisi successiuè, motus autem est res successiua in esse & in fieri, ideò rectè sequitur sonum cessare antequam peruenerit ad aures. Species phantasticæ repræsentant quidem obiectum absens, sed sub conditionibus indiuiduantibus, id est repræsentant rem vt singularis est & indiuidua, aut quibusdam accidentibus affecta. Species autem intelligibiles repræsentant obiectum absens etiã quantumcũque distans, non tamen modo materiali, aut corporeo & crasso, vel sub conditionibus indiuiduantibus, sed in communi, & vt abstractum à singularibus: verbi gratiâ, postquam sensus externus percepit Franciscum, & sensus internus nempè phantasia habuit speciem phantasticam de illo, atque phantasiauit (si ita fari liceat) etiam absente ipso Francisco; tandem intellectus agens vt ipsum percipiat, conuertitur ad phantasiam, speculatur phantasma, id est speciem ipsius Francisci repræsentatam in phantasia, & virtute sui luminis illustrando phantasma, elicit ab illo speciem immaterialem, & intelligibilem, quæ repræsentat obiectum, nempe Franciscum modo spirituali & communi, id est non ampliùs sub conditionibus indiuiduantibus extensis & materialibus, sed sibi refert eius naturam generalem, ac illi cum reliquis communem: species autem illa intelligibilis cùm actu mouet intellectum, fit intelle-

ctio & habetur cognitio obiecti, cùm autem non mouet actu, non est quidem intellectio, sed est proxima dispositio ad intellectionem habendam; quocircà species illa dicitur actu intelligibilis, licet non sit actu intellecta. Aduerte porrò duplicem esse speciem intelligibilem seu impressam: vnam quæ formaliter repræsentat obiectum; aliam quæ tantùm virtualiter: vt autem intelligatur, quænam sit illa quæ formaliter obiectum repræsentat, & quæ sit illa quæ virtualiter; est obseruandum omnem speciem sensibilem educi ex aliquo accidente & formaliter repræsentante accidens, & cùm omnis species intelligibilis à speciebus sensibilibus educatur, species quoque illa intelligibilis formaliter repræsentabit accidens, virtualiter autem substantiam, quia enim nostra cognitio pro hoc statu ortum habet à sensibus, & sensus tantùm percipiunt accidentia per se; ideò intellectus non potest habere speciem intelligibilem quæ formaliter obiectum repræsentet, sed sufficit ad cognoscendam substantiam, quòd ipsa virtualiter repræsentetur in aliqua specie.

Quoniam verò quis hæsitare potest quisnam propriè sit intellectus agens, & quis patiens seu passibilis, istud est aperiendum.

Intellectus agens & patiens, qui non distinguuntur realiter.

Intellectus agens iuxta quosdam est forma & actus primus intelligentiæ constituens intellectum in actu primo vt intelligat: at iuxta Aristotelem, vt in tractatu de Angelis notauimus, ille est ad quem spectat omnia facere, hoc est ex Phantasmatibus species intelligibiles seu impressas elicere & fabricare: vel vt alij dicunt; Agens dicitur quatenus producit sibi species cum actu Phantasiæ quæ in intellectu patiente recipiuntur. Itaque non ideo vocatur agens quòd producat intellectionem quam recipit intellectus patibilis, sed potiùs quòd species intelligibiles effingat, quas patiendo recipit intellectus patibilis, & quarum operâ idem patibilis elicit intellectionem; & hinc etiam patet quid sit ipse intellectus patibilis, ille nimirùm qui elicit intellectionem ex receptione specierum intellectilium, & verbum mentis hoc est signum rei intellectæ repræsentatiuum à mente loquente, id est intelligente actu procedens, in seipso producit: Dicitur ergò patibilis seu passibilis & patiens, inquantùm patitur & in se recipit species ab intellectu agente sibi impressas, vel etiam quatenus intelligit: Dicitur etiam possibilis quatenus ex sua natura in potentia est vt res obiectas intelligat, & vt actuetur per species ab intellectu agente receptas.

Porrò intellectus agens & patiens non distinguuntur realiter quasi sint facultates reipsa diuersæ, sed tantùm formaliter, sicut duo munia eiusdem facultatis, quia noster intellectus in hoc sensu, medius est inter sensum, & intellectum Angelicum; at intellectus Angelicus

ſpecies habet ſibi congenitas, ſenſus verò mutuatur eas ab obiectis, & intellectus humanus non habet ſpecies congenitas, ſed eas ſibi fabricat: Deinde vt vnica voluntas homini tribuitur, ita vnus reipſa intellectus; quare intellectus re eſt vnicus agens & patibilis, ratione tamen formali duplex, adeovt ſit vna eademque qualitas, quæ provt format ſpecies dicitur agens, & provt eas recipit & ex earum receptione elicit intellectionem, appellatur patibilis. Qui de his plura ſcire velit & in quo conſiſtat verbum mentis, & de eius diſcrimine à ſpecie intelligibili & intellectione, conſulat Philoſophos qui de his omnibus latè diſſerunt, iſta enim noſtri non ſunt inſtituti.

Quomodo intellectus cognoſcit res ſpirituales.

Antequam autem huic ſectioni finem imponamus, bonum eſt aduertere quomodo intellectus cognoſcere poſſit res ſpirituales ſeparatas, in hoc enim non mediocris eſt difficultas, cùm ipſæ non cadant ſub ſenſum, & proindè nulla earum produci poſſint phantaſmata, quæ ſolet intellectus agens ſpeculari vt ſpecies intellectiles efformet, & hinc cognitionem eliciat, vt ſuprà dictum eſt. Dicunt tamen Philoſophi de illis nos poſſe formare per diſcurſum aliquos etiam conceptus quidditatiuos ex antecedente notitia rerum ſenſibilium aut materialium, quæ aliquam habent cum ipſis affinitatem, qui tamen conceptus etiamſi non ſint adeò perſpicui ac dilucidi, poſſunt tamen eſſe neceſſarij & certi. Porrò ſi nonnulli ad intelligendum & memorandum ſint habiliores, acutiores ingenio, & perſpicaciores intellectu, hoc ex diuerſa organorum diſpoſitione & humorum temperie prouenit, vt conſtat de melancholicis qui præ aliis ingenioſi ſunt, vt notat Cicero, quamuis tamen aliqui alij vltra potentiam ſciendi genetalem, id quoque ad Dei particulare donum referant.

1. *Tuſcul.*

SECTIO II.

De voluntate, ſeu volendi facultate, & eius obiecto, atque actibus ſeu actionibus.

Voluntas humana quænam ſit.

VOLVNTAS humana ſic definiri ſolet: *Voluntas eſt facultas animæ rationalis, quâ volumus & appetimus quod bonum eſt, malum autem refugimus*; vel, *Illa eſt, quâ quæ ab intellectu apprehenſa & iudicata ſunt, homo vel eligit, vel auerſatur.* Et hæc definitio maximè accedit ad eam quæ eſt S. Auguſtini de duabus animabus: *Voluntas* (inquit) *eſt motus animi cogente nullo, ad aliquid adipiſcen-*

S. *Aug.*

dum, vel non admittendum: Est reuerà animi motus, quoniam mouetur hæc potentia ad aliquid extrà se volendum, quod priùs ab intellectiua potentia fuit cognitum, vnde non immeritò à sapientibus dicitur non ferri nisi in præcognitum, tamen liberè, ideò nullo cogente ait Sanctus doctor, ad aliquid adipiscendum vel non admittendum fertur, quoniam est indifferens ad aliquid volendum vel respuendum, cùm sit vis quædam quæ seipsam applicat ad illud quod magis placet eligendum, etiam teste Boëtio; & potest adiungi, siue bonum siue malum sit. *De Cons. Phil.*

Quod spectat ad ipsius obiectum, cùm omnis eius actio sit volitio vel nolitio, illaque boni, hæc mali sit, inde fit vt obiectum voluntatis sit bonum vel malum, neque enim voluntas minùs refugit malum quàm appetat bonum: hinc intelligere est, bonum, esse tantùm partiale obiectum voluntatis vt & malum, vtrumque autem simul sumptum constituere obiectum adæquatum, quod communi nomine caret, explicaturque, id quod aptum est per modum obiecti voluntatem quoquomodo afficere, ex quo sequatur operatio aliqua voluntatis quæ sit volitio vel nolitio. Hinc etiam dicendum venit appetibile non esse rationem formalem obiecti adæquati ipsius voluntatis, cùm voluntas ab eo afficiatur quod minimè est appetibile, nempè à malo quod refugit. Itaque sicut intellectus circà verum & falsum versatur, ita voluntas circà bonum & malum; sed cùm discrimine, nam intellectus potest apprehendere verùm & falsum absque vllo iudicio, sed voluntas nequit prosequi bonum aut auersari malum, nisi cum præcedenti iudicio practico intellectus. Deinde potest intellectus obiectum abstrahere à veritate & falsitate, vt cùm considerat ens secundùm se, at voluntas non abstrahit à bono & malo, nec potest appetere ens vt ens, aut illùd sub ea ratione refugere, sed ens vt bonum appetit, & vt malum repudiat. Non desunt qui dicant obiectum adæquatum voluntatis esse bonum provt abstrahit à vero bono & apparenti, nam quando dicimus aliquando voluntatem appetere malum, dicendum ipsam ad illud malum non tendere aut illud appetere provt malum est, sed vt est bonum apparens. *Obiectum voluntatis quodnam sit.*

Quod autem spectat ad actus ipsius voluntatis, aduertunt Philosophi illos esse duplicis generis, aliqui enim sunt eliciti, alij verò imperati. Eliciti hi sunt qui ab ipsa voluntate immediatè eliciuntur, vt sunt amare, odio prosequi, desiderare, velle sacrum audire, & similes. Imperati verò sunt qui à cæteris hominis facultatibus eliciuntur, & exercentur per imperium ipsius voluntatis, vt sunt intelligere, videre, loqui, tangere, & similes. *Actus voluntatis eliciti & imperati.*

Si autem quærat quis, quęnam cognitio requiratur ad actionem

Iudicium ad actionem voluntatis requiritur, & quotuplex sit.

voluntatis: Respondemus requiri iudicium de re conuenienti vel non conuenienti: opus enim est vt priùs intellectus iudicet aliquid esse conueniens quàm illud voluntas appetat, aut aliquid non esse conueniens priusquàm voluntas illud auersetur. Cùm verò iudicium sit duplex, vnum theoreticum, quod est de sola veritate: aliud practicum, quòd circà res agendas occupatur, ad actum voluntatis non sufficit iudicium theoreticum, sed practicum.

SECTIO III.

De Libero Arbitrio.

Vnde dicatur liberum arbitrium.

HÆc duo nomina simul iuncta, arbitrium liberum, ambas connotant animæ facultates, intellectum videlicet & voluntatem; arbitrium pertinet ad intellectum, quia arbitrari idem est quod iudicare, at iudicare est actus intellectus, & liberum pertinet ad voluntatem. Et non dissentit S. Thomas, si spectetur liberum arbitrium quoad actum vel vsum, quia nõ potest facultas libera in actum exeri, nisi præcedat rationis iudicium aliquod, à quo etiam nomen ipsum liberi arbitrij accepit: Isto sensu ergò Angelicus Doctor, ait liberum arbitrium esse vtriusque potentiæ, nempè rationis & voluntatis facultatem, id est ab vtraque potentia quoad vsum dependentem: Et probat idem Sanctus Doctor, ex eo hominem esse libero arbitrio donatum, quia agit ex iudicio rationis libero, seu ad vnum minimè determinato, propter indifferentiam rationis circà contingentia seu particularia agibilia; quale iudicium non reperitur in belluis; Et hoc est quod ait Caietanus ipsius S. Thomæ interpres, in citatum locum, libertatem esse in intellectu & in voluntate; in intellectu quidem radicaliter vt aiunt, & quoad principium; in voluntate autem complete & formaliter. Quòd si quæras an ipsa libertas à voluntate differat; respondemus ipsam esse eandem met voluntatem cum aptitudinali Dominio suorum actuum, quod nihil est distinctum ab ipsa; sicut enim aptitudinalis respectus intellectus ad suos actus naturaliter eliciendos, non est aliquid realiter distinctum ab ipso, ita de voluntate dicendum est, & sic per seipsam est tale principium potens ad suos actus, neque dici potest quod aliquid reale ei superaddatur ad posse elicere eos.

1. 2. quæst. 1. art 2.

1. part. qu. 83.

Alij volunt solam voluntatem vocari liberum arbitrium, seu illud in sola voluntate consistere, electio enim, inquiunt, quæ est volun-

atis actus, est quasi arbitrium quoddam, quo voluntas vnam rem præ alia liberè amplectitur; & hoc sensu vulgò dicimus, in meo arbitrio est hoc facere vel omittere, id est in mea electione & potestate. At id vix intelligi potest, nisi ad mentem S. Thomæ, dicamus aliquod intellectus iudicium præcedere, quia nihil volitum nisi præcognitum.

Definitur itaque communiter liberum arbitrium à Philosophis & Theologis: *Potentia seu facultas hominis electiua, nempè ipsa voluntas iudicio rationis illustrata, quatenùs circà suos actus libera est, & quâ aliquid agere vel non agere possumus*; voluntas enim tali rationis iudicio illustrata, nominari potest liberum arbitrium, vel potiùs libera dicenda est, quatenùs positis omnibus requisitis ad agendum potest agere vel non agere, vt docet etiam Scotus secundo Sentent. & alij, atque ex duobus propositis quodcumque libuerit eligere. Vnde rectissimè aliqui liberum definiunt arbitrium; quòd sit facultas voluntatis & rationis vtique ad operandum, cum indifferentia & dominio actionis, itaut in manu eius sit velle aut nolle exercere vel suspendere actionem, vt etiam docet S. Augustinus de peccatorum meritis & remissionibus. Et indè clarè intelligimus ipsam potentiam liberam, hoc est voluntatem esse actiuam & nulla ratione passiuam, nam ita ex scripturis colligere facilè est, vt ex illo Ecclesiast. *Qui potuit facere mala, & non fecit*: Et Zachar. *Conuertimini ad me*; nemo enim se conuertit nisi agēdo, & ita probant S. Patres & Concilia dum voluntati nostræ efficientiā tribuunt, & seipsam posse mouere & esse potentiam operatiuam affirmant. Suffragatur Scotus in 2. Sentent. nam inquit potentia libera est quæ in manu & potestate sua habet mutari, vel non mutari: hæc autem potestas non est in potentia passiua vt passiua est; ergo in actiua quatenus actiua est: & licèt voluntas sit receptiua sui actus, & sub ea ratione sit potentia passiua, non est tamen libera, nisi quatenus potestatem habet eliciendi & non eliciendi actum suum, talis enim potestas in indifferentia consistit; vt etiam ex alia liberi arbitrij definitione quæ est Bellarmini, conformiter ad S. Thomæ doctrinam, liquidò patet; Liberum arbitrium inquit est libera potestas, ex his quæ ad finem aliquem conducunt, vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, intelligenti naturæ ad magnam Dei gloriam attributa: Est autem aduertendum voluntatem spectari bifariàm, nempè vt est natura, quo pacto necessariò agit, vel vt est libera, quo pacto agit cum indifferentia ad actum.

Vt autem ista meliùs intelligantur, est aduertendum libertatem voluntatis consistere in tribus. Primò vt sit libera à coactione, id est

Liberum arbitrium quid sit.

Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica.

Lib. 2. cap. 18.

Eccles. 31.

Zachar. 1.

Scot. in 2. dist. 25.

Bellar. tom. 3. lib. de gratia & libero arbit.

In quibus consistat voluntatis libertas.

Iudicium ad actionem voluntatis requiritur, & quotuplex sit.

voluntatis: Respondemus requiri iudicium de re conuenienti vel non conuenienti: opus enim est vt priùs intellectus iudicet aliquid esse conueniens quàm illud voluntas appetat, aut aliquid non esse conueniens priusquàm voluntas illud auersetur. Cùm verò iudicium sit duplex, vnum theoreticum, quod est de sola veritate: aliud practicum, quòd circà res agendas occupatur, ad actum voluntatis non sufficit iudicium theoreticum, sed practicum.

SECTIO III.

De Libero Arbitrio.

Vnde dicatur liberum arbitrium.

HÆc duo nomina simul iuncta, arbitrium liberum, ambas connotant animæ facultates, intellectum videlicet & voluntatem; arbitrium pertinet ad intellectum, quia arbitrari idem est quod iudicare, at iudicare est actus intellectus, & liberum pertinet ad voluntatem. Et non dissentit S. Thomas, si spectetur liberum arbitrium quoad actum vel vsum, quia nō potest facultas libera in actum exeri, nisi præcedat rationis iudicium aliquod, à quo etiam nomen ipsum liberi arbitrij accepit: Isto sensu ergò Angelicus Doctor, ait liberum arbitrium esse vtriusque potentiæ, nempè rationis & voluntatis facultatem, id est ab vtraque potentia quoad vsum dependentem: Et probat idem Sanctus Doctor, ex eo hominem esse libero arbitrio donatum, quia agit ex iudicio rationis libero, seu ad vnum minimè determinato, propter indifferentiam rationis circà contingentia seu particularia agibilia; quale iudicium non reperitur in belluis; Et hoc est quod ait Caietanus ipsius S. Thomæ interpres, in citatum locum, libertatem esse in intellectu & in voluntate; in intellectu quidem radicaliter vt aiunt, & quoad principium; in voluntate autem completè & formaliter. Quòd si quæras an ipsa libertas à voluntate differat; respondemus ipsam esse eandemmet voluntatem cum aptitudinali Dominio suorum actuum, quod nihil est distinctum ab ipsa; sicut enim aptitudinalis respectus intellectus ad suos actus naturaliter eliciendos, non est aliquid realiter distinctum ab ipso, ita de voluntate dicendum est, & sic per seipsam est tale principium potens ad suos actus, neque dici potest quod aliquid reale ei superaddatur ad posse elicere eos.

1. 2. quæst. 1. art. 2.

1. part. qu. 83.

Alij volunt solam voluntatem vocari liberum arbitrium, seu illud in sola voluntate consistere, electio enim, inquiunt, quæ est volun-

tatis actus, est quasi arbitrium quoddam, quo voluntas vnam rem præ alia liberè amplectitur; & hoc sensu vulgò dicimus, in meo arbitrio est hoc facere vel omittere, id est in mea electione & potestate. At id vix intelligi potest, nisi ad mentem S. Thomæ, dicamus aliquod intellectus iudicium præcedere, quia nihil volitum nisi præcognitum.

Definitur itaque communiter liberum arbitrium à Philosophis & Theologis: *Potentia seu facultas hominis electiua, nempè ipsa voluntas iudicio rationis illustrata, quatenùs circà suos actus libera est, & quâ aliquid agere vel non agere possumus*; voluntas enim tali rationis iudicio illustrata, nominari potest liberum arbitrium, vel potiùs libera dicenda est, quatenùs positis omnibus requisitis ad agendum potest agere vel non agere, vt docet etiam Scotus secundo sentent. & alij, atque ex duobus propositis quodcumque libuerit eligere. Vnde rectissimè aliqui liberum definiunt arbitrium; quòd sit facultas voluntatis & rationis vtique ad operandum, cum indifferentia & dominio actionis, itaut in manu eius sit velle aut nolle exercere vel suspendere actionem, vt etiam docet S. Augustinus de peccatorum meritis & remissionibus. Et indè clarè intelligimus ipsam potentiam liberam, hoc est voluntatem esse actiuam & nulla ratione passiuam, nam ita ex scripturis colligere facilè est, vt ex illo Ecclesiast. *Qui potuit facere mala, & non fecit*: Et Zachar. *Conuertimini ad me*; nemo enim se conuertit nisi agēdo, & ita probant S. Patres & Concilia dum voluntati nostræ efficientiā tribuunt, & seipsam posse mouere & esse potentiam operatiuam affirmant. Suffragatur Scotus in 2. Sentent. nam inquit potentia libera est quæ in manu & potestate sua habet mutari, vel non mutari: hæc autem potestas non est in potentia passiua vt passiua est; ergo in actiua quatenus actiua est: & licèt voluntas sit receptiua sui actus, & sub ea ratione sit potentia passiua, non est tamen libera, nisi quatenus potestatem habet eliciendi & non eliciendi actum suum, talis enim potestas in indifferentia consistit; vt etiam ex alia liberi arbitrij definitione quæ est Bellarmini, conformiter ad S. Thomæ doctrinam, liquidò patet; Liberum arbitrium inquit est libera potestas, ex his quæ ad finem aliquem conducunt, vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, intelligenti naturæ ad magnam Dei gloriam attributa: Est autem aduertendum voluntatem spectari bifariàm, nempè vt est natura, quo pacto necessariò agit, vel vt est libera, quo pacto agit cum indifferentia ad actum.

Vt autem ista meliùs intelligantur, est aduertendum libertatem voluntatis consistere in tribus. Primò vt sit libera à coactione, id est

Liberum arbitrium quid sit.

Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica.

Lib. 2. cap. 18.

Eccles. 31.

Zachar. 1.

Scot. in 2. dist. 25.

Bellar. tom. 3. lib. de gratia & libero arbit.

In quibus consistat voluntatis libertas.

vt non coactè, sed spontaneè seu voluntariè agat. Secundò vt sit libera à necessitate quoad exercitium, id est vt non necessitetur ad agendum, seu possit agere & non agere, seu velle & non velle. Tertio vt sit libera à necessitate quoad speciem actus, id est vt non necessariò determinetur ad vnum è duobus, sed possit alterutrum eligere pro suo beneplacito.

Libertas duplex. Id clariùs adhuc exprimunt tùm Philosophi tùm Theologi dum docent duplicem in nostris operationibus esse libertatem: vnam contradictionis quâ possumus hoc agere vel non agere, vt verbi gr. animũ studijs intendere vel non intendere; & de hac potissimùm intelliguntur supra dictæ liberi arbitrij definitiones: alteram contrarietatis qua possumus hoc agere, & eius oppositum; quarum prima respicit exercitium actus, ideóque alijs verbis vocatur libertas quoad exercitium; secunda respicit obiecta, ac proinde alio nomine vocatur libertas quoad specificationem, nam actus sumunt speciem ab obiectis; prima libertas inde oritur quòd licet sæpiùs bonum & malum in obiecto non appareat, malum tamen deprehenditur in exercitio actus, vt quando scientia acquirenda proponitur, illa enim secundùm se considerata non potest displicere, cùm ex Philosòpho: *Omnes naturâ scire desiderent:* at quia difficilis est acquisitio scientiæ, ea ratione potest displicere, & sic habemus libertatem contradictionis, seu quoad exercitium circà scientiam, quia ratione huius difficultatis, possumus animum studijs intendere vel non intendere. Secunda verò libertas ex eo oritur quòd intellectus in ipso obiecto proposito apprehendit bonum, & malum etiam annexum, nam qua ratione obiectum est bonum, excitat voluntatem ad prosequutionem, qua verò ratione malum est, excitat in nobis fugam: Exemplum est quando intellectus proponit voluptatem illicitam, quam quidem qua ratione delectabilis est, potest voluntas amplecti, qua verò malum culpæ habet annexum, potest voluntas illam respuere & detestari, & sic habet libertatem contrarietatis, seu quoad specificationem, quia bonum & malum sunt contraria obiecta. His intellectis, facilè elicitur ratio quæ conuincat liberum arbitrium; nam cùm voluntati proponi possit bonum & malum, vel in ipso obiecto, vel exercitio actus, consequens est voluntatem ita bonum complecti vt possit illud non amplecti, & aliquando contrarium amplecti: elicitur etiam quòd vt actus sit liber, oportet vt procedat à potentia libera, vel quoad specificationem, vel saltem quoad exercitium, iuxta modum quo actus liber fuerit; quia non habet quòd sit liber nisi per denominationem à suo primo principio, nam si necessitaretur voluntas, non imputaretur illi peccatum. Aduerte porrò ex Scoto non esse

1 Metaph. (margin, beside "Omnes naturâ scire desiderent")

Scot. in 1 dist. 1. q. 4. & in 4 d. 49. q. 10. (margin, beside "denominationem à suo primo principio")

esse libertatem specificationis quoad beatitudinem vel miseriam, quia nulla est ratio boni in hac vt ametur, nec ratio mali in illa vt odio haberi possit.

SECTIO IV.

An homo sit verè præditus Libero Arbitrio.

NEGAT Martinus Lutherus, ex Inferis Simonis Magi hæresim reuocans, & asserit nullum dari in homine liberum arbitrium, sed omnia ex necessitate fieri. Ait igitur in assertion. Liberum Arbitrium res est de solo titulo, & figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare mali aut boni, sed omnia de necessitate absoluta eueniunt; Quod & Poëta voluit quando dixit: *Certâ stant omnia lege.* *In Assert. art. 35.*

Illum sequitur Caluinus in negatione pariter liberi arbitrij in homine, nam in suis Institutionibus, fatetur hominem ante peccatum Adæ præditum fuisse libero arbitrio, post peccatum verò arbitrij libertate fuisse spoliatum, & miserè seruituti addictum, & ita habet in iisdem Institutionibus, ibi enim duos errores proponit, primum, voluntatem nostram non cooperari gratiæ, sed omninò nihil agere; alterum, quòd non sit in potestate voluntatis consentire aut refragari. Lutherus tamen & Melancthon benè volunt liberum arbitrium in homine remansisse quoad actiones externas, morales, seu ciuiles & politicas, quæ pendent à viribus naturæ, vt comedere, ambulare, mercari, bellum gerere, agros colere, litteris operam dare, nam experientia docet nos illa & pleraque alia huius generis pro libito agere & non agere; at negant remansisse quoad actiones supernaturales quæ à gratiæ viribus pendent, vt credere fidei mysteria, sperare vitam æternam, diligere Deum ex toto corde, diuina seruare præcepta, aliáque bona opera supernaturalia agere, atque virtutes exercere. *Lib. 2. instit. cap 15. num 8.* *Instit. cap 3.*

At tota Ecclesia Catholica hunc errorem damnat, asseritque in homine etiam post peccatum Adæ commissum, verè liberum arbitrium remansisse, & non solùm quoad actiones externas morales seu politicas, verum etiam quoad supernaturales à gratia dependentes; & proinde, nos posse cooperari gratiæ, atque etiam eâ iuuante posse consentire aut refragari, contrà id quod falsò asserit Caluinus. **Homo verè est libero arbitrio præditus, etiam quoad actiones supernaturales.**

Gen. 4. Probatur primò ex Scriptura Sacra, in Genesi enim aiebat Dominus ad Caïm: *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Hoc est, supplicium peccato tuo debitum: *Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; vel vt verba Hebræa sonant, *Penès te est & à te pendet, & tu dominaberis in illum.* Ibi de libertate quoad actiones à viribus naturæ pendentes non loquitur, nam illis merces non debetur: ergo de supernaturali, quæ pendet à gratia, quia penes eius voluntatem erat aut diuinis beneficiis augeri, aut vltionem miserè experiri.

Cap 30. Ita in Deuteronomio: *Testes inuoco hodie cœlum & terram quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam vt & tu viuas & semen tuum.* Satis etiam ibi constat de libertate supernaturali agere, cùm vitam & benedictionem polliceatur Israëlitis, si Dei obseruent mandata, talis enim merces videlicet benedictio & animæ vita, per gratiam in præsenti & per gloriam in futuro, iis qui illa obseruant, repromittitur.

Iosuë 14. In libro quoque Iosuë hæc verba huius Ducis ad filios Israël habentur; *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui seruire potissimùm debeatis*; His verbis, Iosuë relinquit libero arbitrio filiorum Israël electionem, vel seruiendi Deo vero, vel Diis alienis, quanquam mens eius esset illos à Diis alienis auertere, & ad veri Dei cultum inducere. Et responderunt; *Deo nostro seruiemus, & obedientes erimus præceptis eius.* Ibi ergo agitur de libertate Deo inseruiendi, & eius mandata seruandi, illumque in vera religione colendi; quæ quidem actiones supernaturales sunt, & à gratia diuina dependentes, aliàs meritoriè exerceri nequeunt.

Ecclesiastici 31. Apud Ecclesiasticum pariter habemus: *Qui probatus est in illo & perfectus inuentus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit, ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Quis non videt hanc libertatem esse quoad actiones supernaturales?

Isai. 1. Præterea apud Isaïam: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis; quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini loquutum est.* Hæc verba sunt ita intelligenda; si consensum meis monitionibus prębueritis, & mandata mea custodieritis, &c. Atqui Dei mandata custodire, Deum toto corde diligere, &c. actiones sunt supernaturales. Et huc spectat

Apoc. 3. quod habetur in Apocalypsi: *Ego ad ostium sto, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Quibus verbis ostendit se hominum consensum & cooperationem expectare, vt ipsis salutem

impertiatur, quia vt ait S. Augustinus: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Et idem in libro de gratia Christi: *Quis non videat venire quenquam aut non venire, esse in arbitrio voluntatis?* Et profectò si in iis quæ ad animæ salutem attinent non sumus liberi nihilque agere possumus, quid præfata Isaiæ comminatione & similibus quas legimus in scriptura, ineptius excogitari potest? *Lib. de spiritu & littera. cap. 34. Idem cap 24.*

Non est prætermittendus Regius Vates, qui crebrò asserit omnia religionis & pietatis officia à se suscepta, voluntaria fuisse, & quàm maximè spontanea; & sic se liberum circà actiones supernaturales à gratia dependentes fatetur: *Voluntaria*, inquit, *oris mei beneplacita fac Domine.* Et paulò pòst, *Inclinaui cor meum, &c.* Si non fuisset liber ad iustificationes Dei faciendas, hoc est ad Dei mandata seruanda; cor suum non inclinasset ad parendum diuinæ voluntati, sed potiùs impulsus dicendus esset. *Psal. 118.*

His veteris testamenti auctoritatibus, sunt addendæ quædam ex nouo, quibus etiam nostra probatur libertas, quoad actiones supernaturales & à gratia diuina dependentes, vt apud S. Matthæum aiebat Christus: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* *Matth. 19.*

Quod confirmatur testimoniis illis scripturæ, quibus significatur futurum, tùm in veteri tùm in nouo testamento, vt singula hominis gesta à Deo in iudicium adducantur, & proinde esse libera, vt vel præmium vel pœnam mereri possint. Apud Ecclesiasticum habetur; *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, siue bonum siue malum.* Et Apostolus ad Corinthios; *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* *Eccles. 12.* *2. Ad Cor. 5.*

Item confirmatur aliis testimoniis, quibus videre facile est, quòd nisi daretur liberum arbitrium, etiam quoad actiones supernaturales, malè Deus cōquereretur quòd homo pro salute sua consequenda non præbuisset consensum: sed conqueritur in Prouerbiis Salomonis: *Vocaui & renuistis.* Et apud Isaiam: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Et apud S. Matthæum: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti?* *Prou. 1.* *Isai. 65.* *Matth. 23.*

Et denique, confirmatur aliis scripturæ auctoritatibus, quibus hortatus & præcipit Deus homini, vt se ad ipsum conuertat: Quòd si in ipso homine non esset liberum arbitrium, id non præstaret Deus, quia nunquam ad impossibile hortatur, nec præcipit impossibilia: atqui apud Zachariam habetur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et pręcipit apud Ecclesiastem: *Deum time & mandata eius serua.* *Zach. 1.* *Ecclesiast. 12.*

1. Cor. 7. His accedit S. Paulus, qui in Epistola prima ad Corinthios hæc habet: *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit.* Et in eadem Epistola, *Num sum liber, num sum Apostolus?* Quibus verbis, quemadmodum se dicebat verè Apostolum, ita se liberum quoque ostendebat in suis actionibus etiam supernaturalibus.

1. Cor. 9.

Epist. ad Phil. Id clariùs confirmat idem S. Paulus in Epistola ad Philemonem, vbi Philemoni Onesimum commendans, illum precatur vt ei offensam quam in eum commiserat condonet, & ipsum tanquam seipsum suscipiat; *Sine consilio autem tuo,* inquit, *nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium.* Ibi agitur de reconciliatione & amore proximi, at isti actus Dei mandata concernunt, sicque meritorij & supernaturales sunt.

SECTIO V.

Liberum item arbitrium ex sanctis Patribus & Conciliis probatur.

Liberum arbitrium ex Sanctis Patribus & Conciliis probatur.

a Tom. 3.

b Tom. 2. lib. 2. art. 5.

SECVNDÒ eadem assertio Catholica, probari potest innumeris penè Sanctorum Patrum, tùm Græcorum tùm Latinorum auctoritatibus, à Bellarmino [a] & Coccio [b] relatis; illi enim omnes vnanimi consensu, hominem esse libero arbitrio donatum affirmant, & illud gratiâ non tolli sed perfici, non cogi sed incitari, non opprimi sed vires accipere, vt quæ diuina sunt & cœlestia, toto animi ardore homo prosequatur: potissimùm autem auctoritates nonnullas tùm ex S. Cypriano quem S. Augustinus tantopere suspexit & admiratus est; tùm ex eodem S. Augustino, quem ipsi hæretici præ reliquis Patribus magni faciunt, eique potiùs fidem adhibent, in medium adducemus.

Lib. 1. Epist. Epist. 3. Sanctus ergo Cyprianus hominis libertatem apertè à Christo explicari putat, cùm discipulos rogauit, an abire vellent: *Seruat,* inquit, *Christus legem quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet vel mortem appetit, vel salutem.* Quid his verbis clariùs ad libertatem de qua loquimur stabiliendam?

Lib. de spiritu & littera cap. 34. S. Augustinus cùm diuinæ gratiæ & vocationis necessitatem mirum in modum efferat, illi tamen assentiri vel dissentiri nostri esse li-

beri arbitrij apertè confitetur; nam ità concludit: *Accipere quippe & habere anima non potest Dei dona nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat & quid accipiat Dei est, accipere autem & habere vtique habentis & accipientis est.* Neque ita S. Augustinus ait accipere Dei dona nostrum esse, sicut id sine Dei gratia præstari à nobis posse arbitratur, sed quoniam id proprium est liberi arbitrij munus, postquam vires diuino beneficio recuperauerit; *Voluntas enim* (vt eiusdē S. Augustini verbis vtar) *eo liberior est quò sanior, tantò autem sanior est quantò diuinæ gratiæ & misericordiæ subiectior extiterit.* Vnde colligitur efficientem causam applicationis voluntatis ad gratiam, esse arbitrij libertatem, diuinæ gratiæ firmissimis præsidiis confirmatam. [*Epistola 89. ad Hilarium.*]

Idem S. Augustinus: *Reuelauit,* inquit, *in nobis per scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium; quomodo autem reuelauerit commemoro vobis non humano eloquio sed diuino, primùm quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret.* Et multis id suadet sacrarum litterarum testimoniis, inter præcipua autem est illud Ecclesiastici: *Apposuit tibi ignem & aquam, & ad quodcumque volueris, extendes manum tuam: In conspectu hominis vita & mors bonum & malum; quod placuerit ei dabitur illi.* Et haud multò pòst, idem argumentum repetens ait: *Nam quid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? neque enim præciperentur nisi homo haberet propriam voluntatem quâ diuinis præceptis obediret.* Quo etiam indicio S. Hilarius omnia animi & corporis opera, libera esse probat, & hæc dicit conformiter ad Tertulliani sententiam, nempe: *Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi, in sua potestate.* [*De gratia & libero arbit. cap. 2.*] [*Ecclesiastici 15.*] [*Lib. de gratia & lib. arb. cap. 4.*] [*S. Hilarius in Matth. can. 10.*]

Idem S. Augustinus postquam ostendit nos Dei mandata seruare posse si volumus, dum nostra præparatur voluntas à Domino, superaddit: *Certum est enim,* inquit, *nos liberè velle cùm volumus, sed is facit vt velimus bonum, de quo dictum est: à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* [*De gratia & lib. arb. cap. 16.*]

Idem etiam S. Augustinus sermonē instituens de viribus quas gratia libero nostro arbitrio confert, ait: *Cùm ista commemoramus quibus nos Deus ad se trahit, non quidem arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus.* [*Lib. de natura & grat. cap. 33.*]

Id ampliùs confirmat idem S. Augustinus: *Nec hoc quidem,* inquit, *dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.* Et item: *Quamuis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non sufficit nisi adiuuetur infirmitas.* Et libro de gratia Christi [*Lib. de vera relig. cap. 14.*]

manifestè docet nostram voluntatem diuino adiuuari auxilio, cùm illud sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura.

Epist. 107. Idem adhuc S. August. *Neque fideles fiunt nisi libero arbitrio.*

Passim igitur Sanctus ille Pater, multis in locis arbitrij libertatem in homine confirmat, modò tamen diuina iuuetur gratia, contrà Pelagium qui nimium liberi arbitrij vires extollebat, hominemque absque gratia Christi, omnia legis præcepta implere, tentationes superare, omne vitium fugere, & omnem virtutem amplecti posse asserebat. Et sic ille nostram iustificationem ita diuinæ gratiæ tribuit, vt voluntatis consensum ducat etiam necessarium: ita liberi arbitrij firmitatem amplificat, vt illo non concurrente, iustificationem compleri nullo modo posse arbitretur, Quare vbi alterum horum desit: nihil sanè præclarum effici aut ab homine aut in homine potest. Penè infinita Sanctorum Patrum testimonia omittimus, qui ea scire volent, Bellarminum, Coccium & alios quamplures consulant.

Quod ad Concilia attinet, duo tantùm ex tot & tantis, esse à nobis adferenda pro præsenti negotio iudicauimus, & primò Concilium Arausicanum contrà Pelagij delirationes coactum, ita diuinam gratiam effert, vt liberi arbitrij functionem non tollat, sed omnia bona quæ agimus vult Deum in nobis atque nobiscum operari. Neque consensum nostrum superfluum minimèque necessarium ducit, quamuis gratiam arbitretur necessariam, quæ voluntatem moueat & confirmet, quò Deo vocanti consentiat. Vnde Cœlestinus Pontifex Summus ait; *Gratiam præstare vt bene vtamur libero arbitrio.* Cum quibus conuenit Sacro-sanctum Concil. Trident. atque ritè libertatis nostræ rationem circa etiam supernaturalia explicat, his verbis: *Si quis*, inquit, *dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quò ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat & præparet; neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passiuè se habere, anathema sit.* Quæ cùm Ioannis verbis optimè conuenire arbitror, qui gratiam ac iustitiam Christi meritis nobis comparatam, libertatem perficere maximè ac absolutè docuit, cùm ait dedisse Christum suo aduentu hominibus, qui vera illius cognitione & fide essent præditi, potestatem vt filij Dei fierent.

Concil. 2. Arausicanum. Epist. 1 ad Episc. Galliæ contrà errores Pelagij. Sess. 6. Can. 4. Ioan. 1.

Et ex tot tum Scripturæ tum Patrum ac Conciliorum testimonijs, constat etiam Caluini errores suprà citatos satis supérque refutari; Et prior adhuc clarius auctoritate S. Pauli; *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum*, Quæ verba sic explicat S. Augustinus: *Non*

Caluini errores circa liberum arbitrium refutantur. 1. Corinth. 15.

ego autem, sed gratia Dei mecum, id est non ego solus, sed gratia Dei mecum. Ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Et hoc valdè conforme est sententiæ Dauidis: *Adiutor meus esto*, inquit, *ne derelinquas me.* Et alibi: *Deus in adiutorium meum intende.* Quibus verbis sanè liquet Deum nos adiuuare, quod tamen verum non esset si nihil ex nostra parte ageremus, vt rectè arguit S. Augustinus: *Nomen* inquit, *adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Hinc S. Bernardus ait; *Conatus nostri cassi sunt, si non adiuuantur & nulli si non excitantur?* Solet enim gratia actualis mouere, præparare, & excitare nostram voluntatem ad consensum, & iam præparatam adiuuare, atque cum ea cooperari ad illum eliciendum consensum, iuxta id quod habet S. Augustinus. *Hominis voluntatem Deus præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Lib. de gratia & lib. arb. cap. 5. Psalm. 26. Psalm. 69. Serm. 13. de verb. Apost. Lib. de gratia & libero arb. In Enchir. cap. 31.

Posterior Caluini error refellitur ex eo quod habetur in actis; *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: loquitur de Iudæis qui spontè & plena libertate, gratiæ & inspirationi Spiritus Sancti resistebant, quamuis sæpè per talem gratiam ad fidem & pœnitentiam excitarentur. Quod confirmatur auctoritate Psalmistæ dicentis: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*: hoc est, si internam Spiritus Sancti vocem & inspirationem perceperitis, ei acquiescite & nolite resistere, vbi supponit esse in eorum potestate, vel monitioni diuinæ obtemperare, vel ei refragari. Et de facto exempla quamplurima habemus in scriptura, quòd aliqui consensum præbuerint diuinis inspirationibus, & alij eis nullum locum dederint, sed restiterint; consenserunt Matthæus in telonio, Zachæus in arbore, Latro in cruce, Paulus in itinere quo in Damascum pergebat, &c. Restiterunt autem Iudæi, de quibus S. Stephanus vbi suprà: vnde hoc argumentum dilemma nuncupatum, fieri potest: Vel ergò vtrique id liberè præstiterunt, vel coactè & necessariò; si liberè, habemus quod intendimus; si necessariò aut coactè, duo sequuntur absurda; Prius quod nec illi laude nec vituperio digni sunt; Posterius, quod Deus quibusdam suam largiatur gratiam, & per eam ipsos cogat ad resistendum, quod asserere est nimis absurdum & à diuina voluntate alienum, esset enim Deum auctorem peccati dicere, & in nostram damnationem ac perniciem, suam conferre gratiam; quo nihil absurdius dici potest. Act. 7. Psalm. 94.

SECTIO VI.

Idem liberum arbitrium, rationibus ex quibusdam absurdis petitis, probatur.

Liberum arbitrium rationibus ab absurdis petitis probatur.

POSTREMÒ, eadem assertio Catholica, quod in homine detur liberum arbitrium, probatur ab absurdis, quæ si eo esset priuatus, sequerentur.

Primum absurdum est, quòd in vanum leges à Deo & Principibus ad mala euitanda præscriberentur, nam S. Augustinus de Deo sic loquitur: *Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium?* Et cùm lex vt rationabilis sit & vim obligandi habeat, versari debeat circà possibilia; si non sit in nobis liberum arbitrium, sequitur nullas fore leges vel diuinas vel humanas, quia situm non esset in nostra potestate illas adimplere: sicut si verbi gratiâ aliquis legislator præciperet subditis volatum, vel vt montes transferrent, aut solem digito contingerent, vel vt non ægrotarent aut morerentur, certum est nil posse absurdius præcipi, cùm illis impossibile sit ista adimplere: ita à pari si libero careremus arbitrio, in nostra potestate non esset, leges nobis præscriptas executioni demandare; & inde quilibet posset quamcumque legem ea qua ferretur facilitate, absque vllo scrupulo contemnere, cùm de facto nulla esset.

Lib. de gratia & libero arb. cap. 2.

Secundum absurdum est, quòd si non sit liberum arbitrium in homine, non erit dicendus homo, nam si homo sit, necesse est dicere ipsum esse rationalem, aliàs propriâ careret essentiâ: at si rationalis est, habet appetitum rationalem, hoc est voluntatem indifferentem ad plura. Et ex hac ratione detegitur Caluini cæcitas & manifestissima contradictio, qui docet primum hominem libero arbitrio donatum fuisse ante peccatum, & hoc illi fuisse naturale & essentiale, & ità affirmat, & tamen dum peccauit, illud amisisse: verùm si ita sit quòd homini libertas ante peccatum fuerit essentialis, quomodo eam potuit per peccatum amittere? ex omnibus siquidem Philosophis liquidò patet illud quod alicui rei essentiale est, nullâ ratione amitti posse, sicut verbi causâ si quis peccando, oculis, auribus, manibus, pedibus, &c. abutatur, non censetur proinde illas partes amittere.

Lib. 1. instit. cap. 5. nu. 8.

Tertium absurdum, petitur ex ipsa peccandi ratione, implicat enim

enim contradictionem peccatum esse, & non voluntarium, sed necessarium, vt bene probat S. Augustinus: *Habemus liberum voluntatis arbitrium, & nonnisi eo peccamus.* Et idem; *Vsque adeò peccatum voluntarium est malum, vt nullomodo sit peccatum si non sit voluntarium.* Et ratio istud conuincit; nam si esset necessarium, esset impossibile se ab eo abstinere dum occurrunt tentationes, nec etiam posset homo eis resistere, & per consequens nullum supplicium aut pœna iis qui in illud inciderent, infligi deberent. Vnde præclarè ais idem S. Augustinus: *Si non est,* inquit, *liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum?*

Lib. 2. de lib. arbit. cap. 1.
Lib. de vera Relig. c. 14.
Epist. 46.

Quartum absurdum; Ad quid omnia Principum tribunalia, quæ malefactoribus pœnas & supplicia decernunt, si non est liberum arbitrium? profectò malefactor, fur, homicida, &c. condemnatus, facilè respondere posset, se ira vel cupiditate prædominante, non potuisse non occidere vel furari, cùm non habuerit liberum arbitrium; adeoque se non magis mereri supplicium, quàm eos qui rationis vsu orbati, in amentia alios occidunt, quandoquidem non sit magis sui iuris & potestatis quàm illi, quinimo dicere posset se non magis peccare quam peccent vulpes, gallinæ & lupi agnos deuorantes, nam illa animalia quamuis damnum inferant, non peccant tamen, quia arbitrio libero non pollent. Et quemadmodum si homo libero careret arbitrio, nullâ pœnâ pro delictis esset plectendus, ita nec præmio, mercede, brauio, aut corona esset dignus, cùm nullam posset exercere virtutem, & sic nec mereri nec demereri. Et ex ea narratione dicere possemus dum esset in cœlo nullum præmium esse illi reddendum nec in inferno pœnam, imò æternam damnationem maximam esse crudelitatem ob libertatis defectum, quæ meriti ac demeriti fundamentum existit.

Quintum absurdum quod ex præcedentibus etiam sequitur, est peccandi licentia, nam is cui persuasum est se non habere liberum arbitrium, non conabitur Dei mandata adimplere, & si tentetur non illi curæ erit tentationibus resistere, vt neque debet, ne facto suo liberum astruat arbitrium.

Sextum absurdum est, fore superfluas admonitiones & exhortationes ad virtutem & ad rectam viuendi rationem; nam si homines liberi non sint, in vanum eis tales fierent exhortationes & conciones, cùm non possent amplecti bonum ad quod inducerentur, & malum fugere quod illis dissuaderetur. Vnde etiam sequeretur primò totalis ferè ruina religionis Caluinianæ, nam cùm nullum habeant sacrificium & vix duo sacramenta, potissima pars illius falsæ religionis posita est in concione, quæ tamen à ministro non minùs

ineptè ad populum quàm ad ouium gregem boumque & asinorum armentum dirigitur, si non sit liberum arbitrium. Sequitur secundò frustrà eos tentare Catholicos vt eos ad suas partes pertrahant, & iniquissimè eos etiam carceribus & suppliciis afficere (vt quibusdam in locis actum est) quòd non amplectantur eorum religionem, sacramenta, &c.

Septimum denique absurdum quod ex negatione liberi arbitrij sequitur, est inutilia fore de rebus agendis consilia & deliberationes hominum; & tamen contrarium videmus, nam deliberare solent an studendum, an sumenda medicina, an bellum gerendum: quibus in rebus Principes Consiliarios etiam suos adhibent. Deinde si è medio tolleretur liberum arbitrium, essent quoque rescindendi omnes matrimonij contractus, quia nisi obligent in conscientia rescindi possunt; at verò si non sit liberum arbitrium non obligant, cùm nemo obligetur sine suo libero consensu: vnde est quòd contractus initi, metu cadente in constantem virum rescindantur, vt patet ex toto titulo iuris canonici, de his quæ vi metusque causâ fiunt.

Isai. 41. Sed contrà hæc omnia prædicta de libero arbitrio, objicit Lutherus locum Isaiæ, vbi hæc habet Propheta: *Benè aut malè si potestis facite;* vnde colligit non esse in nostra potestate bene vel malè operari: Sed toto cœlo aberrat Lutherus, non enim loquitur Isaias de hominibus, sed de Idolis gentium, quibus exprobrat imbecillitatem, quòd cùm Dij à stultis & cæcis hominibus habeantur, bene tamen aut malè facere nequeant, id est suis cultoribus prodesse, & contemptoribus nocere non possint; & sic nullum est Lutheri argumentum aduersus liberum arbitrium vt illud è medio tollat.

Obiectiones nonnullæ contra liberum arbitriũ soluuntur.

Prouerb. 20. Objiciũt etiã hæretici id Prouerbiorũ: *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam?* Et id quoque Prouerb. *Cor regis in manu Domini, quocumque ille volet inclinabit illud.* Respondemus quidem, cor hoc est voluntatem cuiuscumque hominis esse in manu Dei, & quò voluerit illam inclinare posse cum sit creatura, & proinde in perfecta obedientia respectu creatoris, vim tamen non inferre libero arbitrio ipsius hominis, sed solùm per gratiam ad bonum inclinare ei repræsentando obiectum, quo ad bonum allicitur.

Prouerb. 21.

Objiciunt iterum ipsi hæretici, præscientiam & prædestinationem tollere liberum arbitrium, quia quod Deus præsciuit ab æterno, necessariò euenire debet, aliàs eius falleretur præscientia, & idem dicunt de prædestinatione. Sed respondemus præscientiam Dei præsupponere rerum futuritionem, ideò enim Deus præsciuit Iudam

traditurum Iudæis Christum, quia reuerà erat traditurus, & Petrum negaturum quia erat negaturus; atque ita si traditio Iudæ & negatio Petri ex se liberè erant futuræ, non amiserunt libertatem propter Dei præscientiam. Deus etiam nos prædestinat ad gloriam ex præuisis meritis, vel saltem dependenter ab illis quoad executionem quæ est glorificatio; cùm autem præuisa illa merita à libero arbitrio gratiâ Dei præuento eliciantur, in nostra etiam sunt potestate, nec vlla ratione ipsi libero arbitrio officiunt. Pari modo prædestinatio ad gratiam nullam infert vim vel necessitatem, cùm Deus non prædestinet nos ad gratiam nisi habita ratione voluntatis & conformiter ad illam; Et denique gratia & concursus Dei in tempore, nullam ipsi libero arbitrio imponunt necessitatem, quia eidem contemperantur. Qui volet de his plura alia scire Scholasticos consulat.

SECTIO VII.

Poßitne cogi voluntas in suis actionibus.

PRo huius quæstionis resolutione est aduertenda distinctio quam sectione secundâ huius capitis quarti in medium adduximus, de actibus tum elicitis tum imperatis voluntatis; qua supposita distinctione, sit hæc prima propositio. *Quomodo cogi vel non cogi poßit voluntas in suis actionibus.*

Si sermo est de actibus elicitis & internis, voluntas nullatenus cogi potest, ne quidem virtute diuinâ, id enim planè repugnat & contradictionem inuoluit; quia violentum siue coactum propriè illud est, cuius principium ita est extrinsecum, vt ad illud agens aut patiens nullum accommodet concursum, id est nihil adiumenti conferat; quinimò quantum fieri potest resistit, vt constat de brutis, quæ contrà naturalem inclinationem ab homine impelluntur, immò & de rebus inanimatis, vt de lapide sursùm proiecto: Atqui implicat contradictionem actum aliquem voluntatis esse immediatè ab ipsa elicitum, nec tamen voluntatem ad illum præbuisse suum concursum; Ergo voluntas in suis actionibus elicitis cogi nequit, & si cogeretur, ipsa vellet & nollet simul, vellet quidem quoniam ex hypothesi actum volitionis eliceret, non vellet autem quia ad illam actionem non concurreret, posito quòd illa actio esset violenta, quod omnino implicat. Et hoc confirmat Scotus & eius sequaces, dum vocant voluntatem per essentiam liberam, hoc est intrinsecè & per suam entitatem, ita vt per nihil possit necessitari nisi extrinsecè & quoad actio- *In 1. dist. 1. q. 4.*

nes imperatas, vt ſtatim in ſecunda propoſitione dicetur; & ita tenent multi recẽtiores vt Bannes, Zumel, Aluarez & alij. Secunda propoſitio: Si ſermo eſt de actionibus imperatis & externis, iis nempe quæ ab aliis facultatibus eliciuntur voluntatis imperio ſubditis; dubium non eſt quin voluntas cogi poſſit & violentiam pati, quod facile eſt oſtendere; ſi quidem fieri poteſt vt reluctante ipſa voluntate nullumque conſenſum præbente, cogatur quiſpiam non tantùm vt exerceat actum alterius facultatis à voluntate, ſed etiam vt eandem non exerceat volente ac imperante voluntate, v.g. etiamſi aliquis aut loqui, aut ambulare, aut etiam videre vellet, quæ ſunt actiones imperatæ, poſſet tamen detineri violenter, vel ita impediri vt nullo planè modo poſſet loqui, ambulare, aut videre; vel contrà, licet aliquis videre nolit, imò etiam oculos claudat, poteſt tamen Deus vel quilibet homo eum cogere vt videat, ſi nempe per vim oculos illius aperiat: cuius concluſionis veritas non magna indiget probatione, eam enim confirmat quotidiana experientia, cùm videamus multos nolentes ac inuitos detrudi in carcerem, & ad furcas aut cruces violenter duci, & mortem ſubire, & hoc eſt quod quidam Scotiſtæ dicunt, ipſam voluntatem violentari ſecundùm quid quoad actus aliarum facultatum: vt ſi per Deum vel Angelum facultas motrix moueret membra contra eius imperium, vel ſenſus externi ipſa inuita applicarentur obiectis; quo caſu illæ facultates non paterentur vim, quia hæc eſt ab extrinſeco, & illæ tunc ab intrinſeco elicerent ſuas operationes.

SECTIO VIII.

Quomodo voluntas moueat intellectum, & cæteras animæ potentias.

Voluntas intellectum & alias animæ potentias mouet, & quo imperio.

QVEMADMODVM intellectus ductor eſt ac rector voluntatis, eamque illuminat, cùm ſit in ſuis operationibus cœca niſi adſit lumen ipſius intellectus: ita volũtas mouet actiuè intellectum & cæteras animæ potentias ad ſuos actus exercendos, cùm in illas dominium ac imperium habeat; mouet autem illas potentias concurrendo cum illis tãquam cauſa vniuerſalis; ita vt ex potentia cum qua volũtas concurrit & ex ipſa voluntate fiat vna integra cauſa, à qua integra actio proficiſcatur. Vnde patet actionem illam qua voluntas formaliter mouet alias potẽtias eſſe tranſeuntem, cùm in ipſa voluntate non

maneat, siquidem re distinguitur ab actione aliarum potentiarum. Et vt facilè illud intelligamus, nosse oportet duplex imperium, vnum despoticum, alterum politicum seu ciuile. Imperium despoticum est quo Dominus imperat seruis qui resistendi facultatem nullam habent, cùm nullo modo sint sui iuris. Imperium politicum est quo Princeps Reipublicæ imperat ciuibus, qui tametsi eius præceptis obediant, tamen cùm sint liberi, possunt eius imperio resistere, quare cùm voluntas dicatur mouere facultates sensitiuas, sintque tres potentiæ sensitiuæ quæ illius imperio subijciuntur, nempè sensus, appetitus sensitiuus, & facultas motrix, quæritur quodnam imperium habeat voluntas in tres illas animæ sensitiuæ facultates, cui quibusdam assertionibus satisfiet.

Imperium duplex despoticum & politicum.

Prima assertio. Voluntas nullum sensum mouet imperio despotico sed politico; quia nullus est sensus, internus potissimùm, qui voluntati semper ad nutum obediat, nam sensus communis perseuerante externi sensus apprehensione necessariò apprehendit; & in vniuersum omnes sensus interni, nonnunquam adeò tenaciter rem apprehendunt, vt voluntas eorum apprehensionem & cognitionem, aut nullo modo aut difficillimè compescat. Datur autem ista tenacitas, vel ex præsentia obiecti, vel ex instigatione Dæmonum, vel ex naturali temperie organi seu cerebri, vel denique ex nimio affectu sensitiui appetitus.

Secunda assertio. Voluntas mouet quoque appetitum sensitiuum imperio politico, non autem despotico. Prior pars, scilicèt quòd appetitus sensitiuus moueatur à voluntate; probatur in-primis iisdem rationibus quibus probamus sensitiuas facultates subijci imperio voluntatis. Deinde experientia probatur, illius enim effrænatos motus, arbitrio nostro vel incitamus, vel coërcemus, iuxtà illud Genesis: *Sub te erit appetitu tuus, & tu dominaberis illius.* Posterior autem pars, quòd nempè appetitum sensitiuum voluntas moueat imperio politico, hinc nota est, quòd sæpenumerò appetitus sensitiuus feratur in obiectum iucundum, reclamante iudicio rationis & præter voluntatis inclinationem; quod clarè significat Apostolus, cùm ait: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, id facio.* Nascitur autem ista resistentia cùm ex efficaci apprehensione sensus interni, quam apprehensionem sequitur appetitus, tùm ex naturali temperie organi quæ naturali dispositione non subiacet imperio voluntatis, mouet autem voluntas appetitum sensitiuum mediante notitiâ sensuum internorum, nempè phantasiæ vel facultatis æstimatiuæ, cùm appetitus sentiens non feratur in incognitum.

Genes. 4.

Ad Rom. 7.

Tertia assertio. Voluntas mouet facultatem motricem seu membra externa imperio despotico citrà vllam repugnantiam, eo quòd facultas illa mouens seu motrix nullam sibi vendicat libertatem quâ rationi & voluntati resistere queat, qualem saltem impropriam sibi vendicat appetitus sensitiuus. Mouet autem voluntas membra externa plerumque sine interuentu appetitus sensitiui, imò & ipso reluctante, vt patet in Sanctis Martyribus qui membra acerbissimis cruciatibus offerebant contrà omnem appetitus sensitiui inclinationem, quamuis plerumque, & sæpiùs interuentu appetitus sensitiui id fiat. Huius rei ratio est, quòd voluntas in facultatibus animæ mouet vt agens supremum, appetitus vt agens medium, vltimum autem est virtus motiua in membris residens: ideoque fit vt supremum sæpè sæpiùs nonnisi interuentu medij moueat extremum, licèt, vt dictum est, aliter Sanctis Martyribus contigerit.

Quas facultates moueat appetitus sensitiuus. Sed quæritur an appetitus sentiens, possit otiosa voluntate vim motricem excitare. Cui quæstioni cum distinctione respondetur; nam si sermo sit de motione quâ appetitus ex vsu rationis mouet, non solet appetitus mouere membra nisi imperante voluntate; si autem de alijs motibus sit sermo, interdum oppositum accidere, quod est manifestum in motibus repentinis, quibus interdum absque deliberatione membra mouemus, vt cùm quis naturâ biliosus ex subita appetitione vindictæ manum mouet ad lędendum.

Si quæras vtrum appetitus sensitiuus moueat voluntatem. Respondetur primò ipsum eam mouere, experimur enim motum appetitus siue iræ, siue doloris aut lætitiæ inclinare ad se voluntatem, iuxtà illud Sancti Iacobi: *Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus.* (Iacobi 1.) Secundò respondeo, appetitum non mouere voluntatem imperando, cùm facultas inferior & organo corporeo mancipata, non habeat imperium in potentiam superiorem omnis materiæ expertem. Tertiò respondeo, appetitum mouere volunluntatem indirectè & remotè, & vt explicat Sanctus Thomas ex parte obiecti, id est interuentu notitiæ intellectiuæ quæ obiectum appetendum aut declinandum proponit: quod potest fieri duobus modis: Primo cùm passio appetitus est in causa cur intellectus hoc aut illo modo aliter atque aliter de re iudicet, quò fit vt voluntas quæ sequitur iudicium intellectus idem velit aut repudiet quod appetitus: Altero quia appetitus mouet voluntatem per notitiam interni sensus, quem ipse sequitur quatenùs sensuum phantasmatibus determinatur intellectus ad huius & illius rei conceptum. Porrò non mouet appetitus voluntatem nisi interuentu intellectus, vt enim appetitus non fertur, nisi ad id quod fuerit cognitum ab aliquo interno sensu;

ita voluntas libero suo motu, non fertur nisi ad id quod priùs fuerit cognitum ab intellectu.

Cæterùm porest adeò esse vehemens appetitus vt omninò rationis vsum absorbeat, tumque necessariò moueat voluntatem, quamuis id semper fiat interueniente iudicio rationis, sed perturbato; turbat autem absorbetque iudicium affectio apetitus cum sensitiua cognitione, quæ tali affectu adeò vehementer intellectum mouet ad cogitandum de obiecto passionis, verbi gratiâ de re aut dolorem aut delectationem afferente, vt interim ei deliberandi facultatem adimat & auferat. Appetitus sentiens quãdoque absorbet vsum rationis.

SECTIO IX.

Sit-ne voluntas intellectu præstantior, an contrà.

LICET voluntas intellectui, & intellectus voluntati diuersâ consideratione præstet, nihilominùs tamen absolutè & simpliciter loquendo voluntas nobilior est ipso intellectu; & ita docet Doctor noster Subtilis. Voluntas nobilior est intellectu, quod probatur. 4. Sent dist. 49. q. 4.

Probatur primò hæc assertio, quia nobilitas facultatis petitur à nobilitate obiecti; at voluntas pro obiecto habet bonum vniuersale, quod reducitur ad Deum qui est summum bonum, intellectus autem minimè: ergo hac ratione voluntas intellectui præstat.

Secundò probatur, quia in voluntate aliquis datur habitus qui perfectior est quocumque habitu intellectus, videlicet charitas, quam Apostolus dicit esse perfectiorem omnibus alijs virtutibus. Et Sanctus Augustinus idem docet in libris de Trinitate dum ait: *In donis Dei nullum esse maius donum charitate, nec æquale*: ergo voluntas præstantior est intellectu. Confirmatur ex eo quod Sanctus Dionysius docet supremum Angelorum ordinem à charitate nomen habere, secundum à scientia: & ratio est quia dilectio supereminet scientiæ: at dilectio est actus voluntatis, & scientia actus intellectus: ergo ex eo clarè sequitur voluntatem intellectui supereminere. 1. Cor. 13. Lib. 15. de Trin. c. 19. S. Dionys. de Cœl. Hierarch.

Tertiò probatur ex his quæ dicta sunt: Nobilissimus actus intellectus est imperfectior nobilissimo actu voluntatis: ergo etiam intellectus erit imperfectior & ignobilior voluntate. Consecutio manifesta est. Antecedens probatur, quia perfectissimus actus intellectus est cognitio Dei, voluntatis autem amor; sed amor Dei siue

charitas perfectior est fide seu cognitione ipsius intellectus, quia per talem actum longè arctiùs vnitur ipsi Deo anima quàm per quamcumque cognitionem aut contemplationem: ergo, &c.

Quartò probatur: Voluntas regit intellectum, aliasque facultates, & imperat intellectui vt intelligat, & ita in hoc videtur efficiens causa intellectionis saltem æquiuoca: ergo, &c.

9 Metaphysi-ca. Quintò probatur ex Aristotele, qui ait: *Posterius generatione est prius perfectione*; sed volitio est posterior generatione actu intellectus, priùs enim debemus rem intelligere quàm velle, vel amare, iuxtà illud commune axioma: *Nihil volitum nisi præcognitum*: ergo, hac ratione voluntas nobilior est intellectu. Confirmatur ex S. Anselmo, qui expressè dicit volitionem habere rationem finis respectu ipsius intellectus.

Cur Deus homo cap. 1.

Sextò probatur: Maxima perfectio animæ rationalis est libertas, in qua omne meritum consistit: libertas autem illa, vt constat ex suprà-dictis, formaliter est in voluntate, in quo intellectui dominatur, ipsi quæ agenda sunt præscribens: ergo, &c. Postremò: Fœlicitas nostra consistit in actu voluntatis, vt benè probat Scotus suprà; & fusiùs ostendemus Cap. 16. Sect. 5. Et suadetur, quia id est fœlicitas nostra, quo formaliter expellitur nostra miseria, ita vt repugnet eam simul cum illo stare; sed huiusmodi est actus amoris, quo cum repugnat stare auersionem à Deo, non autem actus intellectus, quia nulli tali repugnat illa auersio. Confirmatur, quia posito actu amoris, quietatur & satiatur beatus non aliter: ex his ergo omnibus constat voluntatem esse intellectu præstantiorem.

Non desunt tamen rationes in contrarium, quæ à Thomistis adducuntur.

Prima obiectio: *Sapientia est nobilissimus habitus*, vt habet Aristoteles: at sapientia est actus intellectus: ergo, &c. Respondet Doctor Subtilis quòd licet sapientia sit nobilior omnibus habitibus naturaliter acquisitis, non tamen est nobilior habitibus infusis, & maximè charitate, quæ disponit ad nobilissimum actum, scilicet ad beatitudinem.

11 Metaphys. & 6. Ethic. cap. 10.

Secunda Thomistarum obiectio est: Illa potentia est nobilior cuius obiectum nobilius est; sed obiectum intellectus nobilius est obiecto voluntatis, obiectum siquidem illius est verum, quod est in mente, & obiectum huius est bonum quod est in rebus: at verò quod in mente residet nobilius est eo quod est in rebus: ergo sequitur exinde intellectum voluntati præstare. Respondemus argumentum esse contrà eos, quia obiectum voluntatis iuxtà illos est Deus in se, obiectum verò intellectus in patria est Deus receptus in intellectu,

ſed Deus in ſe habet ſimplicius eſſe quàm prout habet eſſe receptum in intellectu, quia ibi eſt aggregatio rei, & multarum relationum rationis, ſicque eorum obiectio nil aduerſus Scotum efficit. Aliter reſpondemus negando maiorem, propter inſtantiam Commentatoris de ſenſu & ſenſato, quia memoria ſenſitiua habet obiectum ſimplicius quàm imaginatiua ſeu phantaſia, & tamen ſecundùm eum non eſt nobilior.

Tertia obiectio eſt: Illa potentia eſt nobilior cuius actus eſt purior, ſed actus intellectus eſt purior actu voluntatis: Oſtenditur, quia ſcire malum non eſt malum, ſed velle malum. Reſpondeo eſſe oppoſitum, quia actus voluntatis eſt purior & perfectior, melius eſt ſiquidem Deum amare, quàm intelligere & non diligere.

Quarta obiectio: Dirigens eſt nobilius directo, at verò intellectus dirigit voluntatem: ergo eſt nobilior voluntate. Reſp. dirigens, per modum imperij, verum eſt, per modum conſilij, nego; at non imperat intellectus voluntati, ſed ſolùm dirigit per modum conſilij, & contrà voluntas imperat intellectui.

SECTIO X.

De memoria intellectiua.

QVEMADMODVM neceſſe eſt aliquam memoriam in ſenſibus admittere, quæ ſit communis officina & promptuarium in quo omnium ſenſuum ſimulachra & imagines aſſeruentur, & quæ rerum per ſenſus perceptarum recordetur; ita eſt aliqua admittenda intellectiua, quæ rerum per intellectum apprehenſarum recordationem quoque habeat. Memoriam illam ſenſitiuam habent homines cum brutis communem: at intellectiua ad ipſos homines tantùm ſpectat, immò & remanet in anima ſperata, vt patet exemplo diuitis Epulonis, qui dicebat: *Pater Abraham miſerere mei, &c.* qui reſpondebat Abraham: *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, &c.* Ipſemet quoque epulo dum in inferno ſepeliretur, ſuorum fratrum adhuc in præſenti vita exiſtentium recordabatur, vt in eadem patet hiſtoria; at verò talis memoria ſeu recordatio non erat ſenſitiua, cùm eius anima eſſet à corpore ſeparata; ergo debebat eſſe intellectualis. Nec valet quod aliqui obijciunt, quòd ſi in vita etiam functis, remaneret intellectiua memoria, beati ex recordatione peccatorum in via commiſſorum triſtarentur, quia non complacerent in

Memoriam intellectiuam eſſe admittendam, multis rationibus probatur.

Luc. 16.

cis: nam respondetur denegari eis concursum ad actum recordandi, vel eo dato, impediri actum tristitiæ, de quo Scotus infrà.

4 Sent. dist. 45. Hæc porrò assertio nostra de memoria intellectiua, est ipsius doctoris subtilis, qui dum de illa loquitur vt probet eam dari: Primò supponit aliquem actum cognoscendi præteritum, vt præteritum est, esse in nobis, vt hoc ex se patet, nec probatione indiget: & addit hunc actum de quo recordamur, debere fuisse actum humanum atque infuisse ipsi recordanti, non enim actuum aliorum de quibus notitiam non habuimus, recordamur, sed solùm nostrorum actuum: Secundò supponit descriptionem recordationis esse talem: *Recordatio est cognitio seu cogitatio actus alicuius præteriti in quantum præteriti*; quâ descriptione constat potentiam recordatiuam habere actum post tempus iam elapsum, & quando non est obiectum præsens nisi per speciem, & tandem illius recordationis actum esse humanum & proprium, maximè si de recordatione hominum sermo fiat, vt de facto fit in proposito; Nec dici potest fieri per memoriam sensitiuam, quia pœnitentiam agimus de malis actibus spiritualibus, quos sensus non nouit.

His suppositis, ostendit & probat Doctor subtilis ipsam intellectiuam dari memoriam propriè dictam, seu recordationem quæ sit conseruatiua specierum præteritorum vt præteritorum; nam conditiones quas suprà diximus ei conuenire, verè competunt ipsi, potest enim intellectus percipere tempus, & habere actum post tempus illud iam elapsum: Vt autem faciliùs id innotescat obseruandum est *In primũ sent. dist. 2. q 6.* memoriam illam ex eodem Doctore Subtili, nil aliud esse præter intellectum in habitu, concludit enim expresè ex intellectu in habitu dari memoriam intellectiuam; Intellectus autem in habitu tunc dicitur quando recipit speciem intelligibilem impressam in se, eamque conseruat, sed illam actu non contemplatur, at ad suum libitum *In tertio de anima textu. 8.* illam contemplari potest; & sic loquitur Aristoteles de intellectu in habitu, qui scilicet habet habitus scientiarum, quando habet species intelligibiles rerum quæ ad illas scientias pertinent: Dicitur autem in actu quando actu contemplatur species intelligibiles, & elicit intellectionem, producitque verbum mentis. Et ex hoc liquidò constat memoriam intellectiuam admitti debere, quæ aliud non est præter intellectum possibilem non quocumque modo spectatum, sed vt est in habitu, & in eo conseruantur species intelligibiles obiectorum, quas non speculatur & intelligit actu; quando autem posteà easdem speculatur & intelligit obiecta per eas repræsentatiua, tunc recordari dicitur: vnde docent melioris notæ Philosophi, intellectum posse recordari eorum omnium de quibus recordatur memo-

ria ſenſitiua, quia omnia quæ cognoſcuntur à ſenſibus, etiam cognoſcuntur ab intellectu; potentia enim ſuperior cognoſcit omnia quæ cognoſcit inferior, & nobiliori modo; & ideò poteſt intellectus cogitare actum præteritum quem habuit circà aliquod ſingulare, & cognoſcere fluxum temporis quod interfuit inter illam primam cognitionem & hanc quam modò habet, & poteſt habere ſpeciem illius obiecti remoti & abſentis, quâ quidem ſpecie, illius recordetur; ſicque poteſt memorare ea omnia de quibus memorat ſenſus & modo nobiliori.

Præterea, Intellectus aliqua memorare poteſt, quæ non poteſt ſenſus: Ergo præter memoriam ſenſitiuam datur intellectiua. Antecedens probatur, quia intellectus poteſt meminiſſe omnis intellectionis & volitionis præteritæ; quod enim talium recordetur homo, probatur; quia aliàs non poſſet pœnitere de malis volitionibus, nec præteritam intellectionem vt præteritam conferre ad futuram, &c. clarum eſt autem non poſſe ſenſum aliquem iſtarum intellectionum recordari, quia non cadunt ſub obiectum alicuius ſenſus: Ergo illa recordatio & memoria eſt propria intellectui; ſicque vltrà ſenſitiuam memoriam datur intellectiua, cuius eſt recordari non ſolùm eorum omnium quorum ſenſitiua recordatur, ſed etiam multorum præteritorum intelligibilium, ad quæ non attingit ſenſus. Et hoc eſt quod dicit Ariſtoteles in libro de memoria & reminiſcentia; *Quorundam intelligibilium memoramus* (inquit.) Ex hac auctoritate colligitur nos recordari aliquarum intellectionum quas non poſſumus ſenſibus percipere neque cognoſcere, neceſſe eſt ergo quòd in intellectu ſit memoria.

Præterea, clarum eſt in nobis manere habitus ſcientiarum, & recordari multarum concluſionum integrantium illum habitum, vt de eo conſtat qui habet habitum Philoſophiæ naturalis, & ſimul habet memoriam multarum concluſionum demonſtratarum in tali ſcientia: At iſti habitus & notitia iſtarum concluſionum, non conſeruantur in phantaſia neque in alio ſenſu, quia non cadunt ſub obiectum ſenſus; ergo manent & conſeruantur in intellectu per ſpecies intelligibiles, quæ aliud non ſunt niſi conceptus formati ab intellectu de rebus illis, ſicque datur memoria intellectiua.

At objicies: Ariſtoteles in lib. de memoria & reminiſcentia negat memoriam intellectiuam, & ſtatuit memoriam ſenſitiuam tantùm, quam vult inſeruire & imaginatiuæ & intellectui, ac primariò quidem imaginatiuæ, ſecundariò verò & per accidens intellectui. Reſpondeo Ariſtotelem ibi concedere quidem in homine eſſe memoriam ſenſitiuam quæ inſeruit intellectui, ſed ex hoc non ſequi in in- *Ariſt.*

tellectu ipſo nullam eſſe memoriam; dixit autem memoriam ſenſitiuam inſeruire intellectui, quia eſt radix memoriæ intellectiuæ, & intellectus non poteſt recordari ſine ſenſu, ſed ſenſus poteſt recordari ſine intellectu, vt patet in brutis, & propter hoc multum tribuit memoriæ ſenſitiuæ.

Pro huius tamen difficultatis faciliori intelligentia; aduertendum eſt intellectum & phantaſiam eſſe potentias adeò connexas & coniunctas, vt vna non poſſit intelligere abſque altera, neque enim intellectus poteſt intelligere aliquam ſpeciem quin phantaſia verſetur circà phantaſma eiuſdem ſpeciei: ita euenit in memoria & recordatione præteritorum, non enim intellectus alicuius ſpeciei recordari poteſt, quin phantaſia quoque phantaſmatis illius eiuſdem ſpeciei non recordetur, & cùm phantaſia ſit radix & origo intellectionis, conſequenter etiam eſt origo & radix memoriæ intellectiuæ; & hinc fit quòd intellectus dum recordatur alicuius rei intellectæ, vi alicuius ſpeciei intelligibilis, habet non ſolùm cognitionem abſtractiuam, ſed etiam intuitiuam, id eſt non ſpeculatur præcisè vniuerſale, ſed ſimul ſpeculatur & intuetur ſingulare inuolutum conditionibus ſingularibus, quod eſt intuitiuè cognoſcere: & hinc eſt quòd Scotus ait nullam recordationem pertinere ad intellectum, inquantùm eſt præcisè abſtractiuè intelligens; nam eſt neceſſe quòd in recordatione dum intellectus ſpeculatur per ſpeciem intelligibilem, intueatur quoque ſingulare naturale propter vicinitatem phantaſiæ, quæ quoque tunc imaginatur phantaſma ſingulare. Et hæc eſt vna ex cauſis præcipuis propter quam multi dicunt ſufficere ſenſitiuam memoriam, quia dum intellectus intelligit & recordatur, phantaſia quoque recordatur, & phantaſia eſt prima & principalis radix memoriæ, vnde intellectus non poſſet per ſe recordari ſine phantaſia, ſicuti nec poteſt intelligere niſi phantaſia conuertatur ad phantaſmata propter ordinem iſtarum potentiarum pro hoc ſtatu, in quo ex ſenſibus mendicamus omnem noſtram cognitionem; In alio autem ſtatu ſecundùm Theologos erit alius modus intelligendi quàm per conuerſionem ad phantaſmata, & ſic alius modus memorandi; & propter hoc Ariſtoteles dixit memoriam eſſe in parte ſenſitiua, & inſeruire quoque intellectui; Concludimus ergo ipſam intellectiuam memoriam dari in homine. Aduerte porrò quòd quemadmodum memoria ſenſitiua non in ſola ſpecie ſenſibili, nec in ſola phantaſia conſiſtit, ſed in vtraque ſimul: ſic etiam dicendum de intellectiua memoria, non eſſe ſolam intelligibilem ſpeciem, nec ſolùm intellectum poſſibilem, ſed vtrumque ſimul: Ampliùs quemadmodum memoria ſenſitiua eſt locus conſeruatiuus ſenſibilis ſpeciei obiecti

ſingularis, ita & memoria intellectiua eſt locus conſeruatiuus ſpeciei intelligibilis, obiecti potiſſimùm vniuerſalis. Sed contra id quod dictum eſt memoriam intellectiuam nihil aliud eſſe præter intellectum in habitu, hoc eſt ſpecie impreſſa ſeu intelligibili informatum, poteſt objici experientia conſtare, quoſdam benè rem intelligere, ſed malè recordari, & per conſequens intellectum & memoriam diſtingui. Reſpondemus intellectum ratione organi tantùm impediri ne expeditè recordetur, quod non arguit diſtinctionem potentiæ ſed actuum: ſimili modo, intellectus eſt facilis ad quædam obiecta intelligenda, & difficilis ad alia, & tamen non ideo diſtinguitur à ſeipſo.

Sed ſi quæras quomodo ex multis ſpeciebus inhærentibus intellectui, vna potius quàm aliæ mouet ad recordandum. Reſpondemus ex Scoto illam prius mouere cuius phantaſma fortius excitat, quia intellectus dependet à phantaſmate in vſu ſpecierum, vt pluries dictum eſt. *In 1. diſt. 3. q. 2.*

Sed petes vnde eſt quod vnum phantaſma fortius alio moueat. Reſpondetur, vel ab obiecto, vel ab Angelo bono vel malo commouente humores, vel à complexione, ratione cuius phantaſia determinatur ad hæc ſenſibilia pluſquam ad illa: Et hinc experientiâ conſtat quòd ſecundùm diuerſitatem complexionum, aliqui magis tentantur ad hæc vitia quàm ad illa; verbi gratiâ, in aliquibus ob prædominium appetitus ſenſitiui, trahitur voluntas ad conſentiendum in luxuriam, in aliis ad ſuperbiam, & ita de aliis.

SECTIO XI.

Potentiæ animæ diſtinguuntur formaliter ab anima, & à ſeinuicem, non verò realiter.

HÆc aſſertio eſt Doctoris ſubtilis & ſequacium, vt Radæ, Fauentini, &c. docent ſiquidem animam eſſe totum quoddam poteſtatiuum, quod continet illas potentias, & illæ potentiæ ſunt in ipſa anima vnitiuè: Vt autem intelligatur quomodo ſint in ea vnitiuè, notandum eſt illa quæ vnitiuè ſunt in aliquo eſſe duplicis generis, quia quędam ſunt de natura continentis, vt omnia ſuperiora ad continens, vtpote animal, corpus, & viuens ad hominem: alia ſunt quaſi poſteriora, quia ſunt quaſi paſſiones continētis, nec ſunt res aliæ *In 2. diſt. 16. q. Vnicâ.* *Potentiæ animæ quomodo diſtinguũtur ab anima & inter ſe.*

ab ipso continente; & hoc modo ens continet multas passiones quæ non sunt aliæ res ab ipso ente, vt probat Aristoteles, distinguuntur tamen formaliter ab ente & non solâ ratione, quia aliàs Metaphysica illas considerans non esset scientia realis: quemadmodum autem ens continet vnitiuè suas passiones sicut vnum, verum, bonum; sic anima continet eodem modo suas potentias, quæ cùm non possint distingui realiter ab anima, neque inter se, eidem realiter sicut inter se identificantur, & cùm sint diuersi conceptus formales animæ & potentiarum, imò diuersæ definitiones, non possunt distingui solâ ratione; ergo formaliter.

4. Metaph.

Confirmatur primò, nam intellectus & voluntas etiamsi non sint partes essentiales animę, sunt tamen vnitiuè contentæ in anima & quasi passiones eius ab eadem aliquo modo fluentes, propter quas anima est operatiua, & ideò non sunt essentia eius formaliter, sed formaliter distinctæ sunt, idem tamen realiter & vnitiuè, vt est sic iudicandum de attributis in essentia Dei.

Confirmatur secundò, nam si potentiæ sunt realiter distinctæ ab anima, possunt ab ea separari per Dei potentiam, quia ambæ sunt absolutæ: at verò etiamsi distinctio in relatis non inferat separabilitatem, infert tamen in absolutis, nam ideò ens absolutum dicitur, quod à nullo re distincto dependeat. De quo Scotus optimè in secundum sent. Vt igitur totius huius quæstionis resolutio clarior fiat, est imaginandum quòd anima quasi in primo instanti naturæ, est natura talis, in secundo est operatiua siue potens operari secundùm hanc vel illam operationem, & potentiæ quæ sunt principia istarum operationum, vnitiuè continentur in essentia eius; Et nota illas posse dici medias inter formas substantiales, & accidentales, quia sunt quasi passiones animæ, & passio egreditur & fluit à subiecto, sunt tamen idem cum essentia animæ realiter, & possunt etiam dici partes, quia nulla dicit totam perfectionem essentiæ continentis, sed quasi perfectionem partialem. Similiter licèt vna potentia sit eadem realiter cum altera, tamen propterea quod distinguitur formaliter ab anima & alijs potentijs, non continet perfectiones tum animæ tum cæterarum potentiarum, ita vt non contineant se mutuò, propter talem distinctionem.

Scot in 2. dist. 1 q. 4 nu. 21.

Rationibus autem hæc suadetur assertio. Prima est ex Aristotele: Non est (inquit) ponenda pluralitas sine necessitate, sed nulla apparet necessitas ponendi istas potentias esse aliud essentialiter ab anima, siue distingui ab ea essentialiter &c. Secunda; Ponendum est in natura id quod melius est, si possibile sit poni, sed melius est quòd anima per seipsam exeat in suas operationes, siue sit immediatum

Aristot. 1. Physic.

principium suarum actionum quàm exercere suas operationes per accidentia media; ergo &c. Tertia; Forma accidentalis quæ est imperfectior animâ, ex se exit immediatè in suum actum, vt patet de calore ignis; Ergò, &c. Quarta, Creatura rationalis nobiliori modo attingit finem quando attingit per immediatam operationem, quàm quando attingit per accidentia media, quæ sunt causæ suæ operationis; Ergò, &c. Quinta; Si potentiæ animæ realiter distinguuntur ab anima, sequitur quòd anima non intelligit, nec vult, nec operatur per se, nec formaliter, sed per accidens; hoc autem dicere, est asserere nobilissimum ens carere sua propria actione: Quòd operaretur per accidens, exemplo patet: color dicitur recipi per accidens in substantia corporea, quia recipitur mediante superficie, sic etiam si intelligere, velle, & recordari recipiuntur in anima per potentias distinctas realiter ab anima, sequitur quòd anima intelligit per accidens, vult per accidens &c. Sexta; Eadem sunt principia essendi, & principia operandi, & ea forma quæ dat esse dat etiam operari, sed anima non est principium operandi nisi in ratione potentiæ; Ergò potentiæ sunt idem realiter cum anima. Vnde nota animam duobus modis considerari; primò secundùm essentiam & vt est actus primus; secundò vt est operatiua, & sic dat actum secundum, & est principium operandi. Septima; Aristoteles ait intellectum esse immortalem, dicit enim quòd de intellectu est difficultas, an sit separabilis: certum est autem per intellectum non intelligere accidens, sed animam intellectiuam, quæ tamen habet potentiam sibi realiter identificatam, nam accidens est separabile à suo subiecto. Præterea passim Aristoteles confundit intellectum cum anima, & animam cum intellectu, & pro vno & eodem sumit, quod non faceret si intellectus esset accidens.

Hanc nostram assertionem satis tuentur illi Sancti Patres, qui docent illas animæ potentias ab eadem non distingui, distinguerentur autem si essent accidentia. Et in primis potest in medium adduci S. Aug. authoritas De Spiritu & anima: *Anima quæ secundùm sui operis officium, variis nominibus nuncupatur: dicitur namque vitalis dum vegetat, spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit, animus dum sapit: ista tamen non differunt in substantia sicut in nominibus, quoniam omnia ista vna anima fiunt.* Iterùm loquens de potentijs ipsius animæ ita ratiocinatur: *Habet* (anima) *naturalia, & ipsa anima est, potentia namque & vires eius idem sunt quod ipsa: habet & accidentalia, & ipsa non est, non enim est sua temperantia.* Sancto Augustino subscribit Isidorus Hispal. *Anima*, inquit, *dum viuificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens:*

De spiritu & anima. tom. 3 c. 4. & 13.

Isidor. lib. 2. Etymol.

S. Bernard. serm. 11 in Cant.

dum recolit, memoria: dum aliquid sentit, sensus. Clarius autem, S, Bernardus in Cantica hæc habet: *In anima tria intuere, rationem memoriam & voluntatem; & hæc tria eandem esse animam*, quod idem alibi repetit.

1. p. q. 77. art. 1.

Hæc Scoti assertio, plurimos habet aduersarios, & antiquos & modernos. Et imprimis ei aduersatur S. Thomas, qui docet ipsas animæ facultates esse accidentia de secunda specie qualitatis, & ideò distingui realiter ab essentia animæ: probat autem suam sententiam multis argumentis.

Primum est: Potentia & actus pertinent ad idem genus: sed actus potentiarum istarum, nempè intelligere & velle, sunt accidentia animæ; Ergò & potentiæ. Respondetur potentiam esse nomen æquiuocum, & sumi duobus modis: Primo modo vt distinguitur ab actu siue diuiditur contrà actum vt potentia obiectiua quæ cum actu existentiæ diuidit ens; & sic vera e maior, nam Antichristus in potentia nunc non est alterius generis quàm erit in actu existentiæ, imò eiusdem speciei & indiuidui: Secundo modo sumitur pro principio transmutationis siue operandi seu transmutandi aliud, & sic maior in aliquibus est vera, in aliis est falsa; vera quando substantia generat substantiam, quæ dicitur actus respectu substantiæ generantis, vt cùm homo generat hominem; falsa quando substantia generat accidens, vt cùm ignis qui est potentia producit calorem, &c.

Secundum argumentum S. Thomæ tale est; Si potentiæ animæ essent essentia ipsiusmet animæ, sequeretur quòd habens animam semper operaretur actu, sicut semper dat vitam; sed anima non semper intelligit. Probatur; Agens, per essentiam semper agit, sed anima per Scotum est agens per essentiam: ergo semper agit, quod contrarium videtur. Respondeo non valere similitudinem, aliud est enim dare vitam siue esse, & aliud operari, anima enim dat esse corpori formaliter, & vt causa formalis, ideò semper dat esse, se habet autem vt causa efficiens respectu operationis; idcircò non est necesse quòd semper agat, quia causa efficiens non semper agit: vel est dicendum animam non semper agere per suas potentias, quia semper obiecta non sunt præsentia.

Tertium argumentum est: Esse & operari, in quolibet creato distinguuntur realiter: ergo essentia in rebus creatis & potentia operatiua eius distinguntur realiter. Transeat, maior sed consequentia negatur. Probatur; Diuersorum actuum diuersa sunt principia. Respondeo sufficere quòd sint diuersa formaliter, non realiter.

Heruęus sic argumentatur aduersùs Doctorem Subtilem: Nullum simplex potest esse immediatè principium & totale diuersarum ope-

rationum

rationum; sed operationes intellectus & voluntatis sunt diuersæ: ergo anima quæ est simplex non poterit esse principium immediatum talium operationū. Probat maiorem, quia, inquit, materia vna & simplex, non potest secundùm se, esse principium receptiuum diuersarum formarum alterius rationis, nisi mediantibus dispositionibus quibusdam determinantibus ipsam ad diuersas formas, aliàs enim quodlibet fieret ex quolibet: Ergo vna essentia simplex, non est principium immediatum diuersarum operationum, vt sunt intelligere & velle: ergo hoc erit per potentias realiter distinctas. Respondeo negando maiorem, quia etiam secundùm aduersarios, substantia animæ tunc non posset esse receptiuum immediatum trium potentiarum. Quod adducit de materia est contrà eum, quia etiamsi esset verum, saltem oporteret concludere materiam primò recipere in se tales dispositiones, quæ sunt merè accidentales, & per consequens semper esset immediatum principium receptiuum illarum. *1. Phys.*

Zabarella opinionem S. Thomæ aduersùs Doctorem Subtilem quibusdam etiam argumentis confirmat.

Primum: Potentia naturalis siue aptitudo ad operandum ponitur ab Aristotele in secunda specie qualitatis; potentiæ animæ sunt aptitudines ad operandum; ergò sunt qualitates, non autem ipsa essentia animæ. Respondeo quòd potentiæ quæ sunt de secunda specie qualitatis, sunt aptitudines ad faciliter operandum, at potentiæ animæ non sunt aptitudines sed principia prima à quibus aptitudines manant; & ideò potentia sumitur pro quadam facultate & idoneïtate ad agendum. Vel respondeo, Aristotelem non dicere omnem potentiam naturalem esse qualitatem, sed potentiam facilè faciendi vel patiendi, & sic de accidentalibus potentijs tantùm loquitur. Ita Scotus in secundo vbi id probat exemplis Philosophi de pugillatore & cursore. *Arist. cap. de qualitate.* *Scot. in 2 dist. 16.*

Aliud argumentum Zabarellæ tale est: Nobilior est actus quàm potentia ipsum recipiens; Ergo si potentia esset anima, ipsa operatio quæ est accidens esset perfectior anima. Respondeo quòd si sumatur potentia pro obiectiua, certum est eius actum esse nobiliorem ipsa, & sic vera erit maior; si sumatur pro principio operandi siue transmutationis, erit falsa, & per consequens non valet argumentum, quia potentia est nobilior actu illo secundo scilicet operatione, & de hac loquimur in proposito cum Scotistis. Consule Fauentiuum in Philosophia naturali Scoti Theor. 75. & Radam 2. p. Controu. 13.

CAPVT V.

De supernaturali animæ pulchritudine.

EX antedictis de natura & perfectionibus naturalibus animæ rationalis, & potissimùm quòd sit ad imaginem Dei condita, & nunquam interire possit, satis constat quanta sit naturali pulchritudine prædita; sed exigua valde censeri debet illa animæ pulchritudo naturalis, si cum supernaturali comparetur: & ideò sequentibus sectionibus de illa sumus dicturi.

SECTIO I.

Est anima per gratiam ingenti pulchritudine exornata.

SVPRA diximus Dei similitudinem ad quam facta est anima, maximè in gratia & virtutibus consistere, sicut imago in naturalibus consistit: si itaque quoad imaginem & perfectiones suas naturales, censeatur naturali pulchritudine prædita; multò maiori pulchritudine est per gratiam & virtutes exornata: Vt autem nobis notior sit illa supernaturalis animæ pulchritudo, est aduertendum quòd quemadmodum corporalis pulchritudo consistit in membrorum proportione cum quadam suauitate coloris; ita pulchritudo illa supernaturalis animæ de qua hîc loquimur, consistit in spirituali virtutum proportione, cum quadam suauitate diuini splendoris; anima enim cùm ingenti hoc decore est prædita, id est in statu gratiæ, speculum quoddam est, in quo Deus ipse qui verè lux est, seipsum contemplatur & conspicit: atque ita animæ speculum hunc splendorem reflectendo emittit, sicut speculum crystallinum solares radios, cùm iis expositum est. Et id confirmat B. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam ad Lampetium Episcopum, Vt corporea, inquit, pulchritudinis norma, membrorum apta proportio est: ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea, in virtutum mediocritate consistit, &c.

In quo consistat animæ pulchritudo supernaturalis, latè ostenditur.

Isid. Pelus.

Ex hac pulchritudinis definitione & declaratione, videri potest quanta sit spiritualis pulchritudinis præ corporali, dignitas & excellentia, & quod inter vtramque sit discrimen. Quòd si virtutes infusæ & præsertim gratia diuina ac virtutes Theologicæ, diuini cuiusdam generis & conditionis sint, ac velut quidam diuinitatis radij, necessariò dicendum est omnem corporalem excellentiam, ac gratiam longè iis inferiorem esse; imò & solis pulchritudinem & cœli splendorem facilè vincere & superare fatendum est. Quo fit vt ipsum Dei cœlum empyreum ipsa anima existens in gratia vocitetur, vt notat S. Bernardus in cantica: *Ego puto* (inquit) *animam talem* (sanctam) *non modò cœlestem esse propter originem, sed & cælum ipsum propter imitationem*: Et ratio huiusmodi esse potest, quia verè origo ipsius de cœlis est, & iam in præsenti vita, conuersatio eius est in cœlis; *Est ergo cœlum sancta aliqua anima* (subinfert S. Bernard.) *habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, quæ maximè in nocte, id est in aduersis emicant: Ergo virtus est sydus, & homo virtutum est cœlum.* Hæc ille. Anima igitur diuinâ exornata gratiâ, cœlo & eius astris, ob eius pulchritudinem & splendorem comparatur, potissimùm verò in scriptura solis nomine donatur: *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.* Notate verba: *Sicut sol*, quia in eis veluti in speculis resplendet fulgentissimus sol diuinus, ita vt ipsi tanquam soles lucidissimi appareant. Si quis speculum clarissimum accipiat, & illud versùs solem constituat, statim fulgentissimum alium solem in eo produci videbit, cuius splendorem humanus oculus nullatenùs ferre potest. Quod si sol hic materialis & visibilis talem habet virtutem, quid de sole illo inuisibili & immateriali erit dicendum? anima namque iusti quasi speculum est fulgentissimum, in quo diuina illa & inaccessibilis bonitatis lux splendet, & eius radij reuerberare videntur, & ipsius diuini solis & diuinæ bonitatis similitudo imprimitur. Vnde apud Psaltem regium: *Ego dixi Dij estis, & filij, &c.* Dicuntur iusti Dij, non quòd per naturam hoc habeant, sed quòd in illis diuina bonitas & pulchritudo splendeat. Id disertis verbis docet S. Basilius lib. de Spiritu Sancto: *Quemadmodum* (inquit) *corpora illustria pellucidaque contacta radio solis, fiunt & ipsa suprà modum splendida, & alium fulgorem ex se profundunt, sic animæ spiritu afflatæ ac illustratæ, fiunt & ipsæ spirituales, & in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, arcanorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributio, cœlestis conuersatio, cum Angelis choreæ, hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseuerantia, hinc similitudo cum Deo, & quo nihil melius expeti potest, hinc est vt*

Serm. 27. in Cant.

Matth. 13.

Psal. 8.

S. Basil.

S. Macar. hom. 1. *Deus fias*. Et S. Macarius, *Quemadmodum* (inquit) *sol sui planè similis est nullam habens partem superiorem aut inferiorem, sed totus penitus lumine splendet, & totus lumen est, & partium similium, aut quemadmodum in igne lumen ipsius ignis totum sibi simile est nihil habens in se primum aut postremum, maius aut minus, sic & anima quæ plenè illustrata est ab ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Christi, & Spiritu-sancto repleta, ac digna quæ fieret domicilium & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota spiritus eius euadit, nempe sic eam adornante Christo, gestante, agente, instruente, & spiritali decore adornante.* Hæc ille. Non solùm autem hæc animæ pulchritudo per gratiam & virtutes quibus ornatur, omnem corporalem pulchritudinem omnium corporum quæ in terra vel cœlo sunt, superat, etiam humanorum, verum-etiam omnem naturalem pulcritudinem tùm animarum tùm Angelorum etiam supremæ Hierarchiæ: Dico naturalem etiam Angelorum, quanquam perfectissima sit, nam quicquid supernaturale est, in quocumque existat vel Angelo vel homine, id omne excedit quod purè naturale est: si ergo homines tam excellentem Angelorum pulchritudinem intuerentur, omnium terrestrium amorem obliuiscerentur, & præ suo erga nobilissimam creaturam affectu, veluti suspensi hærerent; quid si supernaturalem illorum pulchritudinem, ac etiam rationalis animæ conspicerent? Profectò multò magis quàm Regina Saba, ex consideratione sapientiæ Salomonis, & ordinis seruorum, atque totius eius domus & palatij apparatus, in admirationem & stuporem iure optimo raperentur: & ampliùs adhuc admirandi ansam haberent, si vltrà gratiam quâ ipsæ animæ in præsenti vita exornantur, & qua diuinæ consortes sunt naturæ, innumeros admirabiles etiam gloriæ gradus eiusdem animæ nec-non etiam & Angelorum in patria comprehenderent; sed in eius pulchritudine supernaturali per gratiam & charitatem in præsenti vita stando solùm, mirabilis planè existit; & de illa potissimùm hîc sermonem instituimus.

SECTIO II.

Animæ humanæ pulchritudo, maximè supernaturalis ex canticis canticorum demonstratur.

COELESTIS sponsus dilectam suam alloquens sponsam, animam videlicet humanam peccatis carentem, ac in gratia & charitate existentem, ait in canticis: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Septuaginta legunt, *Ecce es speciosa proxima.* Hâc geminatione æquè ac aduerbio demonstrandi *Ecce*, eximiam & admirabilem esse eius pulchritudinem significat, cùm sit diuinæ consors naturæ per gratiam in ea rutilantem, quo fit vt non solùm Deo grata sit, & amabilis, verum-etiam omnibus cœlitibus, quorum oculos tantâ suâ pulchritudine rapit. Hinc diuina sapientia meritò dicere potest: *Hanc amaui & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius, quia est participatio formæ Dei.* Et quid mirum si tanto affectu erga ipsam suam sponsam ducatur, cùm illam videat ipsa sua gratia tanquam veste candidissima & dulcissimæ pulchritudinis corona, ornatam & redimitam? Hæc enim gratia & charitas, est ornamentum pretiosissimum quo induitur ipsa animafilia Regis, cuius vt habet Psaltes Regius; *Omnis gloria est ab intus*, quamuis (vt decet Reginam) sit circundata varietatibus. O quàm inæstimabilis decor! qui si videretur, omnia corda lapidea peccatorum emolliret. Hinc quidam grauissimus Pater ex modernis exclamat; O si mentis oculos tibi Dominus aperiret, & speciem eximiam & splendorem nimium intueri posses, quo prædita est anima grata Deo, & per veram charitatem ei coniuncta, & quibus oculis illam aspicit, quem locum illi præparat, quæ gaudia illi promittit, & quanto ipsa desiderio expectatur ab Angelis & aliis spiritibus beatis, certè ferre non posses vt tanta pulchritudo, aliquâ etiam leui maculâ fœdaretur. S. Gregorius supradicta Canticorum verba, explicans duplicem illam animæ pulchritudinem de qua ibi loquitur sponsus, docet esse duplicem charitatem, Dei videlicet & proximi: *Bis pulchram*, inquit, *sponsus sponsam vocat, quia cui dilectionem Dei & proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, quâ delectatur, & quam laudat.* Nonnulli alij Patres apud Theodoretum, docent illam dici dupliciter pulchram, in actione scilicet, & in contemplatione. Et

Animæ pulchritudo supernaturalis, ex canticis demõstratur.

Canticorum 1.

Sap. 8.

Psal. 44.

Præfat. in psal. 41. de hac pulchritudine animæ loquitur S. Augustinus: *Summa*, inquit, *animæ pulchritudo est, iustitia, sed quænam est vera iustitia nisi dilectio Dei & proximi? in his duobus tota lex pendet & Prophetæ.* Et Lib. 3. pedag. cap. 11. Clemens Alexandrinus: *Pulchritudo optima*, inquit, *est pulchritudo animæ, cùm fuerit ornata Spiritu Sancto, & his quæ ab eo oriuntur, inspirata lætitijs, iustitiâ, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, bonorum amore, & pudore, quo nullus color nitidior vnquam visus est.* Addit autem sponsus: *Oculi tui columbarum*, vt sponsæ suæ rectam & synceram intentionem denotet; columba enim rectum habet intuitum, & non obliquum; ita anima sancta rectum habet in Deum & sponsum suum intuitum, omnesque suos gressus & actiones in illum vt in summum bonum & vltimum finem, nullo habito creaturarum respectu dirigit, non enim ad commoda, ad honores, &c. respicit; omnia quippe mundi imperia, omnes diuitias, omnem hominum gloriam, sapientiam & fortitudinem despicit; scit enim cuncta omnia nihil esse, si cum diuina gratia comparentur. Et in hoc valdè dissimilis est hominibus illis qui gratiam Principum terræ quærunt, illamque existimant super aurum & lapides pretiosos; at è contrà, ipsa certissimè scit gratiam illam hominum, nullo esse pretio dignam, cùm in Principibus non sit salus, sed esse sedulò quærendam & conseruandam ipsam gratiam Regis nostri pacifici qui Christus est, cùm illa sit infiniti pretij, in eaque salus æterna consistat, atque beatifica vita, pro qua quilibet bonus negotiator dare debet omnem substantiam domus suæ & quasi nihil despicere eam. O vtinam releuaret Dominus oculos nostros, vt consideraremus mirabilia magna quæ sunt in lege gratiæ; illius profectò anteponeremus amabilissimam formam omnibus amoribus terræ, vigilaremusque & laboraremus pro consortio eiusdem, omnibus diebus vitæ nostræ. O vtinam imprimeretur cordi nostro istius suæ gratiæ iusta æstimatio, vt nihil cogitaremus, loqueremur, vel operaremur, nisi quod requirit dulcissima lex tanti amoris Christi Domini animarum nostrarum sponsi! Penè similia præcedentibus verba habemus, in eodem Canticorum 8. Canticorum libro, vbi iterùm cœlestis sponsus de eadem pulchritudine sponsæ suæ ait: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies benè ordinata.* Aliqui volunt ipsam esse pulchram in agendo, suauem in contemplando, & decoram in patiendo. Alij pulchritudinem illam referunt ad animæ naturam, quia est ad Dei imaginem & similitudinem condita. Dicunt autem illam esse suauem per adoptionem & gratiam, & decoram per virtutes, quia gratia, charitate Dei & proximi, cœterisque virtutibus, est decorata, quibus suam pulchritudinem & formam super-

naturalem consequitur. Aponius vult illam esse pulchram in lenitate morum, suauem in munditie cordis, decoram in amore pacis, eò quòd Hierusalem visionem pacis significat, terribilem verò in veritatis & castimoniæ armis, quibus accincta non solùm nihil metuit in præcinctu contra hostes suos, sed etiam terribilitatem incutere probatur. Notat autem Gregorius Nyssenus, eam dici decoram sicut Hierusalem cœlestem dum est in gratia, quia cùm illa habeat intrà se inhabitantem Deum, ex quo omnis pulchritudo inest cœlesti Hierusalem; meritò speciosa sicut illa dicitur. Deinde iuxtà Theodoritum, decora sicut Hierusalem cœlestis dicitur, quatenùs Angelicam viuendi rationem imitatur, & propter gratiam, est Angelorum imò summi Regis venustate cohonestata, ita vt terrorem Dæmonibus ingerere soleat. Vnde in eodem libro Canticorum: *Lectulus noster floridus*; & quomodo floridus nisi virtutum floribus? Audi S. Bernardum: *Deus*, inquit, *thalamum mentis nequaquam ingreditur*, (supple per suam gratiam) *si non fuerit conscientiæ lectulus virtutibus adornatus.* Est ille lectulus mystici Salomonis Christi, de quo in eodem Cantic. libro: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.* Lectulus ille anima est iusti existentis in gratia, & virtutibus decorati, in qua mysticus ille Salomon deliciatur, dormit & quiescit, quia anima iusti sedes est sapientiæ: Hunc ergo lectulum quem specialiter per amorem & charitatem possidet & in quo sedet & quiescit, sexaginta fortes ambiunt & circundant hoc est Angelorum multitudo, vt ab omni malo eum protegant & tueantur: quid hoc lectulo tot virtutum floribus exornato & Angelorum agminibus circundato in quo Christus sedet & quiescit, pulchrius? Iste lectulus quanquam ex nomine valde exiguus videatur, non incongruè tamen cœlum dicitur à S. Bernardo, vbi profert in medium id quod habet Psaltes regius loquens de Deo; *Extendens cœlum sicut pellem. Hoc cœlum*, inquit, *de quo Dauid loquitur, si sensum mysticum sequi velimus, nihil aliud est præter animam quam inhabitat Deus per gratiarum suarum affluentiam: nolite existimare, me hanc animam cœlestem appellare quia à cœlo ipso ducit originem, aut quia cum Angelis qui in cœlo sunt, maximam habet analogiam & similitudinem, adhuc vltra progredior & dico ipsammet esse cœlum, ob analogiam quam cum cœlo habet, nam si cœlum exornatur splendentibus stellis quibus in hæc inferiora lumen suum effundit, anima existens in gratia virtutibus exornatur, quæ eam non minus illuminant & per illam alios, quàm stellæ cœlum: Si cœlum est domus Dei, eius templum, & palatium & sanctuarium in quo ipse habitat, suam beatis manifestando gloriam, anima iusti est quoque domus Dei, templum, pala-*

S. Greg. Nyss.

Cant. 1.

S. Bern.

Cant. 3.

Serm. 28. in Cant.

Psal. 103.

tium, sanctuarium quod inhabitare dignatur. Hęc ille. De huiusmodi templo Sect. 7. huius capitis dicemus.

SECTIO III.

Palma decor, est pulchritudinis & præsertim supernaturalis animæ repræsentatio.

Animæ decor supernaturalis est similis palmæ.

Cant. 5.

Ecclesiast. 14.

MVLTVM certè ad animæ pulchritudinem confert, quòd palmæ in Canticis comparetur: *Statura tua assimilata est palmæ.* Et apud Ecclesiasticum: *Sicut palma exaltata sum.* Si palmæ attendatur stipes, omnes sciunt illum esse valde scabrum & nodosum, at si suarum proprietatum excellentiæ, & sui fructus dulcedo ac vtilitas considerentur, dubiò procul maximi habebitur: ita si rationalis animæ & maximè prædestinatæ, continuæ spectentur humiliationes, tristitiæ, ieiunia, pœnæ & afflictiones, quas ipsa vult corpus quod animat & informat subire, ad prodigium vsque ea quasi alter Hipponax vel Thersites deformis videbitur; si verò hæc omnia nihil aliud quàm excellentissimas virtutes producere conspiciamus, in admirationem profectò rapiemur. Si Indiarum historiis fidem adhibeamus, notum nobis erit, Orientis nauigatores tanti facere palmam, vt ex ea nauigia quoad singulas eorum partes instruant, & eius fructibus vt cibo & potu vtantur: Et nunquid prædestinatæ animæ virtutum exempla videntur nobis nauigandi modum subministrare ac suppeditare super huius vitæ Oceano, vt ad salutis portum tandem deuenire mereamur? Qui dactyli aut palmæ fructus dulciores & salubriores corpori, quàm spirituales illi virtutum & bonorum operum fructus, ab ipsa animæ palma editi ac producti? Quod remedium excellentius ad perfectæ sanitatis spiritualis conseruationem? Singularem conspicimus decorem in situatione & ordinatione ramorum densorum, & foliorum palmæ semper virentium, nec-non intermisti fructus dispositione; hæc profectò exigui sunt ponderis & momenti, si cum pulcherrimo ordine facultatum, affectionum, habituum, & gratiarum semper virentium animæ conferantur.

Palma hac gaudet proprietate, quòd quantò plus eius rami demittuntur aut aliquo pondere aggrauantur, tantò maiori conatu versùs cœlum sese extollunt & erigunt: Id profectò animæ sanctæ

conuenire videmus, quam nullum persecutionum & tribulationum pondus opprimere potest, generosior enim & maiori vigore sese in cœlum erigit exaltatque; Et ob id rectè aduertunt Doctores sacri, dilectum Dei discipulum S. Ioannem Euangelistam in sua Apocalypsi, maximam Beatorum turbam stolis albis amictam, & in manibus palmas habentem, graphicè repræsentasse, vt mirabilem eorum ac generosam fortitudinem, victorias & triumphos, nobis indicaret. Vnde non absque ratione tanquam phœnix, inter arbores censetur palma; nam phœnix inter aues, plusquam annis quingentis suos multiplicat & protrahit; quod nobis designat animæ sanctæ veræ phœnicis triumphos esse sempiternos, & finem nunquam habituros. *Apoc. 7.*

Denique, si antiqui Gentiles palmam Apollini dicabant, quòd existimarent ipsum cunctas aliarum diuinitatum pulchritudines ac perfectiones continere ac possidere; nullus nostrum dubitat quin prædestinata anima, Deo soli vero Apollini, ad cuncta eius seruanda mandata omninò consecrata sit, non enim aliud respirat & intendit quàm illi inseruire, eius obsequi mandatis, eius gloriam amplificare, eaque omnia quæ sibi placita sunt, constanti animo perficere.

SECTIO IV.

Anima decorem oliua refert.

ETIAMSI scriptura sancta cunctas arbores & præsertim frugiferas magnificiat, pluris tamen iustissimis de causis oliuam æstimat. Vnde ei verba Dauidis attribuuntur; *Sicut oliua fructifera in domo Dei.* Et apud Ecclesiasticum: *Quasi oliua speciosa in campis,* Et iterum: *Quasi oliua pullulans;* Et apud Osæam: *Erit quasi oliua gloria eius.* *Animæ pulchritudinem refert oliua.* *Psal. 51.* *Ecclesiastici 24. & 50.* *Osea 14.*

Si ad colorum varietatem quæ in eius ligno vel stipite cernitur, oculos injiciamus, mixtos in eo colores, viridem, rubeum, nigrum, & cinereum conspiciemus, quibus gratissimo est aspectu. Et hinc sapientissimus Rex Salomon postes templi ex illo ligno construi sanciuit. Credo multiplices hosce colores hieroglyphicè symbolicéque, nobis animæ sanctæ pulchritudinem tùm naturalem cùm supernaturalem designare; viridis enim color interiorem vigorem spemque eius viuam, non solùm sponsi sui assistentiæ singularis, in quibuscumque perfectionibus, verùm & præmij æterni, nobis demonstrat: Ru-

bedo, illam ardenti Dei amore ac charitate super omnia, esse quasi vestimento indutam, nobis indicat; & sicut ignis flammæ ita sursum tendunt, vt ad ignis phæram vsque nitantur peruenire, si possibile illis foret; ita animæ huius sanctæ charitas ac dilectio ad cœlos imò ad Deum vsque tendit: Nigredo, seu niger color, etiamsi non multùm conuenire cum viridi & rubeo videatur, nihilominus tamen quia spes & charitas nisi humilitate annexæ sint, non prosunt; ideo iis coloribus palmæ superadditur niger, vt nobis sanctæ huius sponsæ humilitatem, & quasi propriæ confusionis nigredinem aliis virtutibus annexam, & præsertim spei eius ac charitati, nobis graphicè repræsentet. Et non mirum sanè, quomodo enim se se coram diuina maiestate non demitteret, & potius nigris tenebris quàm Dei luce dignam non se existimaret, dum summam ipsius Dei altitudinem vna ex parte contemplatur, & ex altera luteæ suæ naturæ exiguitatem? Et tandem cinereus color eius pœnitentiæ indicium est, cuius quidem non pro se tantùm, sed pro cunctis peccatoribus, qui erga Christum Redemptorem suum ingrati nimis existentes, suis sceleribus videntur illum denuò crucifigere, dignos fructus profert, vt ab eis omnipotentis iram ob eorum scelera accensam auertat. Hi sunt fructus spiritalis oliuæ nostræ, hoc est oleum eius, hoc enim oleum symbolum est pinguedinis & caloris quem affert amor & charitas, pacis & tranquillitatis, vnde illud: *Oleo tranquillior:* Ita enim tranquillum est, vt etiam vndis marinis inspersum, tumentes iras procellosi æquoris sedare creditum sit, authore Rhodigino. [a] Hinc Isidorus Hisp. [b] vocat totam Oleæ arborem pacis insigne. Et Rupertus [c] arborem ministram pacis. Hinc in die palmarum cantat Ecclesia: *Deus qui per oliuæ ramum, pacem terris columbam nuntiare voluisti, &c.* Est quoque hoc oleum symbolum mansuetudinis & clementiæ: Hac de causa sub natiuitatem Christi, vt narrant Orosius, [d] Eusebius, & ex his Baronius, Romæ fons olei scaturiit, ex quo per integrum diem continuè oleum manauit, significans iam nasci Christum, qui oleum suauitatis, misericordiæ & gratiæ spargeret per totum orbem. Est etiam istud oleum potissimùm luctæ & laboris symbolum; hinc Athletæ olim in stadio decertaturi, oleo se ad maius robur perungebant. Vnde Plinius; *Omni oleo,* inquit, *mollitur corpus, vigorem & robur accipit, &c.* Eadem ratione notant multi, oleum illud confortare corpus viresque membris vel lassis itinere, vel labore quolibet defatigatis restituere; vnde in libro Paralipomenon Samaritæ captiuos quos ex Iuda abduxerant, monitu Prophetæ cibo potuque refectos, & oleo vnctos ad abstergendam defatigationem itineris, in patriam remiserunt. Oleum ignem lam-

Oliua & eius oleum quid designent.

a Lib. 25. antiq. lect. cap 16.

b Etym. lib. 17 cap 7.

c In rationali diuinorum officiorum.

d Lib. 6. cap. 19.

Lib 23 cap. 4.

2. Paralip. 28.

pade fouet & nutrit: Oleum signum est & causa hilaritatis, vnctos enim exhilarat, nitidosque & lætos ac lucidos efficit, vnde illud Psalmistæ: *Vt exhilaret faciem in oleo:* Præterea idem oleum vulneribus medicandis adhiberi solet, vnde est illud Prophetæ; *Vulnus, liuor & plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine, nec fota oleo;* Et Samaritanus ille Euangelicus apud S. Lucam, in vulnera hominis illius quem semiuiuum reliquerant latrones in quos cecidit, oleum infudisse & vinum narratur. Denique olea est victoriæ symbolum, & ex ea olim victores coronabantur, vt aduertit Plinius: *Oleæ honorem,* inquit, *Romana maiestas magnum præbuit, turmas Equitum Idibus Iuliis ex ea coronando, ita minoribus triumphis ouantes:* Athenæ quoque Victores oleâ coronabant. Et Tertullianus aiebat oleâ militiam coronari.

Psal 103. *Esa. 1.* *Luc. 10.* *Lib. 15. cap 4.* *De corona militis cap. 12.*

Sed quis non conspicit has omnes oliuæ & olei eius proprietates, optimè ipsi sanctæ animæ accommodari, & eius decorem multùm commendare? De eius amore & charitate erga suum sponsum nullus dubitat, sicut nec de eius pace & tranquillitate, non solùm cum ipso suo sponso, verum etiam & cum proximo: fructus quoque vberrimos atque oleum mansuetudinis & clementiæ continuò producit; est in continua lucta aduersùs infensissimos eius hostes, Dæmonem, carnem, & mundum, & in laboribus ac afflictionibus à primo sui ortus exordio; in quibus tamen quàm iucundam & hilarem se se exhibeat, vix concipere quis potest: vulneribus & infirmitatibus proximorum medendis & curandis, tum corporalibus tum spiritualibus perpetuò incumbit, infirmos & incarceratos maximâ curâ & diligentiâ visitat & solatur: pauperes & peregrinos hospitio suscipit, eosque sæpe itinere & labore defatigatos, confortare & à lassitudine releuare nititur: Et in summa ita se erga omnes gerit, vt eorum fel tristitiæ in mel consolationis & dulcedinis conuertat. Tum in se & in aliis tanquam lampas ardens & lucens, fidei lumen & charitatis ardorem accendit. Quid igitur ei ad completam pulchritudinem superest, nisi vt olim victores coronâ eaque sempiternâ redimita, cum insigni triumpho appareat?

Oliuæ proprietates animæ sanctæ conueniunt.

SECTIO V.

Ex rosæ pulchritudine & fragranti odore, nobis spiritualis animæ decor & odor apparet.

INTER flores rosa tanquam Regina ac pulcherrimum naturę opus, primas tenere censetur, tum in colore tum in odore: sed mirum quòd ex ligno spinis acutis armato nascatur, nutriatur, & ab eo suam desumere perfectionem videatur; nunquam enim meliùs & gratiùs se euoluit & expandit quàm inter spinas, ex iis transeuntes allicit ad pulcherrimum eius colorem considerandum, & odorem olfaciendum: profectò si aliquâ polleret intelligentiâ & ratione, suamque contemplaretur pulchritudinem, nec-non rufum suum & aureum oculis gratissimum videret colorem quo interius exornatur; nulla ratione dedignaretur se inter spinas delitescere, sciret enim ex his ita haurire vitam vt si separaretur, breui omnem suum amitteret decorem. Hic pulcherrimus flos, symbolum ac hieroglyphicum est animæ sanctæ ac eius pulchritudinis, certum est enim ipsam à primæua sua creatione & vnione cum corpore, atque ingressu in hunc mundum, spinis hoc est afflictionibus & tribulationibus circundari, & non minori numero quàm rosa acuminibus tum ob peccatum originale in quo nascitur, tum postea Dæmonis astutia, vt eam à suo creatore diuellere nitatur, excitat enim omni momento appetitum sensitiuum vt se rebellem rationi exhibeat; & quamuis ista non essent, non caret occasionibus ex humana conuersatione, fragilitate, & ad malum inclinatione; at tanquam pulcherrima rosa diuinis fauoribus & gratiis pręuenta, absit quod eius odorem & decorem inter tot spinarum aculeos amittat, quin potius videtur his enutriri, & in sua puritate ac virtutibus tum Christianis tum moralibus conseruari, ita vt si ab eis auelleretur in non modicam laberetur tristitiam, inquietudinem, ac animi mœrorem, quoniam vnde mereretur omninò amitteret, & ampliùs se Deo suo omnipotenti, gratam & laurea dignam haud esse agnosceret. Nunquam apes ita facilè mellis sui substãtiam inter amariores plantas reperiunt & colligunt, ac formosa illa anima in persecutionum & tribulationum absinthio, consolationes & quasi deliciosum nectar offendit. Si rosa folia sua iucundissimè in medio spinarum & aculeorum expandit, multò magis anima in medio af-

Rosa est animæ sanctæ symbolum, & quomodo.

flictionum florescit. Si rosa, innata sua posset exprimere desideria, planè testaretur, vt reor, nolle se à suo spineto colligi & diuelli, nisi Regum, Reginarum, & Principum manibus; ita dicamus tam decoram & sanctam animam exoptare non colligi & cuiusquam manibus teri, quàm sui Monarchæ Dei præpotentis, à quo magis dependet, quàm cœlum & planetarum motus, à continuo motu primi mobilis. Quòd si homines eius delectentur decore & odore, id maximè ad ipsum à quo illa possidet, tanquam ad centrum & vltimum finem referendum venit, quique nō solùm eam aduersùs violentos suorum inimicorum conatus armauit, sed etiam ad excessum vsque, tot suis Fauoniis & gratiis exornauit, eam salutari suo sanguine rigauit, & Spiritus sancti inspirationibus ac donis ditauit. In summa sicut nihil est rosa pulchrius, odoratius, & salubrius, ita de anima sancta iudicandum venit, de qua dictum est in Canticis: *Pulchra es amica mea, &c.* Et etiam ita odorifera, vt suorum bonorum operum odor, sit sponso suo gratissimus, & nihil salubrius ad proximorum vtilitatem & commodum reperiatur. *Cantic. 2.*

SECTIO VI.

Lilium est supernaturalis pulchritudinis animæ figura.

INTER flores lilium quoque sanctam animam refert, omnes enim norunt florem ipsum esse pulcherrimum, & quasi primas veluti sceptrum Regium inter alios hortorum flores tenere: sed quid præclarius & pulchrius animâ prędestinatâ & Christi sponsa quæ illud omne quod terrestre est & humanum superat? Hanc ob causam apud S. Matthęum Christus Salomonem cùm fulgentior in publicum exibat, liliis comparauit dicens: *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent, dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut vnum ex istis.* Solebat enim augustissimus Monarcha, cùm ad recreationem prodibat, & videri optabat à populis elegans & hilaris, candida in veste conspiciendum se prębere, quemadmodum animaduertit Iosephus: Christus certè dum lilij gloriam Salomonis gloriæ pręfert, satis pulchritudinem huius floris regij (illum enim apud S. Gregor. Nazianzenum ita vocabant Gręci) nobis indicat: & sic ostendere voluit animam sanctam huic flori comparatam, pulchritudine indicibili esse pręditam,

Lilium cum suis proprietatibus animā sanctam repręsentare, & eius perfectiones, latè ostenditur.

Matth. 6.

Lib. 8. antiq. cap. 2. num. 7.

Cantic. 5. suumque in decore imitari sponsum, de quo in Canticis: *Labia eius lilia, distillantia myrrham primam.* Quòd si à radice lilij exordium sumamus, ipsa est sanctæ fidei huius animæ symbolum, fides enim radix est omnium virtutum, spei videlicet, charitatis, &c. Et quemadmodum ex Plinio nihil lilio fœcundius cùm vna radice quinquagenos sępè emittat bulbos; ita mira fœcunditate fides prædestinatæ animæ est prędita. Hinc Isaïas eius fertilitatem tempore legis Euangelicæ depingens ait: *Florebit quasi lilium, germinans germinabit, &c.* Illa etiam verba maximè de anima ipsa sancta intelliguntur, quæ sicut in cunctis virtutibus fœcunda est, potissimùm in fide eius apparet fœcunditas, cùm fides sit virtus prima è qua originem trahere videntur aliæ, & sine qua nil prodesse possent, atque omninò steriles remanerent, & nullos producerent fructus: *Sine fide,* enim *impossibile est Deo placere*; vt ait Sanctus Paulus. Radix ista lilij alias egregias ipsius sanctæ animæ virtutes, perbellè designat; sed Sanctum Bernardum audiamus: *Radix lilij*, inquit, *commendatur in tribus; alba est, splendida est, & tractabilis, per albedinem ergo radicis munditiam cogitationis accipimus, non solùm alba, sed & candida siue splendida est radix lilij, candore autem siue splendore hilaritatem animi videtur designare, &c. Est & tractabilis radix lilij per quam virtutem mansuetudinis intelligere debemus*, Hæc ille. Et hæc tria sunt quæ continuò anima sancta in corde suo respirat.

Lib. 21. cap. 5.

Isa. 35.

Hebr. 11.

De passione cap. 19.

Si autem lilij cespitem consideremus, illud pręclarum offendemus spei animæ electæ symbolum: vnde cùm antiqui sapientes vellent spei pulchritudinem repręsentare, eam ad modū Augustissimi Principis in manu sua lilium tribus pampinis distinctum tenentis, (sicut illud lilium quod est Regum Galliarum insigne) figurabant, cum hac inscriptione, *spes publica*: & vt in numismatibus Imperatorum Claudij, Alexandri, Seueri, Traiani, Adriani, & quorumdam aliorum cernitur. Et istud confirmat Gislerius in Cantica: *Etsi* (inquit) *flores omnem spem præ se ferant, lilium tamen præ floribus vniuersis, id magis habet proprij, vt ipsum spem designet.* Quòd si lilium est proprium spei hieroglyphicum, quis non videt animam sanctam lilium verè nuncupari, cùm spem suam omnem in Christo sponso suo habeat collocatam? Id scitè admodum confirmat Angelicus Doctor: *Spes*, inquit, *facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, inquantùm scilicet per spem diuino innitimur auxilio, ad beatitudinem obtinendam.* Et est quod à sancta illa Christi sponsa adimpleri conspicimus, quod eam valdè decoram reddit.

Lilia gallica.

Gisl. in 2. cap. Canticorum.

2. 2. q. 17. art. 6.

Si præterà lilij florem spectemus, iure optimo chatitatis virtutem

illum referre dicemus; nam si hic flos Regius sit & Regium insigne, vt prǽsertim de nostris Galliarum Regibus constat, nulli dubium esse potest quin charitas virtus sit Regia, & aliarum virtutum Regina, alias virtutes Theologicas antecellens dignitate, & ex consequenti Cardinales ac Morales. Vndè optimè Apostolus: *Fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Nullus flos celsior lilio, sic nihil celsius charitate qua sancta decoratur anima, ipsa enim virtute in Deum vsque tendit. Et hinc inter lilium & charitatem seu amorem tanta est proportio & conuenientia, vt sępe-sępiùs vnum pro altero vsurpetur, veluti ex titulo Psalmi quadragesimi quarti clarè patet, vbi enim apud quosdam, vt apud Sanctum Hieronymum, ipsius Psalmi titulus est: *Victori pro lilijs*: & apud Aquilam, *pro lilijs*; apud alios est, *pro amoribus, & in finem pro ijs qui commutabuntur*: amoris enim & charitatis virtus tanta est vt amantem in rem amatam commutet; sed nemo ignorat quin sancta anima Christi sponsa, tanto amore & charitate flagret, vt in ipsum sponsum commutari videatur sicut in eam sponsus, quod in eius maximam cedit pulchritudinem.

1. Cor. 13.

Charitas per lilium repręsentatur.

Psalm. 44.

Folia sex lilij quæ candidissima sunt, sex charitatis animæ sanctæ effectuum sunt indicia certissima, de quibus vnusquisque nostrum coram supremo iudice Christo est in vniuersali iudicio rationem redditurus, vt ex Euangelio S. Matthæi manifestè apparet: *Esuriui enim* (dicet) *& dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me.* Et indubiè illa sex lilij charitatis animæ sanctæ folia, sex sunt Seraphinorum alæ diuino amore accensæ, de quibus apud Ezechielem habetur, quæ ad altiores cœlorum dignitates illam conuolare faciunt. Ille etiam sex foliorum candor, non solùm in anima sancta designare potest charitatem, verũetiam & animi candorem, puritatem, vitæ innocentiam, & castitatem, hæc enim charitati sunt affinia & sine ipsa constare nequeunt, potissimùm verò castitas. Hinc & apes castæ & virgines, vtpotè quæ sine concubitu fœtus procreant & mella conficiunt, delectantur lilio quasi virgineo, teste Plinio. Hac de causa Angelus è cœlo detulit Sanctæ Cęciliæ & Sancto Valeriano, in coniugio seruantibus virginitatem, coronas è rosis & lilijs, vti habet eorum vita. Idem accidit SS. Iuliano & Basilissæ, vt patet ex eorum vita apud Surium, atque alijs eiusdem conditionis & virtutis. *Virginibus ergo calathis date lilia plenis.*

Lilij folia sex quid denotẽt in anima sancta.

Matth 25.

Plin. lib. 21. cap. 12.

Surius 9. Ianuarij.

Potissima autem ratio, cur lilij flos pro temperantiæ symbolo, cuius castitas pars est præcipua, vsurpari soleat, ista est; quia sicut hic

flos temperaturam seu temperamentum mistum obtinet, vt notarunt Rambertus, Dodonęus[a] & Paulus Ægineta[b]; ita anima sancta videtur hac temperatura seu temperantia donata, & pręsertim illa quæ in castitate consistit. Hinc Sanctus Ambrosius[c]: *Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas*; & Sanctus Gregorius[d]: *Quid per lilia*, inquit, *nisi mundæ animæ designantur, quæ dum castitatis candorem retinent per bonæ famæ opinionem, proximis quibusque suauiter olent.* Et post hæc interpretans verba Canticorum: *Dilectus meus mihi & ego illi qui pascitur inter lilia*, hęc habet, *Inter lilia ergo sponsus pascitur, quia proculdubiò animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conseruant, & per nitidas cogitationes coram eo placent.*

a In Historia Florum c. 32.
b Lib. 7. in opere de re medica.
c De Institutione Virginitatis, c. 15.
d In cap. 2. Cant.
Cant. 1.
Castitas per lilium denotatur.

Sicut autem illa sex folia candida lilij, symbola sunt effectuum charitatis in anima sancta, ita sex illi radij coloris flaui & aurei, qui intus in medio floris existunt, proprietatum sunt eiusdem animæ insignia, ipsa enim in instructione ignorantium delectatur, in correctione fraterna peccatorum, in precibus fundendis pro salute animarum, in offensis condonandis, in afflictis consolandis, & tandem in sustinendis animo forti & generoso, contemptu & iniurijs. O quantum diuinæ maiestati sunt grati illi aurei radij & illis oblectatur. Alij volunt sex illos radios aureos nobis designare animæ sanctæ fortitudinem, castitatem, sobrietatem, clementiam, amorem proximi, & deuotionem. His superaddendum quod perbellè notat Bartholomęus Anglicus: *Quanto flos lilij altius in hastili erigitur, tanto caput submissiùs inclinatur*, & hoc nobis denotat sanctæ animæ humilitatem, quæ tanto plus apparet, quantò ipsa est sublimior & perfectior. Et hinc pręclarè S. Ambrosius: *Sicut pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas.*

Lib. 17. de plantis & herbis, c. 19.
S. Ambr. lib. 10. Epist. 84. ad Demetriadem.

Quemadmodum autem ipsa sancta anima, lilij nomine donatur, quia tribus virtutibus Theologicis nec-non alijs virtutibus eas comitantibus vt castitate, humilitate, & alijs in lilio repręsentatis exornatur: ita hoc nomine pariter debet insigniri, ob singularem eius prudentiam in lilij odore fragranti designatam; antiquus siquidem medicus Simon Sethi, docet lilij odorem hanc habere proprietatem, quòd firmet multùm ac corroboret hominis ceruicem; & hoc mysticè videtur esse prudentiæ familiare, nam suorum consiliorum odore, maximè occurrit intellectus hominis debilitati, ipsumque munit & firmat. Hinc S. Remigius Episcopus Rhemensis: *Prudens homo dicitur quasi porro videns, quia à longè considerat quem finem sua opera habitura sint, & qui scit quid debeat appetere, & quid vitare, & qui considerat etiam quæ placeant, aut quæ displiceant Deo:*

S. Remig. in epist. ad Ephes. cap. 5. tom. 5. Bibliot. Patrum.

Ita

Ita vnus ex Septuaginta Interpretibus, vt refert Aristæas in eorum historia, Ptolemæo Ægyptiorum Regi inquirenti, an prudentia studiis & doctrina parari posset, negatiuè respondit, quia ipsa est animi habitus qui à diuina virtute dirigitur, ad prosequenda omnia honesta auersandaque contraria. Illi ergo non de carnis prudentia aut de humana sermonem instituunt, quia nisi diuinæ associentur, tetrum odorem tantum emittunt, sed de prudentia spiritus, *quæ est vita & pax*, vt habet Apostolus, est enim illa quæ vt lilium fragrantissimum emittit odorem, quæque iuxta sanctum Thomam est simpliciter perfecta, & nonnisi in iustis hominibus esse potest. Illa ergo prudentia est sanctæ animæ propria, & Deo gratissima ac valde odorifera. Quod si inter alios florum odores, lilij odor sese longè diffundat, ita vt si in templo aut magna domo hic flos reponatur, illico qui ingrediuntur, illo odore recreantur; ita de animæ sanctæ prudentia dicendum, quæ ita longè famæ suæ tantarumque suarum virtutum odorem emittere & spargere solet, vt fragrantissimo illo odore oblectentur etiam Angeli, quinimò & Deus ipse qui vt dicebat Esdras; *Sibi elegit lilium vnum*, hoc est illam animam suam sponsam, cuius odore mirificè recreatur: Et hinc nos monet Ecclesiasticus, vt in omni tempore ad modum lilij, flores & odorem emittamus; *Florete*, inquit, *flores quasi lilium, & date odorem*, scilicet prudentiæ aliarumque virtutum ac bonæ famæ, sanctæ huius sponsæ instar.

Aristæas. *Rom.8.* *S.Thom. 2.2 q. 47.art.13.* *4.Esdras.* *Eccles.39.*

Sed est mirum quòd in Canticis dicatur sancta illa anima, quasi lilium inter spinas: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Nam rosæ potius inter spinas nascuntur, vt supradiximus, quàm lilium; Et forsan ob id Chaldæus, Vatablus, & nonnulli alij pro *lilium* vertunt *rosa*: verùm non dicit Sapiens lilium nasci è ramo spinoso vt rosam, sed simpliciter esse *inter spinas*, vel *in medio spinarum*, vt vertunt septuaginta, inter quas nonnunquam nascuntur, cùm iuxta sepes spinosas plantantur vel seminantur. Sancta anima igitur lilium est efflorescens inter spinas, hoc est inter tribulationes, inquit S.Greg.Nyss. omissis aliis S.Patrum interpretationibus; & illa tunc magis ac magis in virtute crescit ac resplendet, cùm enim iis se vndique pungi animaduertit, amorem ab omnibus mundi bonis vtpote spinosis auocat, cumque totum in Deo sponso collocat, & non solùm spinas superat, sed magna planè virtute eas in lilia conuertit: & in hoc non solùm lilij retinet proprietates, verumetiam & eius olei quod *lirinum* vel *susinum* nuncupatur, cùm enim lenitiua polleat qualitate, vim emolliendi habet, & ob id neruorum duritias emollit, vlcera mundificat, febricitantibus prodest, contra

Cantic.2. *S.Greg. Nyss.*

ſerpentum ictus auxiliatur, lepras mundat & extergit, tumores abſque vlla acrimonia reſoluit, & membra in primo ſuo vigore reſtituit, pluresque alios effectus mirabiles producit de quibus agunt Galenus, & Dioſcorides; Mathiolus autem addit lilij radicem in puluerem reductam, & cum aceto potam, vniuerſaliter aduersùs omnia venena prodeſſe. Hinc Valleriola [a] oſtendit ſe curaſſe hominem qui crura reſoluta habebat, ſolo oleo liliorum, præmiſſis tamen quibuſdam generalibus remediis. Ita Fernelius [b] hæc habet: Radix lilij aſſa aut cum roſaceo trita, ambuſtis medetur, in vino cocta clauos pedum tollit. Sic etiam Alexander Benedictus, [c] narrat ſe quendam ex equo lapſum, cui laxata fuit ſeptima ceruicis vertebra, ex qua digitorum torpor & conuulſio adfuit, ſolo oleo liliorum alborum curaſſe.

a Lib. 4. obſeruationum, obſeruatione 4.
b Lib. 7. methodi medendi, cap 4.
c Lib. 1. cap. 39. de curandis morbis.

Item Cardanus narrat ſe pariter curaſſe hominem quendam omnium membrorum contractum, oleo liliorum alborum.

De curatione admirandarũ, curatione 18.

Et denique Regius Medicus Andræas du Laurens ſcribit, lilij oleum ad ſtrumas ſanandas eſſe valde aptum, quod ante illum pauci Naturaliſtæ obſeruarunt. In ſumma non videtur aliqua corporis humani pars, quæ ſanitatem ex applicatione floris lilij & eius olei non conſequatur, & quod antiqui de Æſculapij Panacæa ſcripſerunt, de Regio illo flore dici poteſt. Applicando itaque ad lilium noſtrum myſticum ſcilicet animam ſanctam, has omnes tum floris lilij tum eius olei virtutes, dicemus illam cum diuinæ conſolationis & dulcedinis oleo, & tot virtutum quibus pollet & mirificè exornatur, ſimiles producere in ſe & erga proximos effectus ſpiritales, vt facta horum omnium enumeratione ita colligere & intelligere facilè eſt, ita vt vlteriori explicatione illa non indigeant.

SECTIO VII.

Malo punico ſeu granato comparatur anima, quod multùm ad eius pulchritudinem confert.

Anima ſancta malo punico ſeu granato comparatur & cur.

SI palmæ & lilij pulchritudo & decor, ex antedictis magni æſtimari debent, atque ex eo quod voluit Deus olim in veteri teſtamento, illa Templo impendi & illi non mediocri eſſe ornamento: ita magno in pretio malum punicum ſeu granatũ habere debemus, cùm

in illo quoque ordinem & seriem inter ea quæ maiori consideratione digna erant, tenuerit. Dicitur autem malum punicum, quod à Pœnis id est Carthagine sit allatum; granatum verò à granorum, quibus refertum est multitudine, centum videlicet vt aliqui notarunt, vel quod in Regno Granatensi abundet. Sed quid quæso in ipsius templi atrio cerni magnificentiùs & pulchriùs poterat, quàm centena illa mala punica pulcherrimo ordine distincta? quid gratius & excellentius quàm conspicere in extremitate & fimbriis tunicæ summi Sacerdotis (vt in libro Exodi videre est) quasi mala punica seu granata, ex Hyacintho & purpura & cocco distincto, mixtis in medio tintinabulis aureis? Sed sicut ex Apostolo Gentium doctore in Epistola ad Hebræos, hæc omnia non nisi figuræ erant eorum quæ nunc spiritui ornamento sunt, nobis est dicendum malum punicum eiusque pulchritudinem, esse animæ sanctæ Christi sponsæ atque illius decoris & ornamenti, veram ac genuinam imaginem, & proinde potiùs in eam conjiciendos esse oculos quàm in mala illa punica, quæ è fimbria & extremitate tunicæ summi Pontificis pendebant. *Exod 25.* *Hebr. 11.*

Tria potissimùm in malo punico spectanda veniunt, quæ eius pulchritudinem maximè commendant, videlicet grana rubea ad modum carbunculi rutilantia, & mirificè adinuicem vnita & cohærentia, corticis illius firmitas, & corona desuper. Et hæc tria symbolicè præcipuas animæ qualitates designant, quæ valdè decoram illam reddunt, quæ sunt omnium eius virtutum & perfectionum ac bonorum motuum & affectuum cordis, Christi sanguine tinctorum vnio, eius fortitudo ac regnum. Quod si primum illud in malo punico consideremus, videlicet granorum vnionem, præclarè Gilbertus qui continuauit sermones S. Bernardi, talem granorum vnionem & cohærentiam refert ad regularem vnanimitatem, in qua religiosi in eodem collegio vel conuentu, sub regulari disciplina viuere debent. Nam sicut grana illa rubea, etiamsi ab inuicem secernantur & numero differant, ita tamen cohærent, vt vnum quid efficere videantur: ita si numero discreti sint religiosi, attamen conuenire & quasi vnum animô fieri debent. Et sicut grana illa non rixantur inuicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perrumpere, patienter se sinunt eius quasi aluo concludi: ita erga suos Superiores, seruata proportione se se gerere debent, vt cum Vate regio dicere possint. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, hoc est habitare (inquit idem Gilbertus) in quodam horto communionis & sub munimine *Gilbertus.* *Psal. 132.*

corticis: charitas vniat, & cortex muniat: quot videtis ordinata collegia, tot intelligite velut quędam mala punica.

Si verò secundam eiusdem fructus conditionem spectemus, videlicet durum eius corticem, & qui quasi in aluo pulcherrima illa grana complectitur, nobis in memoriam recurret animæ prędestinatæ sensuum conseruatio, ne illicitè in quęque occurrentia obiecta incurrant. Recordetur illa anima electa, Dinam filiam Iacob nimia curiositate ductam videndi nationis filias, pudicitiæ suæ iacturam fecisse, & Samsonem ac Dauidem in magna lapsos fuisse pericula, & propriæ famæ notam incurrisse, quia sensuum suorum ianuas non occluserant. Hinc ipse Dauid aiebat: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Psal. 118.

Vlysses apud Poëtas, non se fortius suæ nauis malo illigabat aut defigebat, nec diligentius cera aures suas obturabat, ne Syrenarum cantum audiret, ac sancta anima suos auertit & custodit sensus, ne Dæmonum, hominum impiorum, & libertinorum, aut voluptatum, malas suggestiones percipiat. Colubri prudentiam imitatur, suasque obturat aures ne incantetur.

Non est omittendus hic rufus ille color & quasi aureus, qui in cortice ipsius mali punici intus & circa grana apparet, non enim aliud nobis designat quàm aureum charitatis colorem in anima prædestinata latentem. Est etiam ad hoc propositum aduertendum, in eodem fructu reperiri acri-dulcem gustum & saporem, qui hieroglyphicè denotat saporem & gustum gratissimum, quem vniuersorum princeps Deus Opt. Max. in varietate tantarum virtutum & perfectionum, pręsertim charitatis ipsius animæ sanctæ experitur. Quòd si succus rari & regij huius fructus, vim refrigerandi habeat, & infirmos lætificet; multò magis incluti cordis expressio, afflictis populis consolatio & lætitia non mediocris erit, & quibuscumque infirmis medebitur, eosque ad pristinam sanitatem restituet.

Si denique, de postrema huius fructus proprietate loquamur, videlicet de eius corona, quæ ei multum pulchritudinis & gratiæ confert, illa hieroglyficè nobis indicabit, prædestinatam animam tanquam reginam corona redimitam, suum extendere regimen & imperium in omnes spirituales facultates & liberi arbitrij motus, in cunctas passiones, humores, naturales inclinationes, affectus sensuales, & in omne aliud quod interioris nostri status compositionem ingreditur. Nulla super terram reperiri potest Regina, quæ tam absolutè & potenter regnet, nullus in mari naucle-

rus qui ita diligenter nauim suam regat, nullusque paterfamilias qui ita domum suam gubernet, ac electa illa anima omnes corporis regit appetitus. Et vt nobis innotescat, ipsam ad vitæ huius finem in sanctis illis exercitijs perseuerare, summus Sacerdos & Pontifex antiquus, huius coronati fructus figuras, vt iam dictum est, in tunicæ suæ fimbrijs & extremitatibus deferebat. Et tandem ipsa anima post huius vitæ decursum fœliciter absolutum, gloriæ & immortalitatis corona, in tantorum operum bonorum sanctorumque exercitiorum præmium, in cœlis perpetuò donabitur, vt capite vltimo huius Tractatus fusiùs dicemus.

SECTIO VIII.

Anima est Dei templum quod per gratiam Deus inhabitare dignatur.

CERTVM est & nobis satis superque exploratum, multis Scripturæ & Patrum testimoniis, animam in gratia constitutam, esse verè Dei templum, in quo Deus speciali quodam modo habitare dignatur: vnde vocatur templum gratiæ, quoniam nequit hoc templi titulo notari, nisi dum est in gratia aut Deo grata, vt docet Sanctus Bernardus: *Templum Dei sumus dignatione Dei, non dignitate nostra;* quibus verbis satis constat, Deum sibi hanc sacram animæ ædem multâ solere gratiarum aspergine consecrare. Hæc autem doctrina apud Apostolum Paulum clarissima reperitur: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos,* Et alibi: *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Hoc porrò animæ nostræ templum, est magis amplum, augustum, & magnificum, quàm quodlibet materiale. Postquam Salomon absoluit templum, leuatis in cœlum oculis dixit: *Ergone putandum est quòd verè Deus habitet super terram? si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui?* At anima sancta dignior, illustrior, & capacior est cœlo, neque enim eam replere sufficit totus mundus, sicut nec res rotunda triangulum, cùm ad imaginem Dei facta sit, & ideò in illa Dominus requiescit, iuxtà id etiam

Anima est Dei templum & quomodo.

Serm. de Dedicat.

1. Corinth. 3.

2. Corinth. 6.

3. Reg. 8.

Eccles. 24. quod anima quædam sancta ait in libro Ecclesiast. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo:* Sicque dici potest iuxtà Dauidem ex-
Psalm. 103. tensa, vt cœlum extenditur sicut pellis. At scire vultis quænam sit
S. Bernard. illa animæ extensio? iuxtà Sanctum Bernardum nulla alia est præter
2. Corinth 6. suum amorem. Ita docet Sanctus Paulus dum Corinthios hortatur, vt se se extendant & dilatent charitate erga Deum & proximum: *Dilatamini & vos* (inquit) videlicet charitate; & ita licet ipsa anima purus sit spiritus, & ex consequenti incapax extensionis more rerum corporalium, per gratiam tamen habet quod per naturam ei competere nequit. Eius extensio non est substantiæ dilatatio, sed virtutum accretio, vnde sequitur animæ mensuram à charitate desumi debere, quæ sola capax est efficiendi quòd illa anima magno in pretio habeatur quæ copiosa pollet charitate, paruo quæ in modico, & nullo quæ in nullo, vt ij qui in peccato mortali existunt. Quòd si contingat vt ipsa animæ charitas se se ad inimicos extendat, illis benefaciat, & pro eis precetur, tunc verum erit quòd extensa sicut cœlum remanebit, quinimò vt suprà-dictum est, erit ipsummet cœlum mysticum, quod sicut pellis extenditur. O inæstimabilis dignatio pietatis Dei! cùm sint & in cœlo tam splendida, tam ampla, tam decora palatia, tam illustria, tam insignia, & magnifica templa Angelorum, Archangelorum, & omnium aliorum spirituum beatorum in quibus habitat; & tamen non dedignatur paupercula & abiecta animarum nostrarum tuguriola intrare, in eisque habitare, immò & inambulare intra illas, vt ex supra allata Sancti Pauli
Leuit. 26. sententia ex Leuitico deprompta, antea notauimus. Quid tibi Domine pro tanto beneficio impendemus? quid est homo quia sic ma-
Iob. 7. gnificas eum, aut quia sic apponis erga eum cor tuum? In hoc verè
Prouerb. 8. dixisti: *Delitiæ meæ, esse cum filijs hominum,* quæ inhabitatio fit per illapsum quo mentibus nostris ad eius imaginem & similitudinem productis, sic intimè & præsentialiter vnitur & insinuatur, vt verè
1. Cor. 6. dictum sit: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo;* immittitur qui-
Psalm. 33. dem Angelus & inspirat, sed in circuitu timentium & à foris, non intimè & per illapsum, sicut Deus, id enim illi soli reseruatur: Vnde pensandum est nobis, quanto timore & sollicitudine cauere debeat
Nihil turpe rei esse debet in anima. anima iusti, ne fortè in ea aliquid turpe aut indecens inueniatur, quod oculos tantæ maiestatis offendat, quâ vigilantia se vna quæque debeat custodire, ne vel leui cogitatione, aut desiderio, aut opere inhabitanti Deo displiceat. Vnde postquam Apostolus dixit:
1. Corinth. 3. *Annescitis quia templum Dei estis vos,* superaddit: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Si quis enim in Sancto materiali Templo Deo dicato, equos, asinos, porcos, &c. immit-

teret, & sic sanctuarium Dei iumentorum stabulum, & porcorum haram faceret; nonnè impius & sacrilegus haberetur? Etsi destructis & rasis Sanctorum imaginibus, in eodem loco turpissima Iouis, Veneris, Bacchi, Martis, Mercurijve simulachra, & aliorum Dæmoniorum idola, impudenter & audacter statueret, quo quæso supplicio plecti deberet? At quid minùs facit peccator, dùm sacrum animæ suæ templum, in quo solus Deus inhabitare vult, vitijs implet, & immunditijs polluit, dum ipso Deo à sacro illo suo tabernaculo expulso, spurcissimorum porcorum hoc est Dæmoniorum stabulum facit, in eoque turpissima carnalium imaginationum, desideriorum, & voluptatum simulachra idolaque depingit? Quo putas supplicio tantum facinus vltum iri? Existimas ne Deum velle inter illa idola habitare? absit, nam, *Quis consensus templo Dei cum idolis?* De similibus conqueritur Apostolus: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus, moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & in quo sanctificatus est, spiritui gratiæ contumelias fecerit?*

Qua pœna dignus est, qui animam suam quæ templum Dei est, vitiis tanquam idolis implet.

2. Cor. 6.

Ad Hebr. 10

SECTIO IX.

Sunt euertenda è templo animæ, peccatorum idola.

CVM animæ templum, vt superiori sectione dictum fuit, tot peccatorum, voluptatum & carnalium desideriorum idolis alijsque abominationibus violetur; debet vnusquisque nostrum illa omnia euertere, & illud animæ templum mundare, innouare, aram nouam puri cordis construere, ac denuò Deo consecrare, quemadmodum Scriptura dicit de Iudæis; cùm enim Lysias cum suis in fugam verteretur, videns Iudas & fratres eius templum & altare holocaustorum prophanatum, omniaque in templo diruta & destructa, incidit illis consilium bonum, vt destruerent altare à Gentibus contaminatum, & alterum nouum construerent, super quod obtulerunt sacrificia secundùm Legem: ita Christianus bene sibi consuluerit qui aram antiquam funditus demolitus fuerit, id est veteres animæ passiones, & post statuam omnibus vitiorum generibus erectam, nouum altare construxerit, in quo nullus odor residuus sit veterum abominationum: *Cor mundum crea in me Deus*, inquit Dauid, &

Est animæ templum ab idolis vitiorũ purgandum & innouandum.

1. Machab. 4.

Psalm. 50. *spiritum rectum in noua in visceribus meis.* Sanctus Anselmus docet primam animæ nostræ innouationem fieri in Baptismo; qui est
In cap. 3. epist. 2. ad Cor. basis Christiani ædificij, vt ait Sanctus Paulus: postquam autem rationis lumine illustrati sumus, cura summa nobis adhibenda est, vt fabrè super hoc fundamento ædificemus. Iuxtà id quod habet
1. Cor. 3. idem Apostolus: *Vnusquisque videat quomodo superædificet*; eligamus optima materialia, obseruemus regulas sanctæ & perfectæ symmetriæ, & non extruamus muros improbos post iactum adeò nobile fundamentum: Secunda innouatio fit in Sacramento pœnitentiæ: quando vestimentum longo vsu detritum est, vt penè in frusta dilabatur, nouum induitur: ita vestire nouo indumento oportet animam, gratiâ virtutibusque nudatam, & à peccato laceratam. Cùm filius prodigus ad patrem reuersùs est, inter patris primos amplexus, ille pijssimus pater iussit proferri stolam primam; verùm vt animam nostram vestiamus diu duraturo & corruptioni non obnoxio ornamento, exuamus veterem Adam, & induamus Dominum nostrum Iesum Christum, quo quidem induti, ad cuncta bona opera peragenda ad eius imitationem, validiores & promptiores erimus; anima enim quælibet absque tali indumento Christi, quod aliud non est prꝫter gratiam, sterilis est & arida, nullosque bonorum operum fructus germinat, nullos virtutum affectus producit, sed velut arida terra sine aqua, vacua germinibus sordet, & vertitur in sal-
Psalm. 142. suginem. Vnde Psaltes Regius: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*: vnde sicut terra quæ tempore verno post hyemale frigus, noua incipit producere germina, herbas, flores, fructus, &c. renouari dicitur; ita postquam per Dei gratiam hyemale peccatorum frigus quod animam occupauerat, transijt, & ipsa ante-actæ vitæ pœnitere incipit, atque de nouo virtutum germina producere, & bonorū operum fructus; verè ab omni labe prauæ vetustatis, bonis moribus quasi verno tempore renouari dicitur, quo nihil gratius Christo esse potest. Dauid saltem decimo quoque anno hanc spiritus renoua-
Psalm. 102. tionem exigebat: *Renouabitur*, inquit, *vt Aquilæ iuuentus tua*: nam Aquila, vt aliqui Hebræi apud Genebrardum testantur, singulis decennijs veteres pennas exuit, nouas induit, & sic vsque ad centesimum ætatis annum, per sua interualla iuueniliter plumescit. Frequentiorem adhuc animorum renouationem imperabat Iudas Ma-
1. Mach. 4. chabæus, qui expiato templo vt dictum est, statuit vt ageretur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, hoc est singulis annis, quæ festa Encœnia hoc est festa renouationis dicebantur, vt ad memoriam templi semel renouati, nouis semper vir-
Hebr. 3. tutibus exculti animi renouarentur. Sanctus Paulus autem quotidia-

nam

nam postulabat renouationem, vt colligit Theodoretus.

Quo autem ritu & quibus ceremonijs materialia templa innouantur, & Deo consecrantur ac dicantur; ita animæ nostræ templum spirituale, ijsdem penè ceremonijs spiritualibus innouari & Deo consecrari debet. Illa templa materialia Deo dicantur ab aliquo Pontifice, per aspersionem, inscriptionem, inunctionem, illuminationem, & benedictionem; ita per ea ipsa spiritualiter impensa, anima consecratur Deo in Templum, vt fusè allegat Sanctus Bernardus, magnus enim Pontifex Christus, seriò hæc omnia facit in Templo illo spirituali. Primò, illud aspergit lauacro fortissimo lacrymarum, vt à peccatis mundetur, sicut habet Regius Psalmista: *Asperges me Domine hyssopo, &c.* Secundò, inscribit in visceribus eius legem suam, sicut scriptum est in Prophetia Ieremiæ: *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam:* Et apud eundem Psalmistam: *Lex Dei eius in corde illius, &c.* Tertiò, inungitur sacra Spiritus Sancti vnctione, hoc est spiritu feruidæ deuotionis: fiunt autem Cruces in altaribus, & inunguntur, vt scias quia sine Cruce non fit dedicatio, neque ipsa Crux tolerabilis est sine vnctione, vt habet Sanctus Paulus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs;* Nullus enim verè Christum sequitur sine Cruce, cùm ipse dicat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Si ergo hæc Crux sacra Spiritus Sancti vnctione vncta sit, nulla ratione difficilis est & grauis, sed leuis est, dulcis, & suauis, ita vt non videatur Crux. Quartò, sacrum illud animæ templum in quo Deus inhabitare dignatur, post sancti olei vnctionem à Pontifice maximo, cereis accensis illuminatur, hoc est intùs lumine illo internæ contemplationis & fidei illustratur, vt luceat lux eius foris in opere & conuersatione, coram hominibus, vt glorificent Patrem eius qui in cœlis est. Quintò, his fœliciter peractis, superest desiderabilis illa benedictio, de qua Psaltes: *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ;* vt postquam in præsenti vita Dei Sanctuarium & Templum extiterimus, in patria simus eius tabernacula longè illustriora, ac magnificè omnibus pretiosis lapidibus & diuitijs exornata, & Deo in perpetuum consecrata. *Amen.*

Animæ templum ad instar templi materialis, est innouandum & conseruandum.

Psal. 50.

Ierem. 31.

Psal. 36.

Ad Gal. 5.

Matth. 16.

Psal. 127.

CAPVT VI.

De morte Animæ per peccatum, ex qua prouenit in eadem, deformitas, corruptio, & fœtor.

POSTQVAM superiori capite & eius Sectionibus dictum est de animæ pulchritudine per gratiam & virtutes, quando his exornatur; vnde, vt supra dictum est, palmæ, oliuæ, rosæ, lilio & malo punico seu granato comparatur, Deique templum dicitur. Nunc capite præsenti & sequentibus eius sectionibus, est dicendum de eius deformitate, corruptione, ac fœtore, quæ ex eius morte per peccatum nascuntur.

SECTIO I.

Mors animæ contingit per peccatum.

Serm. 6. de verbis Domini.

QVOMODO contingat mors animæ per peccatum docet S. Augustinus ex analogia & comparatione mortis corporis, ait enim; *Sicut expirat corpus, cùm animam emittit; ita expirat anima dum Deum amittit; Deus amissus mors animæ, anima emissa mors corporis, mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria.* Quando igitur anima in aliquod mortale peccatum labitur, & gratiâ quæ est eius vita priuatur, tunc moritur, eo modo quo mori potest, sicut verè moritur corpus dum ab eo separatur anima, quæ est eius vita. Quemadmodum enim qui venenum bibit illicò cor eius inficitur, eumque interimit; ita qui venenum peccati bibit, si vsque ad cor peruenerit & in illud intrauerit, mortem affert, iuxtà id quod S. Iacobus in prima sua Epistola ait; *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ipsam enim animam vitâ spirituali & diuinâ priuat, remanetque sine spiritualibus sensibus & viribus. Hinc Apostolus ad Timot. *Vidua quæ in delicijs est viuens, mortua est.* Et hanc animæ mortem per peccatum satis indicauit Suzanna, cùm senioribus eam ad libidinem sollicitantibus respondit: *Angustiæ mihi sunt vndique, si enim hoc fecero,* (id est si peccauero) *mors mihi est, & si non fecero, non effugiam manus vestras.* Vides ergo ipsam in peccato animæ suæ mor-

Anima per peccatum mori dicitur, & quomodo, latè ostenditur.

Iacob. 1.

1. Ad Timoth. 5.

tem posuisse, sicut in separatione animæ à corpore mors hominis consistit, vt iam suprà S. Augustinus notauit. Hinc S. Bernardus; *An aliud mors corporis est, nisi cum sensu corpus priuatur vitâ? peccatum quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum, nec confessionis reliquerat vocem, & mortuus eram: venit is qui peccata dimittit, & vtrumque restituit, & dicit animæ meæ salus tua ego sum.* Quod si corporis mors adeò mala est, quid erit animæ mors, cùm mors corporis à morte animæ tantum distet, quantum ab anima corpus distat? Et hoc confirmatur ex eo quod habetur apud Ezechielem: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et Sapiens. *Homo per maliciam occidit animam suam.* Et inde notat S. Hieronymus libro de quæstionibus Hebraicis, Saülem fuisse filium vnius anni quando regnare cœpit super Israël, & duobus annis regnasse, cùm tamen vt in Actibus habetur, quadraginta annis regnauerit; quia cùm regnare cœpit, innocens erat sicut est filius vnius anni, & in eadem innocentia duobus regnauit annis; sicque constat reliquos annos non computari apud Deum, quia erat in peccato, & per consequens mortuus, verâ gratiæ vitâ priuatus. Facit pro hoc argumento communis loquendi modus S. Pauli, cùm mortuos dicit peccatores: *Vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris.* Vbi S. Hieronymus ait: *Per delicta & peccata vestra, quæ scilicet vobis interitum conciliant, & mortem inferunt.* Suffragatur S. Augustinus, cùm interpretatur verba illa Christi Domini apud Ioannem: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei;* Intelligit enim hoc de prædicatione Christi percipiendâ & audiendâ à peccatoribus, qui ratione peccatorum in quibus iacebant sopiti ac sepulti, dicuntur mortui. Sed præ reliquis est audiendus ipse Christus filius Dei & suprema veritas ac vita, satis enim superque docuit nos, peccatum esse animæ mortem, dum apud S. Lucam mundanos & peccatores mortuos vocauit, dicens cuidam adolescenti: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* Clemens Alexandrinus existimat hunc fuisse sanctum Philippum. S. Ambrosius ad illa Christi verba hæc habet: *Quomodo mortui sepelire mortuos suos possunt, nisi geminam hic intelligas mortem, vnam naturæ, alteram culpæ? vita corporis habet mortem sorte naturæ, habet etiam ipsa anima mortem sorte peccati.* Cùm autem sit ipsa anima hoc modo per peccatum mortua dum adhuc manet in corpore, profectò ipsum corpus animæ sepulchrum dici potest. Vnde Dominus in Euangelio alloquens Pharisæos eis dicebat: *Similes estis sepulchris dealbatis.* Per illa sepulchra dealbata nonnulli intelligunt corpora, in quibus animæ per peccatum mortuæ delitescunt & sepeliuntur. Et sic dicere possumus animam esse immortalem, &

Serm. 15. super Cantica.
Ezech. 18.
Sap 16.
Hieron. in 1. Reg cap. 1.
Act. 13.
Ad Ephes. 2.
Lib 50. hom. hom. 21. Ioan. 5.
Luc. 9.
Lib. 3. Strom.
S. Ambr. in cap. 9. Lucæ.
Matth. 23.

mortalem; immortalem, si naturalem vitam spectes; mortalem, si vitam supernaturalem consideres; moritur enim per peccatum quod est oppositum gratiæ, in qua quidem supernaturalis vita consistit. Et proindè quid proderit homini si tanta rerum cognitione polleat, vt quasi Angelos superare videatur, & tot tantisque naturæ dotibus & donis exornetur, si per aliquod peccatum gratiâ ipsâ priuetur, & mortua remanserit eius anima, immò & in eius corpore sepulta? Rerum omnium temporalium nulla digniùs & æquiùs æstimatur quàm ipsa vita, neç à nobis magis diligitur; & huius rei euidentissima habemus signa, nam pro vita ipsa conseruanda, quilibet patitur vt sanguinis emissio fiat, manus vel brachium abscindatur, & si opus fuerit absinthij potione potetur; Hæc omnia & alia his maiora hominem pati videmus pro vita hac conseruanda, quæ non est vera vita, sed potiùs vmbra, & mortis imago. Si igitur vitam corporis quæ breuis est, momentanea, caduca, & breui peritura tanti habemus, tantaque patimur; quàm maiora aggredi debemus pro ipsius animæ vita per gratiam & charitatem conseruanda, vt tandem gloriosam in alia patria vitam consequi valeamus? Illud ergo est maximè dolendum & sanguineis lacrymis deplorandum, quòd cùm acerbior duriorque sit mors animi quàm corporis, maiusque nocumentum inducat illa quàm hæc, plus de hac fugienda, euitanda, & elonganda, curant & student homines quàm de illa, cùm tamen & mors animi voluntaria sit, atque adeò in manu & voluntate cuiusque sit eam effugere; illa verò naturalis, necessaria, & omninò ineuitabilis. S. Ambrosius de Cain & Abel, dat exemplum de ipso Caino, qui peccati reus & conuictus, pro remissione illius quo mortem animæ & damnationem æternam incurrerat, non orat, neque se sollicitum præbet, sed de morte tantùm corporis, dicens: *Omnis qui inuenerit me occidet me*: *Angustæ* (inquit ille) *mentis homo, præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, diuinum iudicium non formidat, interitum solùm corporis deprecatur.* O quot Caino similes existunt, qui vt longo sermone habet S. Augustinus: *Dolent de corporis morte, eamque nituntur totis viribus omnibusque viis vitare, aut elongare, cùm tamen nequeant vllomodo eam effugere; at de morte animi penitùs obliti, eam libenter admittunt diuque in ea delitescunt, O qualis dementia! Quid enim insanius quàm lugere corpus à quo recessit animus, animum autem à quo recessit Deus, non lugere?* Idem S. Pater de Sanctis: *Sic lugeamus*, inquit, *extinctam animam nostram, quomodo alienam carnem mortuam nos plangimus.* Et statim carnales propinquorum luctus prosequutus ait: *Si vxor aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homi-*

Lib. 2. de Cain & Abel in fine.

Gen. 4.

Tract. 49. in Ioan.

Serm. 41.

nes capillos trahendo, pectora tundendo, & in luctu ac lacrymis non paruo tempore perseuerant, exhibeamus ergo nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni: Et in eos qui secus faciunt acriter inuehens: *Carnem,* inquit, *quam non possumus suscitare, plangimus, & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare.* Et quidam doctus Pater ex modernis exclamat; *O hominum incuriam! mors imminet hominibus, & peccatis tamen indormiunt, quibus obnoxios si extrema dies inuenerit, somnum illum pœnâ immani, eaque interminâ castigabit.* Hoc vnum demiror ego grauem iacturam rei familiaris, aut propinqui mortem eo deducere homines, vt impastos & insomnes plerumque conficiant, animæ verò periculum flocci pendant.

SECTIO II.

De animæ deformitate ob peccatum.

QVEMADMODVM est valde pulchra & insigni formositate decorata rationalis anima, dũ existit in gratia & charitate, aliisq; virtutibus, vt suprà fusè diximus, ita si his priuetur perfectionibus, & peccati alicuius labe inficiatur modoque supradicto moriatur, tam horrẽdam contrahit deformitatem ac turpitudinem, vt nullus quantacumque dicendi vi polleat, eam viuis coloribus possit depingere, ad hoc enim plusquam Tulliana aut Homerica eloquentia esset necessaria. Maculam lunæ non modicam esse deprehẽditur, ex eo quod tam magnum inficit splendorem, si verò solem ipsum inficeret, proculdubio maior esset: Quòd si anima iusti Soli comparatur, & hæc per peccatum tenebrescit, nulli sanè dubium esse potest, quin peccati deformitas perhorrida & maxima sit. Hoc etiam ex eo patet, quòd peccatum aliquoties in sacris litteris carboni comparatur: non ob aliam rationem nisi quia sicut carbo manum vel parietem inficit, sic peccatum animam. Si quis carbone nigros characteres in pariete mundo depingat, ipsum parietem inficit & deturpat: ita Diabolus animam peccato quasi carbone quodam depingit, suisque characteribus signat, & omnem suum decorem quo per gratiam ornata erat, è medio tollit, sicque miserè eam deturpat, & valde deformem reddit. Vt exemplum habemus clarissimum de Hebræis, qui cùm vecordia singulari vitulum aureum adorassent, carbonum nigredinem induerunt, & quasi Æthiopes visi sunt, ac si in Dæmones versi fuissent. Quod egregiè Chaldæus paraphrastes in hunc

Animam per peccatũ valde deformem reddi, latè probatur.

Filij Israël vitulum aureũ adorando nigredinem contraxerũt.

mortalem; immortalem, si naturalem vitam spectes; mortalem, si vitam supernaturalem consideres; moritur enim per peccatum quod est oppositum gratiæ, in qua quidem supernaturalis vita consistit. Et proinde quid proderit homini si tanta rerum cognitione polleat, vt quasi Angelos superare videatur, & tot tantisque naturæ dotibus & donis exornetur, si per aliquod peccatum gratiâ ipsâ priuetur, & mortua remanserit eius anima, immò & in eius corpore sepulta? Rerum omnium temporalium nulla digniùs & æquiùs æstimatur quàm ipsa vita, neç à nobis magis diligitur; & huius rei euidentissima habemus signa, nam pro vita ipsa conseruanda, quilibet patitur vt sanguinis emissio fiat, manus vel brachium abscindatur, & si opus fuerit absinthij potione potetur: Hæc omnia & alia his maiora hominem pati videmus pro vita hac conseruanda, quæ non est vera vita, sed potiùs vmbra, & mortis imago. Si igitur vitam corporis quæ breuis est, momentanea, caduca, & breui peritura tanti habemus, tantaque patimur; quàm maiora aggredi debemus pro ipsius animæ vita per gratiam & charitatem conseruanda, vt tandem gloriosam in alia patria vitam consequi valeamus? Illud ergo est maximè dolendum & sanguineis lacrymis deplorandum, quòd cùm acerbior duriorque sit mors animi quàm corporis, maiusque nocumentum inducat illa quàm hæc, plus de hac fugienda, euitanda, & elonganda, curant & student homines quàm de illa, cùm tamen & mors animi voluntaria sit, atque adeò in manu & voluntate cuiusque sit eam effugere; illa verò naturalis, necessaria, & omninò ineuitabilis. S. Ambrosius de Cain & Abel, dat exemplum de ipso Caino, qui peccati reus & conuictus, pro remissione illius quo mortem animæ & damnationem æternam incurrerat, non orat, neque se sollicitum præbet, sed de morte tantùm corporis, dicens: *Omnis qui inuenerit me occidet me: Angustæ* (inquit ille) *mentis homo, præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, diuinum iudicium non formidat, interitum solùm corporis deprecatur.* O quot Caino similes existunt, qui vt longo sermone habet S. Augustinus: *Dolent de corporis morte, eamque nituntur totis viribus omnibusque viis vitare, aut elongare, cùm tamen nequeant vllomodo eam effugere; at de morte animi penitùs obliti, eam libenter admittunt diuque in ea delitescunt. O qualis dementia! Quid enim insanius quàm lugere corpus à quo recessit animus, animum autem à quo recessit Deus, non lugere?* Idem S. Pater de Sanctis: *Sic lugeamus*, inquit, *extinctam animam nostram, quomodo alienam carnem mortuam nos plangimus.* Et statim carnales propinquorum luctus prosequutus ait: *Si vxor aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homi-*

Lib. 2. de Cain & Abel in fine.

Gen. 4.

Tract. 49. in Ioan.

Serm. 41.

nes capillos trahendo, pectora tundendo, & in luctu ac lacrymis non paruo tempore perseuerant, exhibeamus ergo nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni: Et in eos qui secus faciunt acriter inuehens: *Carnem*, inquit, *quam non possumus suscitare, plangimus, & animam nostram mortuam non plangimus, quàm possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare.* Et quidam doctus Pater ex modernis exclamat; *O hominum incuriam! mors imminet hominibus, & peccatis tamen indormiunt, quibus obnoxios si extrema dies inuenerit, somnum illum pœnâ immani, eaque interminâ castigabit.* Hoc vnum demitor ego grauem iacturam rei familiaris, aut propinqui mortem eo deducere homines, vt impastos & insomnes plerumque conficiant, animæ verò periculum flocci pendant.

SECTIO II.

De animæ deformitate ob peccatum.

QVEMADMODVM est valde pulchra & insigni formositate decorata rationalis anima, dũ existit in gratia & charitate, aliisq; virtutibus, vt suprà fusè diximus, ita si his priuetur perfectionibus, & peccati alicuius labe inficiatur modoque supradicto moriatur, tam horrẽdam contrahit deformitatem ac turpitudinem, vt nullus quantacumque dicendi vi polleat, eam viuis coloribus possit depingere, ad hoc enim plusquam Tulliana aut Homerica eloquentia esset necessaria. Maculam lunæ non modicam esse deprehẽditur, ex eo quod tam magnum inficit splendorem, si verò solem ipsum inficeret, proculdubio maior esset: Quòd si anima iusti Soli comparatur, & hæc per peccatum tenebrescit, nulli sanè dubium esse potest, quin peccati deformitas perhorrida & maxima sit. Hoc etiam ex eo patet, quòd peccatum aliquoties in sacris litteris carboni comparatur: non ob aliam rationem nisi quia sicut carbo manum vel parietem inficit, sic peccatum animam. Si quis carbone nigros charactéres in pariete mundo depingat, ipsum parietem inficit & deturpat: ita Diabolus animam peccato quasi carbone quodam depingit, suisque characteribus signat, & omnem suum decorem quo per gratiam ornata erat, è medio tollit, sicque miserè eam deturpat, & valde deformem reddit. Vt exemplum habemus clarissimum de Hebræis, qui cùm vecordia singulari vitulum aureum adorassent, carbonum nigredinem induerunt, & quasi Æthiopes visi sunt, ac si in Dæmones versi fuissent. Quod egregiè Chaldæus paraphrastes in hunc

Animam per peccatũ valde deformem reddi, latè probatur.

Filij Israël vitulum aureũ adorando nigredinem contraxerũt.

Paraph. Chal. in 1. Cant. modum expoſuit in Cantica. *Quando fecerunt*, inquit, *domus Iſraël vitulum, denigratæ ſunt facies eorum, ſicut filiorum Æthiopiæ, qui morantur in tabernaculis Cedar, & quando egerunt pœnitentiam, & dimiſſum eis fuit peccatum, multiplicatus fuit ſplendor gloriæ vultus eorum, ſicut vultus Angelorum*: Quibus verbis apertè oſtendit talem nigredinem & deformitatem, quæ poſt commiſſum illud idololatriæ peccatum, in eorum vultu apparebat, indicium certiſſimum fuiſſe ſpiritualis eorũ nigredinis ac deformitatis in anima, per tale peccatum contractæ, ſicut poſt actam pœnitentiam ſplendor gloriæ in eorum vultu reniteſcens, animæ pulchritudinem ac nitorem per gratiam deſignabat. Ad hunc ſenſum intelligi debent Hieremiæ verba, quibus hanc animæ deformitatem deplorans aiebat: *Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores, denigrata eſt ſuper carbones ignis facies eorum, & non ſunt agniti in plateis.* Nix & lac naturali fulgent candore, per quem naturalis animæ pulchritudo à lumine naturæ, & rectæ rationis decore, deſignatur. Ebur (ait S. Greg. in verba illa) fertur vetuſtate ex albo rubeſcere, per quod ſignificatur ſpecies & color, quem ex habitu & longo exercitio virtutũ animus acquirit; at per ſapphirũ cuius color cœlum imitatur, ſupernaturalis oſtenditur ſpecies animæ, quæ à gratia & charitate cæteriſque virtutibus quæ à Deo infunduntur, prouenit, quibus anima ſuprà omnes alias pulchritudines illuſtratur & decoratur: at per peccatum ita commaculatur & deturpatur ipſa anima, vt ſuper carbones dicatur denigrata ac deformata, vtramque enim pulchritudinem, videlicet naturalem & ſupernaturalem, in quibus conſiſtebat eius ſpecioſitas, amittit, vtrique enim aduerſatur peccatum: vnde illi qui tetro illo & turpiſſimo colore deturpati ſunt, in plateis hoc eſt in valle Ioſaphat non agnoſcentur, & iuſtus ille Iudex Chriſtus eis dicet; *Neſcio vos.* Ad eundem ſenſum Doctor incognitus explicat illud Pſalmiſtæ: *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent*; Per carbones (inquit) vitia nigra intelliguntur, ſic enim quando quis de bono efficitur malus, de carbone ignito fit carbo extinctus: ſed quid de huiuſmodi carbonibus futurum ſit, ſubdit: *In miſerijs non ſubſiſtent.* Alij ſic legunt: *Cadent ſuper eos carbones in igne, deijcies eos in miſerijs, ac deinde non ſubſiſtent*, id eſt, non ſtabunt cum beatis, neque reſurgent ad gloriam. Cui conſonat Sancti Hieronymi verſio ex Hebræo, quæ ſic habet: *Deijcies eos in foueas vt non conſurgant*, id eſt nunquam inde queant emergere & liberari. Et adhuc clariùs exponit Chaldaïca Paraphraſis: *In ignem & gehennam præcipitabis eos, & in foueas illaqueationis, vt non reſurgant ad vitam æternam.*

Hierem. 4. | Lib. 33. cap. 23 | Matth. 25. | Pſal. 139.

Sed vultis scire quomodo splendor iste animæ obumbratur, & ita deturpatur & fœdatur, vt quasi carbo extinctus nigra reddatur? In hanc incidit turpitudinem & miseriam, dùm spretis cœlestibus rebus, terrenis ac inferioribus adhæret & immiscetur; quemadmodum argentum minoris ponderis est, cùm minori mixtum est metallo, putà cùm stamno aut plombo immiscetur, triticum etiam cùm zizaniæ, aut terræ, vel alijs impuritatibus miscetur, minus valet; nam S. Dionysio teste, anima nostra assimilatur speculo, ad quodcumque vertes, id in ipso resplendet, si enim versùs cœlum speculi faciem posueris, cœlum ipsum cæruleum lucidissimaque eius lumina, in ipso splendoribus suis emicabunt speculo, sin verò contrà terram vertas, iam lutuosas paludes, sterquiliniaque ac cæteras spurcitias quibus scatet terra, in eo cernes reflexas: ita si anima aciem mentis in superiora eleuauerit ac cœlestia, illa in eadem ac in speculo resplendent; quòd si ad terram respexerit, eius immunditie commaculabitur, voluntas enim ad ea quæ amat, rapitur, ac in ea quæ amat, transformatur, iuxta illud Oseæ: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Vnde S. Augustinus: *si terram diligis, terra es, si cœlum diligis, cœlum es, minùs dixi, si Deum diligis, Deus es.* Si alicui puellæ quæ summoperè speciosa in oculis hominum apparere desiderat, diceretur quòd quotiescumque vultum ad sidera erectum habebit, eius facies solis ac cœli pulchritudinem accipiet, aureos capillos, rubicundas genas, magnoque splendore refulgentem vultum mutuabitur; quòd si ad terram depresserit oculos atque faciem, iam illa pulchritudine amissâ, pallida, lutulenta, ac deformis apparebit; quantâ curâ cœlum respicere satager? nec terram vsquã dignabitur cernere, vt species quam cupit remaneat: Tibi ô anima hæc adeo intimatur sententia, si ad sidera respicis siderumq; factorem amaueris, pulchrior cunctis astris eris; quòd si ad terram depresseris vultum, amoréque terreno capiaris, iam deformior cunctis immunditijs apparebis; respice ergò cœlum vt speciosior sole sis, nec terram digneris aspicere, à qua turpissimâ dedecoraberis effigie; tibi hæc solis pulchritudo inerit, si in virtutum studio continuò mouearis & proficias, sicut sol ad motum sui cœli continuò mouetur.

S. Dionys.

Oseæ 9.

S. August.

Ex his ergò satis constat, quantam in anima deformitatem & insignem turpitudinem afferat peccatum; talem certè affert, vt maior dici ac fingi non possit, cùm magno excessu omnes alias imaginabiles longè superet deformitates, & proinde summa dici queat, sicut gratia in summo rerum pulchrarum vertice est collocanda: dicitur enim aliquid turpe ac deforme quod absque horrore conspici non potest, vt sunt monstra quæ peccata naturæ ab Aristotele appel-

Turpe quid sit.

2. Physic. Monstra dicuntur natura peccata, & peccata animæ monstra.

lantur. At quodnam magis horrendum monstrum, quàm peccatum in anima, vel ipsamet anima peccatrix? Profectò eius turpitudo tanta est, vt illa vna longè sit detestabilior quàm omnes aliæ corporis, externarumque rerum simul congestæ fœditates, imò ipsum est Dęmone deformius, cùm non aliundè suam habeat deformitatem, quàm à peccato: Si igitur tantam Dæmon contrahat à peccato deformitatem, idem de anima peccatrice iudicandum venit. Vtraque creatura, Dæmon videlicet & anima, quoad substantiam suam est nobilissima, & naturę spiritualis & immortalis, quamuis tamen in nobilitate & naturali dignitate, Dęmon animam superet; in ipsis ergo creaturis non inducitur deformitas, nisi quia donis spiritualibus & gratia spoliatę, turpissimâ peccati maculâ conspersę ac fœdatę sunt: solum ob adhærens peccatum tetra & monstrosa reddita est species Dęmonis creaturæ tam nobilis, tam speciosæ, tam inclytæ, ita vt Dæmonum apud inferos aspectus magna sit pœna & afflictio damnatorum; quid erunt ergò non vnicum superbiæ, sed tam multa omnis generis peccata, ab anima simul cum corpore commissa, qua parte iumentis & pecoribus assimilatur? Deinde Angelus malus semel peccauit ab initio, & ita firmiter malo adhæret, vt nunquam sit pœnitentiam acturus: sed proh dolor, noua quotidie committimus peccata; si itaque in eis perseueremus, nonne aliquo modo est futura nostra conditio Dæmonibus ipsis pejor? Quod etiam olim agnouit Seneca quanquam Ethnicus & gentilis, qui vt id explicet, hac vtitur similitudine: Cùm viri Primarij moriuntur, varijs pigmentis & vnguentis solent eorum corpora condiri, & magnâ pompâ sepeliri; sed rogo súntne ideò minùs mortui & minùs deformes ac infœlices, quàm hi qui nudi & sine vllo apparatu, in sepulturam projciuntur? Sic quantumuis diues & magnus peccator, non minùs deformis est quàm seruus: etiamsi ipse Ethnicus loqui intendat de amissione pulchritudinis naturalis per peccatum, quia supernaturalem non agnouit, id tamen potiori iure ad illam supernaturalem reuocari posset. Porrò ipsum peccatum non solùm animam deturpat & deformem reddit, verumetiam & corpus ab ipsa informatum animâ, & nonnunquam eius pulchritudinem fœdissimis morbis horribilem reddit, vires intempestiuè demetit atque infringit, vnde Propheta Oseas ait: *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Qui sunt alieni isti? Nonne peccata quæ ab humana natura rectaque ratione aliena sunt, vires deterunt atque conficiunt, & præproperè languentem senectutem accersunt; atque vitam præscindunt? Scriptum est enim à Vate Regio, & frequenti experientia confirmatum: *Viri*

A quibus inducatur deformitas, tum in Angelo tum in homine.

Osea 7.

Psal. 54.

sanguinum

sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: & paterni imperij detrectatores filij, vitæ longinquitate quam Deus promisit obsequentibus, non potientur.

SECTIO III.

De Animæ peccatricis corruptione & fœditate.

EX morte animæ per peccatum, non solùm sequitur deformitas, verumetiam corruptio & fœtor seu omnimoda fœditas; vt si per Dei gratiam aperirentur oculi nostri interiores & spiritalis odoratus, & discernere possemus quanta sit ipsius fœditas & corruptio, & quàm tetrum odorem spiret, quasi putrefactum cadauer, quamuis fortè in corpore habitet specioso & ornato atque oculis hominum valdè amabili; absque vlla dubitatione tantum horrorem conciperemus, vt nulla ratione in tam misero statu diutiùs permanere vellemus. Id figuratum fuit in Lazaro peccatorem significante in Euangelio S. Ioannis, cùm enim esset quatriduanus mortuus in Bethania & vellet Christus illum à mortuis suscitare, renuebat eius soror Martha, dicens: *Domine iam fœtet, quatriduanus enim est.* Et vbi nos legimus in Psalmis: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*; alia translatio habet, *omnes fœtuerunt*; eo enim ipso quo aliquis peccat, fœtet tanquam aliquid maximè corruptum, vel vt alij legunt: *Omnes putruerunt, & rancidi sunt facti, marcidique*; Vbique tetrum exhalant & spargunt odorem: Metaphora ducta est à rancidis corruptisque cibis qui putruerunt, & propterea nauseam pariunt, & maximè ab honestis & delicatis hominibus repudiantur. In quo Dæmon illud idem facere mihi videtur quod Hetrusci olim prædones, qui viuos cum mortuis & olidis cadaueribus, inhumanâ barbarie & nondum excogitatâ crudelitate colligabant, vt simul teterrima sanie putrescerēt: nam prędo ille animarum, homines cum vitio copulat, vt eodem situ & pædore corrumpantur. Vt autem nobis magis hæc animæ in peccato existentis, corruptio & fœditas innotescat; est aduertendum quòd secundùm Aristotelis doctrinam, tantò illa maior ac proinde peior esse solet, quantò nobilioris corporis est corruptio, vt patet in corruptione bruti quæ peior est quàm ligni & pomi, & in corruptione hominis quæ peior est quàm cuiuscumque alterius animalis. Cùm verò anima quæ per peccatum moritur, sit multò nobilior corpore, inde fit vt eius corruptio & fœditas spirita-

Animæ peccatricis corruptio & fœditas demonstratur.

Ioan. 11.

Psalm. 13.

lantur. At quodnam magis horrendum monstrum, quàm peccatum in anima, vel ipsamet anima peccatrix? Profectò eius turpitudo tanta est, vt illa vna longè sit detestabilior quàm omnes aliæ corporis, externarumque rerum simul congestæ fœditates, imò ipsum est Dęmone deformius, cùm non aliundè suam habeat deformitatem, quàm à peccato: Si igitur tantam Dæmon contrahat à peccato deformitatem, idem de anima peccatrice iudicandum venit. Vtraque creatura, Dæmon videlicet & anima, quoad substantiam suam est nobilissima, & naturę spiritualis & immortalis, quamuis tamen in nobilitate & naturali dignitate, Dęmon animam superet; in ipsis ergo creaturis non inducitur deformitas, nisi quia donis spiritualibus & gratia spoliatę, turpissimâ peccati maculâ conspersę ac fœdatę sunt: solum ob adhærens peccatum tetra & monstrosa reddita est species Dęmonis creaturæ tam nobilis, tam speciosæ, tam inclytæ, ita vt Dæmonum apud inferos aspectus magna sit pœna & afflictio damnatorum; quid erunt ergò non vnicum superbiæ, sed tam multa omnis generis peccata, ab anima simul cum corpore commissa, qua parte iumentis & pecoribus assimilatur? Deinde Angelus malus semel peccauit ab initio, & ita firmiter malo adhæret, vt nunquam sit pœnitentiam acturus: sed proh dolor, noua quotidie committimus peccata; si itaque in eis perseueremus, nonne aliquo modo est futura nostra conditio Dæmonibus ipsis peior? Quod etiam olim agnouit Seneca quanquam Ethnicus & gentilis, qui vt id explicet, hac vtitur similitudine: Cùm viri Primarij moriuntur, varijs pigmentis & vnguentis solent eorum corpora condiri, & magnâ pompâ sepeliri; sed rogo súntne ideò minùs mortui & minùs deformes ac infœlices, quàm hi qui nudi & sine vllo apparatu, in sepulturam proijciuntur? Sic quantumuis diues & magnus peccator, non minùs deformis est quàm seruus: etiamsi ipse Ethnicus loqui intendat de amissione pulchritudinis naturalis per peccatum, quia supernaturalem non agnouit, id tamen potiori iure ad illam supernaturalem reuocari posset. Porrò ipsum peccatum non solùm animam deturpat & deformem reddit, verumetiam & corpus ab ipsa informatum animâ, & nonnunquam eius pulchritudinem fœdissimis morbis horribilem reddit, vires intempestiuè demetit atque infringit, vnde Propheta Oseas ait: *Comederunt alieni vires eius, & ipse nescivit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Qui sunt alieni isti? Nonne peccata quæ ab humana natura rectaque ratione aliena sunt, vires deterunt atque conficiunt, & præproperè languentem senectutem accersunt; atque vitam præscindunt? Scriptum est enim à Vate Regio, & frequenti experientia confirmatum: *Viri sanguinum*

[Margin notes: s. Physic. Monstra dicuntur natura peccata, & peccata animæ monstra. — A quibus inducatur deformitas, tum in Angelorum in homine. — Oseæ 7. — Psal. 54.]

sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: & paterni imperij detrectatores filij, vitæ longinquitate quam Deus promisit obsequentibus, non potientur.

SECTIO III.

De Animæ peccatricis corruptione & fœditate.

EX morte animæ per peccatum, non solùm sequitur deformitas, verumetiam corruptio & fœtor seu omnimoda fœditas; vt si per Dei gratiam aperirentur oculi nostri interiores & spiritalis odoratus, & discernere possemus quanta sit ipsius fœditas & corruptio, & quàm tetrum odorem spiret, quasi putrefactum cadauer, quamuis fortè in corpore habitet specioso & ornato atque oculis hominum valdè amabili; absque vlla dubitatione tantum horrorem conciperemus, vt nulla ratione in tam misero statu diutiùs permanere vellemus. Id figuratum fuit in Lazaro peccatorem significante in Euangelio S. Ioannis, cùm enim esset quatriduanus mortuus in Bethania & vellet Christus illum à mortuis suscitare, renuebat eius soror Martha, dicens: *Domine iam fœtet, quatriduanus enim est.* Et vbi nos legimus in Psalmis: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*; alia translatio habet, *omnes fœtuerunt*; eo enim ipso quo aliquis peccat, fœtet tanquam aliquid maximè corruptum, vel vt alij legunt: *Omnes putruerunt, & rancidi sunt facti, marcidique*; Vbique tetrum exhalant & spargunt odorem: Metaphora ducta est à rancidis corruptisque cibis qui putruerunt, & propterea nauseam pariunt, & maximè ab honestis & delicatis hominibus repudiantur. In quo Dæmon illud idem facere mihi videtur quod Hetrusci olim prædones, qui viuos cum mortuis & olidis cadaueribus, inhumanâ barbarie & nondum excogitatâ crudelitate colligabant, vt simul teterrima saniè putrescerēt: nam prædo ille animarum, homines cum vitio copulat, vt eodem situ & pædore corrumpantur. Vt autem nobis magis hæc animæ in peccato existentis, corruptio & fœditas innotescat; est aduertendum quòd secundùm Aristotelis doctrinam, tantò illa maior ac proinde peior esse solet, quantò nobilioris corporis est corruptio, vt patet in corruptione bruti quæ peior est quàm ligni & pomi, & in corruptione hominis quæ peior est quàm cuiuscumque alterius animalis. Cùm verò anima quæ per peccatum moritur, sit multò nobilior corpore, inde fit vt eius corruptio & fœditas spirita-

Animæ peccatricis corruptio & fœditas demonstratur.

Ioan. 11.

Psalm. 13.

liter loquendo, censeri debeat pessima, & proinde maximè abominabilis iudicanda. Quantumuis elegantis & pulchri aspectus sit iuuenis decore insignis, aduchiente tamen morte non solùm pulchritudine & elegantia omninò priuatur, & ipsum aspicientibus maximum horrorem incutit, verumetiam paulò post corrumpitur, vt horrori sit omnibus; quæ nihilominùs corruptio, fœtor & horror ex eo proueniunt, quia anima quæ corpori pulchritudinem communicabat, ab eo separata est. Quòd si quando vna creatura alteri deest, illa deficit, & in tantam deformitatem, turpitudinem & fœditatem deuenit; quænam erit illius miseria quando Deus creaturarum Dominus & animæ creator, ab ea per suæ gratiæ priuationem absfuerit? quæ deformitas, quæ corruptio, quisue horror? Quamobrem si quis maximo pretio, corpus mortuum & corruptum secum non ferret, nec deportaret, quomodo homo peccator secum animam mortuam, corruptam & fœtidam defert, eamque patitur? Hæc eloquenter admodum confirmat Petrus Chrysologus: *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus, sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo, recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt; discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo fimus animæ iam sepultæ.*

Serm. 19.

O infœlicem animam, à qua Deus ob peccati fœtorem se procul abiungit. Quemadmodum enim si Rex aliquis vrbe discedat, cum eo tota simul abit aula: sic Deo animam ob peccati fœditatem deserente, eam quoque omnes cœlestes spiritus deserunt, cum bonis operibus vniuersis, quæ ad eam vsque diem patrarat. Vnde Ecclesiasticus ait: *Si offenderit in vno, multa bona perdet.* O quanta infœlicitas est miseri mercatoris illius qui post annorum multorum labores ac sudores, apud extremos etiam Indos exhaustos, cùm iam nauis pretiosissimis mercibus onusta redit, & in portu & prospectu patriæ est, vi exortæ cuiusdam tempestatis in mari naufragio perit, & sic miser mercator omnem facit iacturam bonorum, & tamen ei spes aliqua superest denuò fortunam tentandi opesque recuperandi, quia quamuis merces amiserit non tamen vires perdidit; non sic de peccatore dicendum, postquam enim omnium operum bonorum naufragium fecit eorumque fructum perdidit, plerumque potentiam quoque illas spirituales opes recuperandi amittit, nisi diuina pietas vires augeat, debilitatemque miseri hominis corroboret, ad quod præstandum tamen non obligatur. O infœlicem animam Deo destitutam, in quantam miseriarum abyssum præceps abit! Subdu-

Deus ob peccati fœtorem se ab anima procul abiungit.

Eccles. 9.

cite è terris Solem quantus tenebrarum horror, quàm densa caligo protinus ingruet, quo frigore, quanta omnium bonorum sterilitate laborabit? Destituatur etiam mens humana Deo suo, quid aliud nisi cœcus horror vmbrarum circumuolabit? quid ei supererit nisi obscurum sepulchrum in quo corrupta & fœtida iacebit? Egregiè quoque admodùm, hunc miserrimum animæ existentis in peccato statum, viuis coloribus depingit S. Chrysostomus in Matthæum, vbi ait: Multi viuere creduntur qui nihil à mortuis differunt, imò verò maximè differunt, cùm sint illis multò deteriores, nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato; hic autem seruit peccato, nec enim mihi dices non clausisse hunc oculos nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremò vermibus esse proiectum, cùm multò peioribus hic quàm qui obiit, vexetur, non deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestiâ truculentiùs exagitant atque lacerant. Quòd si aperti sint oculi, id multò deterius est quàm si clausi essent, clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident, hic verò mille sibi morbos oculis cernendo, quotidie contrahit, ille iacet in monumento ad peccandum iam immobilis, hic in sepulchro malo à seipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. (Et post pauca addit) Ille post mortem per decem dies malè olet, hic verò per totam vitam os habens vel ipsis cloacis spurcitius, intolerabilem expirat fœtorem. Quare tantò ille discrimine hôc melior est, quantò naturali solùm corruptioni subiectus, corruptionem ille patitur, hic verò antequam ad illam perueniat, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille in dies corruptionis vias excogitans. Sed phalerato (inquies) equo fertur magnificè; ego verò inquam meliorem illum esse qui in vrna quasi in lecto quiescit, quodque decentius est, illum quidem nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrnâ dissolutum corpus; hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit. Certè si posses animam hominis deliciis ac sceleribus dediti oculis cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere, quàm delictis irretitum detineri, & lapide potiùs quàm graui peccatorum pondere premi. Sic ille nobis describit corruptionem & fœtorem demortui peccatoris, cùm enim peccatum mors sit, necessariò illud consequi debet deformitas, corruptio, fœtor, & horror, & longè deterior quàm cuilibet corpori contingere posset.

Hom. 28. in Matth. post medium.

Rom. 6.

Vnde Plotinus hominis animam scelere inquinatam comparat virgini forma eximia, in olentem cloacam demersæ; qualis quæso, inde educeretur? vndique maculosa, stercore conspurcata, fœculenta: talem aiebat esse animam quæ peccato se polluisset. Et

liter loquendo, censeri debeat pessima, & proinde maximè abominabilis iudicanda. Quantumuis elegantis & pulchri aspectus sit iuuenis decore insignis, aduehiente tamen morte non solùm pulchritudine & elegantia omninò priuatur, & ipsum aspicientibus maximum horrorem incutit, verumetiam paulò post corrumpitur, vt horrori sit omnibus; quæ nihilominùs corruptio, fœtor & horror ex eo proueniunt, quia anima quæ corpori pulchritudinem communicabat, ab eo separata est. Quòd si quando vna creatura alteri deest, illa deficit, & in tantam deformitatem, turpitudinem & fœditatem deuenit; quænam erit illius miseria quando Deus creaturarum Dominus & animæ creator, ab ea per suæ gratiæ priuationem abfuerit? quæ deformitas, quæ corruptio, quisue horror? Quamobrem si quis maximo pretio, corpus mortuum & corruptum secum non ferret, nec deportaret, quomodo homo peccator secum animam mortuam, corruptam & fœtidam defert, eamque patitur? Hæc eloquenter admodum confirmat Petrus Chrysologus: *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus, sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo, recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt; discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo fimus animæ iam sepultæ.* O infœlicem animam, à qua Deus ob peccati fœtorem se procul abiungit. Quemadmodum enim si Rex aliquis vrbe discedat, cum eo tota simul abit aula: sic Deo animam ob peccati fœditatem deserente, eam quoque omnes cœlestes spiritus deserunt, cum bonis operibus vniuersis, quæ ad eam vsque diem patrarat. Vnde Ecclesiasticus ait: *Si offenderit in vno, multa bona perdet.* O quanta infœlicitas est miseri mercatoris illius qui post annorum multorum labores ac sudores, apud extremos etiam Indos exhaustos, cùm iam nauis pretiosissimis mercibus onusta redit, & in portu & prospectu patriæ est, vi exortæ cujusdam tempestatis in mari naufragio perit, & sic miser mercator omnem facit iacturam bonorum, & tamen ei spes aliqua superest denuò fortunam tentandi opesque recuperandi, quia quamuis merces amiserit non tamen vires perdidit; non sic de peccatore dicendum, postquam enim omnium operum bonorum naufragium fecit eorumque fructum perdidit, plerumque potentiam quoque illas spirituales opes recuperandi amittit, nisi diuina pietas vires augeat, debilitatemque miseri hominis corroboret, ad quod præstandum tamen non obligatur. O infœlicem animam Deo destitutam, in quantam miseriarum abyssum præceps abit! Subdu-

Serm. 19.

Deus ob peccati fœtorem se ab anima procul abiungit.

Eccles. 9.

cite è terris Solem quantus tenebrarum horror, quàm densa caligo protinus ingruet, quo frigore, quanta omnium bonorum sterilitate laborabit? Destituatur etiam mens humana Deo suo, quid aliud nisi cæcus horror vmbrarum circumuolabit? quid ei supererit nisi obscurum sepulchrum in quo corrupta & fœtida iacebit? Egregiè quoque admodùm, hunc misertimum animæ existentis in peccato statum, viuis coloribus depingit S. Chrysostomus in Matthæum, vbi ait: Multi viuere creduntur qui nihil à mortuis differunt, imò verò maximè differunt, cùm sint illis multò deteriores, nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato; hic autem seruit peccato, nec enim mihi dices non clausisse hunc oculos nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremò vermibus esse proiectum, cùm multò peioribus hic quàm qui obiit, vexetur, non deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestiâ truculentiùs exagitant atque lacerant. Quòd si aperti sint oculi, id multò deterius est quàm si clausi essent, clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident, hic verò mille sibi morbos oculis cernendo, quotidie contrahit, ille iacet in monumento ad peccandum iam immobilis, hic in sepulchro malo à seipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. (Et post pauca addit) Ille post mortem per decem dies malè olet, hic verò per totam vitam os habens vel ipsis cloacis spurcitius, intolerabilem expirat fœtorem. Quare tantò ille discrimine hôc melior est, quantò naturali solùm corruptioni subiectus, corruptionem ille patitur, hic verò antequam ad illam perueniat, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille in dies corruptionis vias excogitans. Sed phalerato (inquies) equo fertur magnificè; ego verò inquam meliorem illum esse qui in vrna quasi in lecto quiescit, quodque decentius est, illum quidem nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrnâ dissolutum corpus; hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit. Certè si posses animam hominis deliciis ac sceleribus dediti oculis cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere, quàm delictis irretitum detineri, & lapide potiùs quàm graui peccatorum pondere premi. Sic ille nobis describit corruptionem & fœtorem demortui peccatoris, cùm enim peccatum mors sit, necessariò illud consequi debet deformitas, corruptio, fœtor, & horror, & longè deterior quàm cuilibet corpori contingere posset.

Hom. 28. in Matth. post medium.

Rom. 6.

Vnde Plotinus hominis animam scelere inquinatam comparat virgini forma eximia, in olentem cloacam demersæ; qualis quæso, inde educeretur? vndique maculosa, stercore conspurcata, fœculenta: talem aiebat esse animam quæ peccato se polluisset. Et

hinc fit vt non solùm ab hominibus sit iudicanda abominabilis, verumetiam ab Angelis, quibus malè olet, vt exemplo à S. Antonino allato constat; refert enim quendam Eremitam longum iter Angelo comite aliquando suscepisse, vt Dei iudicia sæpe ab humanis valdè diuersa, modo aliquo, inuestigaret; & primùm in quoddam cadauer hominis non pridem mortui tunc putrescentis incidisse, ex cuius graui odore ac fœditate, coactus est nares digitis compressas, quousque longius recederet, continere, aliquantò verò pòst occurrisse illis Iuuenem floridæ ætatis, valdè ornatum, comptum, & odoribus delibutum, & tunc Angelum sibi nares diligenter occlusisse, quasi præ odore fœtorem hauriret intolerabilem; quod etiam socio admiranti explicauit, dicens hunc secundum incomparabiliter magis fœtere quàm primum, eò quòd animam multis peccatis mortuam & vitiis putrefactam haberet. Ad huius rei confirmationem S. Basilius ait, tandiù nos Angelorum viciniori custodiâ non priuari, nec à nobis illos recedere, quandiu nostris prauis facinoribus non abiguntur: *Nam vt apes*, inquit ille, *fumus fugat, & columbas fœtor arcet, sic custodem vitæ nostræ Angelum, lacrymabile ac fœtidum peccatum repellit.* Diuina etiam prouidentia ac iudicio S. Catharina Senensis, cùm Senis moram traheret, peccatorum fœtorem sensit & olfacta est, quæ à multis in Romana curia committebantur, eaque de re grauiter apud Gregorium vndecimum conquesta est. Sunt & alia insignia in hoc genere exempla à Petro Damiano relata in Epistola quam scripsit ad Blancam Comitissam de iis maximè qui tetrum malæ suæ vitæ, & corruptæ conscientiæ odorem, putarunt vnguentis pretiosis & narium delicatis oblectamentis, posse contegere vel compensare; sed iusto Dei iudicio, aut in vita morbo aliquo fœdissimo, aut in morte insolito fœtore cadaueris, aut post mortem aliqua terribili apparitione animæ teterrimè olentis, quàm essent abominabiles, innotuerunt.

4 p. Summæ tit. 14 cap. 6. §. 1.

Hom. 3. de peccato.

Lib. 7. Epist. 19.

SECTIO IV.

Resipiscere debent in peccatis mortui ac defœdati, si liberari & resurgere spiritaliter velint.

Resipiscere debent peccatores.

EX antecedentibus de morte animæ, atque eius corruptione & fœditate per peccatum, facile colligere est, quantùm tales sic

mortuos & deformatos odio habeat Deus, iuxtà illud Ecclesiastici: *Altissimus odio habet peccatores*; sed hoc est intelligendum quandiu tales remanent, & in ipsius peccati morte perseuerant, sic enim æternis digni sunt pœnis; at si resipiscant & pœnitentiam agant, ab ipsa peccati morte, deformitate, corruptione & fœditate, summâ Dei clementiâ liberantur, & in pristinum suum gratiæ statum restituuntur. Si quis vas aliquod haberet ex auro confectum, pretiosum, gemmis ornatum & valdè speciosum, & contingeret ipsum pessimo & fœtidissimo liquore pollui & contaminari; non ideò vas illud foras eijceret aut confringeret, sed potiùs ipsum lauari si fieri posset, & conseruari iuberet: si tamen tam pestifero ac lethali liquore esset imbutum & infectum, vt proindè nulli hominum vsui amplius esset reseruandum, sanè inter sordes procul ab omnium oculis proijceretur ac confringeretur: ita si anima quæ vas est spirituale pretiosissimum, pessimo & fœtidissimo peccati liquore plena sit, modò resipiscat & mundetur, non erit procùl abijcienda, sed si tam pestifero ac mortali ipsius peccati liquore sit imbuta, & in tantam deuenerit corruptionem, vt nulla spes purgationis huius vasis extet, & in tali pessimo statu ac miserrima conditione, à corpore separetur, erit profectò inter inferni sordes projicienda, & in ignem æternum detrudenda, ad modum primi ac abominandi peccatoris, videlicet Luciferi & suorum sequacium; quale enim quæso, vas cœlestium donorum & gratiarum erat ipse Lucifer? quàm pretiosum, exornatum, speciosum? Legimus in Ezechiele de illo scribente, fuisse operimentum eius in decore auri, & in omni lapide pretioso atque ignito, rutilantibus vndiq; in vestimento ipsius pyropis, Smaragdis, sapphiris alijsque gemmis, longo ordine à Propheta recensitis, quibus mysticè varia eius dona tum naturalia tum supernaturalia indicantur; & tamen vbi primùm mortifero peccati contagio cœpit esse infectus, & alios plures ex illis spiritibus nobilissimis malo consentientibus inficere, omnes ab empyreis sedibus ingenti ruinâ deturbati sunt, nec vlli eorum (vt ait Sanctus Petrus) *Deus pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*: ita animæ pestifero peccati liquore infectæ continget, si ad Luciferi & sequacium imitationem, se se miserè inquinauerit, & absque vlla emundatione & pœnitentia è præsenti vitâ migrauerit, in eo siquidem statu ita eam odio habebit Deus, vt simul cum peccato eam in infernum deijciat: Vnde apud Abachuc: *Coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in lacum.*

Ecclesiast. 11. Ezech. 28. 2. Petr. 2. Abach 3.

Cùm itaque peccatum tam abominabile ac odiosum sit, & animam quæ illo infecta est, in tantam deformitatem, corruptionem

Per pœnitentiam delenda animæ deformitas, corruptio ac fœditas, per peccatum inducta.

ac fœditatem inducat, elaborare debet vnusquisque, ne ipsius aliquid in anima ipsa remaneat, sed vt ex ea penitùs deleatur per pœnitentiam; & tunc quò plus per peccatum deformis & fœda erat, eo pulchrior & purior per ipsam pœnitentiam coràm Deo & Angelis apparebit: ita vt verum sit quod docet Christus: *Gaudent Angeli super vno peccatore pœnitentiam agente*: & talis anima sic dealbata & exornata per gratiam, charitatem, cæterasque virtutes, dicere potest quod habetur in Canticis: *Nigra sum, sed formosa,* Quod apprimè explicat S. Gregor. Nyssenus, docens animam peccato denigratam fieri formosam, quia Christus dilexit illam, iuxtà id quod præcessit: *Rectitudo dilexit te?* Audi S. illum Patrem, *Nolite mirari ô adolescentulæ,* inquit, *quòd me dilexerit rectitudo, sed quòd cùm nigra essem peccato, & per opera affinis essem & coniuncta tenebris, me pulchram fecit per dilectionem, suâ pulchritudine commutatâ cum mea turpitudine, in se enim translatis sordibus meorum peccatorum, mihi suam impertijt puritatem?* Affert simile quid de nocte & aurora, nox enim omnia facit tenebrosa & nigra; & aurora fugatis atris tenebris, candidam pulchramque rebus omnibus lucem inducit: idem facit Christus, cùm animam errore & peccatis tenebrosam, lucidâ suâ gratiâ speciosam efficit. Vnusquisque ergo se à peccatis liberari per veram & integram ad Deum conuersionem satagat, illa iugiter exemplo Magdelenæ in mente versando, lugendo & deflendo, si deformitatem per ea contractam exuere cupiat & pulchritudinem per gratiam induere, & nouam incorruptionem acquirere, iuxtà illud quod habet S. Paulus: *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum Deum Iesum Christum in incorruptione,* hoc est per virtutem quæ peccati corruptionem tollit, quod est mentis corruptio intolerabilis, vt ait Apostolus ad Timotheum: Quod in Threnis accommodatè significatur, cùm dicitur: *Effunde cor tuum sicut aquam in conspectu Domini.* Quibus verbis Sanctus Propheta Ieremias, docet quàm exactè vnusquisque per confessionem & pœnitentiam, peccatum à se expellere debet, nam aqua inter cæteros liquores nullum penitùs sui vestigium relinquit in vase quãdo ab eo effunditur, quod in melle, oleo, lacte, butyro, & reliquis liquoribus non contingit, si quidem in vase in quo continebantur, semper aliqua eorũ participatio remanet, postquam ab eo effusa sunt. Debet igitur vnusquisque peccãtum suum ex anima sicut aquam effundere, & sic integram confessionem & exactam pœnitentiam de ipso facere, vt illud per remissionem & veniam omninò deletum maneat. Id continuò præstare semper paratus est Christus Dominus, & sic sua gratia & misericordia à peccati morte nos suscitare, & si hunc suum intentum non

Luc. 15. — Cantic. 1. — S. Gregor. Nyssenus. — Ad Ephes. 6. — 2. ad Tim. 3. — Thren. 2.

habeat, nec sortiatur effectum, per nos stabit. Hoc declarat Sanctus Paulus de Christi sanguine loquens: *Emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est à peccatis, *ad seruiendum Deo viuenti*. Istam vitam se habere respondebat idem Apostolus, cùm diceret: *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus*. Quasi dicat nunc veram vitam ego viuo, vitam scilicet spiritualem, quia viuit in me Christus per suam gratiam, qua me à carnalibus operibus & à peccatorum morte suscitauit. Hanc vitam petebat Dauid, cùm se peccato mortuum cognoscebat, inquiens: *Tu autem Domine miserere mei & resuscita me*: Misericordiam Dei primùm petit, quia ab illa gratia (quâ anima suscitatur & viuit) solùm procedit, nullis ex parte hominis præcedentibus meritis: Et specialiter ait S. Iob ipsum Deum specialiter alloquens: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* hoc est; quis potest à morte peccatorum suscitare & gratiam largiri? nonne tu solus Domine speciali tua benignitate & clementia? Hoc significari dicunt SS. Patres in Lazari suscitatione à Christo facta, per quem ligatum & mortuũ peccatorem vnanimiter intelligunt; sicut in tribus mortuis à Christo suscitatis (quorum specialiter Euangelistæ mentionem faciunt) tria peccantium genera significantur quæ Dominus per suam gratiam ad vitam reducit. Et hinc fit vt talis animæ per pœnitentiam reparatio, & à sua ob peccatum turpitudine, deformitate, corruptione, & fœtore liberatio, nec-non in pristinæ gratiæ statum restitutio, vocari soleat spiritalis resurrectiô; quæ si semel ô homo tibi daretur, omnia mundi bona vt stercora despiceres, & omnem domus tuæ substantiam venderes, ad emendam pretiosissimam gratiæ margaritam, quæ in tam excellentem statum animam restituit. Recordari debes quod per Sanctas Scripturas & diuinas inspirationes, didicisti quomodo sacrum Christi corpus à peccatoribus deformatum in sua acerbissima passione, accedente resurrectionis momento reformatum est, ita vt niuem candore & Solem splendore superaret; paulò ante non erat ei species neque decor, sed imago mortis, at in puncto resurrectionis suauissimâ pulchritudine & purissima luce preditum apparuit, quasi corpus vnigeniti filij Dei. Ad hunc modum debes meditari resurrectionem animæ tuæ, quæ in peccato mortua fuerat, & per gratiam reuiuiscit, in puncto enim illo ex horrenda Diaboli imagine, in Dei similitudinem transit, ex tenebris infernalibus ad serenissimam lucem, ex deformitate & fœditate turpissima, ad pulchritudinem gratiosissimam quæ lapides emolliret. Cùm ista igitur ità vera sint, ad nobis diuinam illam conciliandam gratiam, & à peccatis nostris spiritualem resurrectionem, nullâ ra-

Ad Hebr. 9.
Ad Gal 2.
Psal. 40.
Iob 14.
Cap. 14.
Resurrectio spiritalis quænam sit, & quomodo fiat.

tione est sancta pœnitentia & peccatorum nostrorum confessio differenda: qui enim confessionem peccatorum suorum diu differt, exponit se magno periculo grauissimæ pœnæ post mortem sufferendæ, si subitò (quod plerumque accidit) eum mori contingeret. Qui autem sæpè confitetur, ab eo periculo est liber: Sicut ergo si Rex cui multi ciues multa deberent, ingressus ciuitatem, omnibus offerret debitorum remissionem, qui ad eum accederent chirographum petituri, quandiu in ea ciuitate ageret; post discessum tamen nullâ speratâ condonatione, sed ad vltimum vsque denarium cogenda solutione; nemo esset qui non statim ad impetrandum gratis chirographum accurreret, maximè quando incertum esse intelligeret discessus Regis tempus; & is magis festinaret qui grauiore debito premeretur. Ita peccator in hac vita imprudenter & stultè agit, si non accurrat ad Christum per pœnitentiæ Sacramentum, vt dimissionis chirographum accipiat, iuxtà id quod habet Isaïas Propheta: *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est:* Et quia quotidie noua debita contrahimus, sæpè etiam petendum est nouum solutionis chirographum, quandiu nobiscum est Dominus: Dixi quotidie esse illud solutionis chirographum petendum, nam cùm anima nostra quotidianâ purgatione indigeat, non est in diem sequentem talis purgatio differenda. Homo quotidie aut sæpiùs in hebdomada verrit cubiculum suum, ne locus sit immundus in quo ipse versatur, quidni frequenter animam quæ templum est Spiritus Sancti purgabit, in tanti hospitis reuerentiam? ingratum esset parenti si eius filius vestem maximi pretij atque laboris defædaret, & non continuò leuissimos etiam puluillos discuteret; at omnes norunt animam nostram esse rem nobilissimam, pretioso Christi sanguine lotam: in ea itaque mundanda & conseruanda socordes & negligentes esse non debemus, sed statim atque peccatum irrepsit, per confessionem illud tollere, crebra enim confessione faciliùs venit homo in sui ipsius notitiam: sicut enim pauimentum sæpè versum & mundatum magis nitidum conspicitur; ita peccator qui pluribus peccatis est subditus, si sæpè sæpiùs illa confiteatur, maiorem sui notitiam habet, imò & magis ab insidijs & tentationibus Dæmonis se immunem reddit: Et quemadmodum aranea vitat cubicula diuitum quæ sæpè purgantur, quòd in eis suæ telæ detergantur, & ipsi periculum immineat ne pedibus conteratur: ita Diabolus dum videt tentationes suas frequenti confessione dissipari, & caput suum calcari, eos fugit qui crebrâ confessione conscientias purgant.

Isaia 55.

Anima à peccatis purganda.

CAPVT

CAPVT VII.

Quanti animam nostram æstimare debeamus.

QVo res aliquæ sunt pretiosiores, eò maiorem dolorem inferunt possessoribus si eas amitti contingat, eo periculosiorem ac irreparabiliorem sortiuntur casum si decidant, at nihil pretiosius & excellentius habemus animâ nostrâ, imò nihil Deo est charius & amabilius, cùm vt notat S. Chrysost. in Matth. propter eius salutem filium suum nobis tradiderit, qui sanguinem suum valoris infiniti effudit: & ideò, inquit Sanctus Clemens Alexandrinus: *Digna est quæ super omnia ametur, & eius salus æstimetur, & quæratur post Deum summè dilectum, & à nobis summè æstimatum & quæsitum:* vt autem vnicè ab homine diligeretur, vnica danda erat, & est quod in sequentibus dicturi sumus.

Nihil excellentius habemus anima nostra.

Homil. 60 in Matth. post medium.

1. Pædag. c. 3.

SECTIO I.

Quia vnicam solùm habemus animam, proinde est eius salus plus æstimanda quàm corpus, diuitiæ, honores, &c.

NON vnica duntaxat est anima in tota specie humana, vt perperàm censuerunt Auerroës Peripateticus, & Amellius Platonicus, atque nonnulli Hæretici, sed vnumquodq; indiuiduum ipsius speciei humanæ, suam habet tanquam propriam substantialem formam: cùm igitur quisque nostrum vnicam sibique propriam habeat animam, debet eius bonum, vtilitatem ac salutem, quibuscumque alijs bonis externis, vt sunt diuitiæ, honores, & cętera huiusmodi præferre, quinimò & ipsimet corpori, vt disertè admodum ostendit Sanctus Chrysostomus in suis Homilijs ad populum, vbi ait: *Omnia nobis duplicia dedit, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes, si igitur horum alterum lædatur, necessitati per alterum inseruimus; animam verò vnam dedit nobis, hanc si perdiderimus, quid superest quo-cum in vita maneamus? huius igitur prouidentiam facia-*

Animæ nostræ salutem, quibuscumque bonis externis præferre debemus, cùm vna sit.

Homil. 22. ad populum.

Hom. 1. ante medium, tom. 2. bibliot. *mus, nihil ipsius saluti præferentes.* Et in eandem sententiam Cæsarius Arelatensis Episcopus interpretatur illud Psalmistæ: *Erue à* Psalm. 21. *framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Quare* (inquit ille) *vnicam dixit? Siue quia tanquam vnica diligenda est, siue quia ipsa sola & singularis ante tribunal cœleste, rationem remotis omnibus solatiis reddituraest.* Præmiserat autem id quod nobis minimè omittendum est, cùm præsenti conducat instituto: *Oportet sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater orbata super amißione vnici filij sui, fracto pectore lamentari, ita conuenit super vnicam suam, sed cum spe reparationis affligi.* Sic ille satis ostendit quomodò sit æstimanda anima nostra, & præ omnibus diligenda tanquam res pretiosa, nobis tamen vnica; quomodo item nobis cauendum sit & dolendum, si illius iacturam fecerimus; quantò enim magis aliqua sunt pretiosa, tantò maius eorum in ruina, fractura, aut deperditione est damnum, vt constat de aliquo pretioso & ditissimo vase aureo gemmis ornato; cùm ergo anima nostra sit valde pretiosa, & infiniti filij Dei sanguine redempta, graue est damnum si illius iacturam faciamus, labaturque in peccatum & moriatur. Et non mirum si Deus ipse ergà illam se gerat sicut homines ergà pretiosa vasa ne cadant aut pereant, ipsi enim custodiam illis adhibent ac vigiles deputant; ita Deus custodes ac vigiles animarum adhibet hoc est Angelos, qui in manibus portant, ne offendant, cadant, & pereant: vt in tractatu de Angelis satis fusè ostendimus. De ipsius animæ cura, & quomodo corpori aliisque externis Hom. 23. rebus sit præferenda, legendus S. Basilius: *Qui sibi*, inquit, *optimè consulit, animæ quidem quam-maximè curam habebit, illiusque sinceritatem ac genuinam puritatem perpetuò illibatam conseruare conabitur: carnis verò, siue illa fame tabescat siue cum frigore & æstu luctetur, aut morbis prematur, aut violentum quid à quibusdam patiatur, exiguam rationem habebit, in vnaquaque molestia illud S. Pauli* 2. Cor. 4. *dicens: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem: si verò quisquam & corporis rationem habere voluerit, vtpotè talis possessionis quæ vna sit animæ necessaria, & quæ illi ad viuendum super terram cooperetur, pauca quædam ad huius vsum necessarium impendet, vt illud & contineat tantùm & ad ministerium animæ mediocri curâ sanum conseruet.* Ita Basilius. Meritò ergo S. Bernardus corpus orat, ne animæ saluti impe- Serm. 6. de Aduentu. dimentum opponat, tempusque præripiat: *Noli*, inquit, *ô corpus, noli præripere tempora; potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes, omnia tempus habent, patere vt nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris,*

& conregnabis: quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam, &c. Animæ itaque salus cuique cordi esse debet, nemo eam negligat. Hinc Saluianus in suis libris ad Ecclesiam, iure inuehitur in eos qui vnicam animam vnicè minimè diligunt, cùm tamen ipsemet Diabolus qui homines ab amore & æstimatione animarum suarum vult auertere, fateatur pretiosissimam esse animam, & præ omnibus habendam & diligendam, & exponit quæ Sathan apud Iobum habet. Sed præstat hunc patrem audire: *Pellem propelle & cuncta quæ homo habet dabit pro anima sua: dilectißimam esse animam suam homini etiam Diabolus non negauit, & qui auertere omni modo conatur cunctos à profectu animarum suarum, idem tamen charißimas esse debere cunctis suas animas confitetur. Quis furor est viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam Diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est viles vobis haberi quas etiam ille charas vobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? Ac per hoc quicumque animas suas negligunt, etiam infrà iudicium Diaboli se amant.* Et hæc fortassis est ratio cur Philo Iudæus, longè à principio libri sui de congressu quærendæ eruditionis gratia, longè à principio, animam appellauerit oculorum oculum, sicut enim in corpore nihil pluris facimus quàm oculos, sicut probari solet ad primum librum Metaphysices, vnde & oculos summoperè custodimus, ita maiori longè curâ & vigilantiâ est obseruanda & custodienda anima, quæ oculorum oculus dicitur. Vnde Psaltes Regius sic à Deo custodiri & conseruari maximâ humilitate expostulabat dicens; *Custodi me Domine vt pupillam oculi.* Vnde S. Chrysost. in Matthæum; *Pupillam*, inquit, *oculorum tuorum, ne minimo lædatur puluere, diligenter custodis, animam autem tuam tanta malorum congerie pressam, negligis; quando ab his sordibus animam detergemus?* Maiori igitur curâ est ipsa anima seruanda & æstimanda, quàm corpus, diuitiæ, &c.

Lib. 5. ante medium.

Iobi 4.

Philo Iudæus.

Psalm. 16.

Hom. 45. in Matth.

SECTIO II.

Arguuntur illi qui propria neglecta anima, corporis solum curam gerunt.

FREQVENS olim erat hoc adagium in ore vulgi, ait S. Bernardus; [a] *Bonum seruat castellum qui custodierit corpus suum.* Cui succinit P. Blesensis: [b] *Id solent dicere homines huius sæculi* (inquit

a *Serm. 2. in Assumpt. B. Virg.*

b *Epist. 15.*

c Serm. 46. ex paruis.

idem S. Bernad.)[c] *nos autem non sic, sed sterquilinium vile custodit qui custodit corpus suum, Apostolo teste, quoniam qui seminat in carne metet corruptionem.* Abutuntur hoc prouerbio qui carnis nutriendæ & ornandæ patrocinium afferunt, vt nonnulli apud Blesensem, qui dicebant esse temerarium extrà necessitatem se affligere, ieiunia capiti esse importuna, & nimiam corporis afflictionem morbos parere. At minimè sunt audiendi huiusmodi corporis & carnis protectores & aduocati, animæ enim nobis potior esse debet cura, & corporis posterior, nam qui ordinem hunc inuertit, verum euertit ordinem. Vnde præclarè Ludouicus Granatensis in sua Sylua locorum communium, verbo anima, hac similitudine vtitur: Sicut in nucibus, amygdalis & castaneis, præcipuum nucleus est (cortices enim velut thecæ sunt & receptacula eiusmodi fructuum) sic, inquit, existimo mentem hominis velut nucleum esse, corpus verò velut nuclei huius quodammodo corticem & receptaculum. Vel (vt Petrus Apostolus ait) tabernaculum, quamuis reuerà ipsius hominis tãtum pars etiam vilior sit. Ex quo apparet quam præposterè faciant qui neglecta prorsùs anima, solius corporis velut nuclei curam gerunt, & omnem in eo curando sollicitudinem ponunt. Magna hominis peruersitas est, quòd cùm vilis caro ei ad spiritus obsequium data sit, ipse contrà carnis obsequio nobilem spiritum mancipauerit, dum vim suam omnem in opibus ad carnis obsequium congerendis & voluptatibus exquirendis, impendit. Cuius rei velut imaginem quandam nobis exhibet Sanson ab hostibus captus, quos cùm ante captiuitatem suam grauiter premeret, vbi captus est in pistrinum relegatus, vilissimorum iumentorum more, victoribus seruiebat: idem autem spiritus noster patitur, cùm à iustitia cadens in peccatum labitur. Quisquis ergo es qui animæ tuæ cura neglecta, omnes curas, & cogitationes tuas in cultu, victu, deliciisque corporis ponis, rem planè pretiosissimam negligis, & vilissimam curas.

Loco cit.

Ordinem inuertit, qui potius corporis quàm animæ curam gerit.

1. Classe.

Insipiens profectò is omnium iudicio haberetur, qui ad mortem damnatus, ascendere recusaret iumentum, nisi pulcherrimo sterneretur tapeto aureoque ephippio, & eius ori aurea injicerentur fræna; at nos omnes antequam nati, mortis sententiam accepimus, & ad supplicij locum per omnia vitæ momenta hoc vili corporis iumento deuecti, ducimur: cur ergo infœlices nos vt tam breue conficiamus iter, hoc vile corporis iumentum aureo tapete instruere, aureis inducre vestibus, torquibus & variis gemmarum coruscationibus, exornare desideramus? Satius foret ipsam animam quæ tanquam Regina nunquam moritura, corpori veluti equo insidet, aureo charitatis amictu condecorare, vt illud in nos Psalmistæ quadret: *Astitit Re-*

Psalm. 44.

gina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Si quis enim (vt ait S. Chrysost.) *domum tuam aureis tapetis depensis ornare vellet, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, non æquo animo id ferre posses, nunc verò non alius, sed tu ipse domicilium animæ tuæ corpus scilicet, auro & gemma exornas, animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis.* Hæc ille: Internæ ergo potiùs sordes abluendæ. Sed heu (ait quidam insignis Pater) tota nostra in eo certat industria, vt corporis sordes abluamus, capillos discriminemus, crispantes circùm caput cincinnos, candenti acu intorqueamus, vultum manusque sæpius abstergamus, vestes excutiâmus, animâ interim in peccatorum cœno penitùs computrescente. *Hæc ille.* Qua in re huic infimo terræ elemento persimiles sumus, quæ externa quidem specie arborum, herbarum & florum amœnitate & fragrantia, læta ac hilaris apparet; intus verò mediis in visceribus tartareas sordes, omniumque elementorum eò defluentes spurcitias, atque adeò ipsos immundissimos Dæmones continet. Et hi externa quidem compositione vestium fulgoribus coruscant; intùs tamen in mediis animæ visceribus horrendas peccatorum sordes, atque adeò ipsum Tartarum sæpe circunferunt; si enim anima Iusti sedes est sapientiæ, è contrariò impij anima sedes est Sathanæ: *Scio* (inquit S. Ioannes in Apocalypsi) *vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ.* Hinc nobis acclamat S. Paulus, vt expoliemus nos veterem hominem cum actibus suis, & induamus nouum, nimirum Dominum nostrum Iesum Christum. O quàm pretiosa hæc vestis, quàm splendidus Deo Angelis ac hominibus apparet, qui Christo tanquam aureo coruscat veste: *Induimini* ergo *Dominum Iesum Christum*, vt idem monet Apostolus, ad Romanos. Quemadmodum autem multi in cultu, victu, deliciis corporis ac opibus congerendis, neglecta anima nimiam constituunt curam: ita in eiusdem corporis salute quærenda & conseruanda; quid enim non faciunt vt ipsius corporis saluti prospiciant? quas opes non profundunt? quibus se laboribus non addicunt? & tandem quid illius gratiâ non perpetiuntur? si enim ob id ad longinquas regiones peregrinandum sit, haud illibenter & grauatè iter suscipiunt; si corpus diuturna inedia extenuandum sit, extenuant; si à solitis voluptatibus ac deliciis abstinendum sit, abstinent; si ferro, igne, atque incisionibus opus fuerit, ferrum patiuntur & ignem, vt corporis dispendio maius redimant eiusdem corporis dispendium. Quæ igitur insania est, cùm morituri corporis gratiâ tam multa faciant, & nihil propter immortalem animam patiantur? cùm tam multis partibus anima corpori præstet, quæ dementia est omnem curam ac studium in tuenda corporis salute po-

Hom. 70. in Matth.

Apoc. 2.

Ad Coloss. 3.

Christum induere debemus, & quomodo.

Ad Rom. 13.

nere, nullam verò omninò huius diuinæ partis rationem habere? Fateor nulla esse verba, nullam dicendi vim, quæ huius tantæ cęcitatis indignitatem (quâ maxima generis humani pars laborat) pro meritis valeat explicare. Hæc quatuor elegantissimis versibus, complexus est Ouidius, libro de Remedio amoris, vbi ita cecinit:

Lib. 1.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aquâ;
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis;
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Hom. 2. in Psal. 37.

Origenes his præclarè suffragatur, & quæ præcipua sunt ex eius mente, adferemus. Si in corpore tuo (ô homo) macula aliqua vel vulnus oriatur, aut ex collisione aliqua intumescat, sollicitus es & perquiris quid curæ debeat adhiberi, quomodo corpori sanitas antiqua reddatur; si circà oculos se aliquis acerbus humor offuderit, sollicitus es & perquiris, quomodo succurras & pręuenias cœcitatem; at cùm anima tua ægrotet & peccatorum languoribus vrgeatur, es securus, & contemnis gehennam, atque ignis æterni supplicia despicis & irrides, iudicium Dei paruipendis, & commonentem te Ecclesiam despicis; ad sacrum Christi corpus in Eucharistia suscipiendum, quasi mundus & purus accedis, & quasi in te nihil esset indignum; & in his omnibus putas quòd effugies iudicium Dei? non recordaris quòd ad Corinthios malè communicantes scribat Apostolus: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi,* Sed dic mihi quæso, quare multi infirmi? quoniam non seipsos diiudicant, nec seipsos examinant, nec intelligunt quid est communicare Ecclesiæ, vel quid est accedere ad tanta & tam eximia sacramentá, patientes hoc quod febricitantes pati solent, cùm sanorum cibos pręsumunt sumere, sibimetipsis inferentes exitium. *Hæc ex Origenis mente.*

1. Corinth. 11.

SECTIO III.

Quid ad imitationem Christi in nostra anima salute quærendâ, & corpori ac rebus aliis præferenda, agere debeamus.

EST mirum quòd tanti corpus nostrum, &, quod minus est, honores, opes, aurum, argentum, & alia denique faciamus; & ani-

mam Christi sanguine redemptam quasi nihili ducamus: cuius tamen salutem, suum esse cibum dicit Christus Dominus; nam dum saluti animæ Samaritanæ incumbebat, & eius discipuli cibos quos emerant ei offerrent, renuit de illis comedere & dixit: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius.* Quibus verbis ostendit se esse à Patre suo æterno missum in mundum, vt eius adimpleret voluntatem, quæ maximè in animarum salute consistebat; & affirmat suum esse cibum quo maximè nutriebatur: Quemadmodum enim qui fame laborat cibum appetit; ita hominum salutem appetebat Christus, & ideò cibum suum illam appellabat. Hinc S. Chrysostomus: *Hominum*, inquit, *salutem Christus cibum appellat, vt quantâ salutis nostræ curâ & desiderio teneatur, ostendat, &c.* Hunc suauissimum cibum habebat Christus manducare, hunc expectabat, dum dixit: *Ego alium cibum habeo manducare quem vos nescitis*: hunc oblato à discipulis prandio anteposuit. E ciuitate, illi cibum attulerant pecuniâ emptum; ille ex eadem ciuitate, alium multò suauiorem cibum prestolabatur, quem sanguine erat redempturus. Non solùm autem dixit Christus suum esse cibum voluntatem Patris sui facere, in quęrenda animarum salute, sed etiam addit; *Vt perficiam opus eius.* Vocat opus, quoniam hominum salutem operatur. Opus aurificis est vas aureum, opus pictoris imago pulchra, opus scriptoris scriptura elegans, opus Dei salus hominum. Ab hoc opere nomen habet, Iesus, id est saluator, sicut quis à pingendo nomen pictoris habet; ita quoque cibus noster nostrumque opus sit saluti animarum & nostræ potissimùm, incumbere, sit desiderium nostrum, cibus noster, opus nostrum; hoc ipsum sit quod omnibus corporis negotiis & rerùm terrenarum curæ, pręponamus. Si etenim Christus tam ardenter nostrarum animarum salutem exoptabat, & tanquam proprium suum cibum quęrebat, quid non agere debemus pro nostra propria salute? Christus alienæ salutis sollicitus erat, & cur nostræ propriæ vt eum imitemur solliciti haud erimus? cur nostri corporis salutem, animæ saluti pręferemus? Et quod minus est, cur tanti faciemus diuitias, pecunias, honores, & alia denique externa, quibus ad tempus solùm nobis vti licet, & proprias animas quæ in perpetuum victuræ sunt, quasi nihil habebimus? *Christus non aurum, non argentum, non gemmas in terra quæ sunt*, vt benè notat S. Gregorius, *sed animas, non vineas, non olиueta, non villas, aut prædia emit, sed animas; non vrbes, non regna concupiuit, sed animas; eo autem pretio illas mercatus est, vt nullum maius excogitari possit. Quod enim maius pretium Dei sanguine excogitabitur? hoc infinitum pretium, animarum est pretium.* Hinc ad Christi imitationem

Ioan. 4.

Christum imitari debemus, in cura animarum nostrarum habenda, & eius saluti rebus omnibus pręferenda.

In cap. 4. Ioannis.

Epist. 28. lib. 5.

Serm 6. de Aduentu. nos inducit S. Bernardus, dum ait: *Si Christi membra volumus inueniri, sequendum nobis est caput nostrum; vt videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit, & quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reseruemus, & differamus in illum diem quo reformandi corporis gratiâ, est venturus.* Prima itaque præcipuaque cura animi exornandi sit, peccata tollendi, virtutes comparandi; secunda multóque minor corpori alendo impendatur; & tertia omnium minima in aliquali rerum aliarum studio habeatur, & solùm ad præsentem conseruandam vitam. At proh dolor, quamplures sunt qui sollicitudinem corpori impendunt, & animæ curam in postremos dies reseruant, corpus saginant, exornant, superbè induunt, locupletant, & terrenis rebus inhiant; anima interim esurit, macie tabescit, vixque ossibus hæret. Legendus venit S. Chrysostomus de hac hominum socordia copiosè loquens, maximè verò in Homiliis super Matthæum, vbi cum formicis nos confert, quarum tota cura ad cibum recondendum confertur: *Quid*, inquit, *inter nos & formicas interest? quemadmodum formicæ corporis duntaxat curam habent, pariter & nos certè: immò verò peius, non pro rebus necessariis, quemadmodum illæ solummodò laboramus, sed pro superfluis etiam ac turpibus vigilamus.*

Hom. 38. in acta Apost. & Hom. 42 ad popu ii. Hom 70 in Matth.

Si itaque nobis ipsis bene consulere velimus, Christi Domini exēpla imitemur, & consilium sequamur, qui apud S. Matthæum ait: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Videtis hac sententia illum duo nobis præcipere, videlicet vt serpentum prudentiam, & columbæ simplicitatem imitemur. Prudentia serpentis in hoc consistit quòd caput plusquam reliquum corpus seruat, si serpenti gladio aut fortè baculo mineris, statim cauda & corpore in orbem actis, quasi scuto caput defendit, ita vt totum corpus ictibus opponat vt caput protegat, in quo vita eius præcipuè consistit, quod natura duce nouit: Estote ergo prudentes serpentum instar, & animam quæ immortalis est & æterna, pluris quàm corpus eiusque sanitatem, ac cætera temporalia facite. Nam vt ait ipse Christus apud S. Matthæum: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Omnia deperdantur, diuitiarum iactura fiat, amittatur salus, honor periclitetur, & corpus ipsum mortem incurrat, tamen anima seruetur incolumis quæ super omnia est, & vt salua fiat omnia periculo exponantur. Et vt docet S. Augustinus in homiliis explicando præfata Christi verba: *Sic est ipsa anima amanda, vt lucro totius mundi præferatur.* Et S. Bernardus in suis Epistolis; *Magna res est, nec totus mundus ad illam lucrandam sufficit,*

Matth. 10. Matth. 16. S. Aug. tom. 10. Hom 37. S. Bern. tom. 2 Epist. 54.

quia

quia Christi sanguine redempta est, &c. Quòd si aliquando ipsius animæ iacturam feceritis, estote quoque similes columbæ, cuius cantus lugubris & gemebendus est; & peccata vestra ad Dauidis, Magdalenæ, &c. imitationem plangite; nam lacrymæ exteriùs fusæ, latentis & interioris doloris de ipsius animæ iactura, testes sunt atque signa. Vnde S. Gregorius Nyssenus eas vocat quasi sanguinis guttas quæ de corde exeunt; nam sicut corpus vulneratum, per vulnus sanguinem emittit, sic cor vulneratum contritione, per oculos emittit lacrymas. S. Hilarius appellat eas sudorem animæ; quia sicut corpus fatigatum & labore concussum, emittit sudorem; sic anima dolore peccatorum afflicta, sudore lacrymarum perfunditur. Sed proh dolor! vbi veræ pœnitentiæ indicia ob peccata quæ animæ nostræ mortem inferunt? quasi insensibiles effecti ad eius interitum non attendimus, & nihil minùs in nobis est & in corde, quàm veraciter pœnitere, aut propter delicta commissa lacrymas effundere. O quanta est mentis nostræ cæcitas! quanta mortalium vecordia & stultitia! si perdiderit homo substantiam suam, si amicum, aut vxorem, aut filium amiserit, aut fortè parente fuerit orbatus, in lacrymas prorumpit, & post multos annos vix à gemitibus abstinere potest, at si Deum per peccatum amiserit qui amicus pater & sponsus est, diuitiarumque cœlestium iacturam fecerit, easque amiserit, nullum tristitiæ signum ostendit: & sic verum est nos longè pluris facere creaturas & nos ipsos quàm Deum, nulloque erga illum amore flagrare, nullo charitatis igne accendi. Refert Solinus de monte Æthna in Sicilia, quòd cùm igne sulphureo perpetuò comburatur, tamen fons aquæ frigidæ ex illo profluit; sic cor nostrum fons est ex quo lacrymæ egrediuntur, quod tamen tanquam Æthna, igne charitatis debet esse accensum. Christus redemptor noster igne summi amoris & charitatis flagrans ergà Iudæos, quos ob tot peccata ad æternam mortem properare conspiciebat, fleuit super ciuitatem Hierusalem cùm in ea reciperetur, vt ciues ipsi propter quorum peccata ciuitas illa destruenda erat, multò magis flerent; & vt nos etiam videntes ciuitatem animæ nostræ sceleribus inquinatam, vim lacrymarum super eam fundamus.

S. Greg. Nyss.

S. Hilar.

De Deo amisso per peccatum, dolere debemus.

Luc. 19.

T

CAPVT VIII.

Anima nostra est vinea, quam plantare & colere debemus.

EX sacro Cantici Canticorum libro, dilectam pacifico Salomoni sponsam, agriculturæ operam dedisse, & custodiendis vineis præpositam, satis constat. Christus quoque Dominus verus Salomon non aliam sibi sponsam quærit, quàm quæ vineæ præfecturam suscipere & tueri possit. Vineam autem hanc hominis esse animam quam ipse in corpore humano plantauit, SS. Patres passim affirmant, ob vineæ proprietates quæ ei maximè conueniunt, vt in sequentibus est dicendum.

SECTIO I.

Ob proprietates vineæ quas habet anima, hoc nomine donatur.

S. Ambr. VIVÆ primùm vitis (inquit S. Ambrosius) radix defigitur, anima fidei radice plantatur: vitis maritatur arboribus; ita corpus animæ, anima corpori coniugatur: vitis dum ligatur, erigitur, & recisa non minuitur sed augetur; ita anima dum per charitatem Deo & proximo ligatur, erigitur, dum humiliatur non minuitur, sed potiùs attollitur & coronatur; vitis surculus, veteri abscissus ab arbore, in alterius fœtu radicis inseritur, sic anima ligni noxialis cicatricibus enodatis, in nouo crucis ligno tanquam piæ parentis gremio, fouetur & conquiescit; immò postquam se ad illam arborem vitæ adfixit, quasi vinea, palmites suos ad cœlum vsque extendit, ita vt rogent Angeli in Canticis; *Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum suum?* Et si de vineæ vuis & botris, qui sunt eius fructus sermo sit, Spiritus sanctus in Canticis comparat sponsam palmæ, & vbera eius botris vineæ qui succrescunt, & per totam palmam se diffundunt. Huc conuenit quod ait celeberrimus quidam Pater, Dominica Septuag. Qui vineam (inquit) plantare desiderat, debet primò terram purga-

Anima vineæ comparatur & ob quid.

Cant. 8.

Cant. 7.

re, lapides ejiciendo si ibi in nimia copia reperiantur, & extirpando spinas & vepres, tùm locum plantandæ vineæ fodere, & posteà palmitem plantare; ita qui animæ suæ vineam plantare vult, vt fructus bonorum operum & sanctarum virtutum producat; debet primò pœnitentiæ studio, illam superbiæ, auaritiæ, libidinis, aliorumque vitiorum spinis, expurgare, tum fodere ipsius conscientiæ terram per profundam humilitatem, & posteà palmitem plantare, hoc est bona virtutum opera animo inserere, & ante omnia fidem, spem, & charitatem, moxque earum fructus. Illud quoque in vinea materiali cauendum, ne racemus in palmite crescens, suo pondere in terram corruat, mox enim terram attingendo putrefieret, aut etiam à vento nimium agitaretur, & propterea solet ad palum ligari, vel fulcris aut baculis sustentari: ita cauendum ne bonum opus quod bona voluntas bene operando protulit, in terram corruat, aut illam respiciat vel tangat, hoc est hominum laudes ac fauores quęrat, sic enim putresceret, & omne meritum apud Deum amitteret, vel saltem quouis superbiæ vento vt nimium leuis, posset agitari, aut vanitatis aurâ inflari, & ea ratione ad palum hoc est ad Christum & eius crucem, per amoris vinculum ligari debet, vt cum S. Paulo quisque dicat: *Christo confixus sum cruci*, atque etiam sanctæ & profundæ humilitatis fulcro (quæ omnium virtutum custodia est) sustentari, fulciri, & communiri. Id autem ab insigni quodam Patre moderno faciliùs explicatur: Duæ (inquit) inter vtramque vineam, materialem, & mysticam, elegantes admodum similitudines & congruentiæ reperiuntur. Prima, arbores omnes tam steriles quàm fertiles, altitudinis & latitudinis certos limites habent, quos nulla facilè excedit, vnaquæque iuxta speciem suam, quibus natura dedit præcepta quædam & quasi regulas; sed vitis est omninò anomala, si manum abstinueris repit humi, & vuas suas humore nimio putrefacit; si palum pro adminiculo illi addideris, sequetur vsque ad summum eius culmen; si vlmo applicaueris, pampini eius surgent vsque ad arboris ramos extremos: si ad fundamentum parietis plantaueris, per totum se se diffundet; figura animæ nostræ est, quia creaturæ omnes sublunares habent terminos suos quos transilire non possunt, sola anima libero potitur arbitrio, gratia supernaturali dotato, cuius iuuamine transcendere potest supremas Angelorum Hierarchias, & attingere per participationem Dei essentiam, atque se per Dei gratiam beatificare. Altera congruentia seu similitudo hæc est: vinea obnoxia est gelu, grandini, pruinæ, vermibus qui eam arrodunt, vredini, feris, vulpibus, canibus, furibus, inertiæ vinitoris, furori inimicorum, qui vbi se de Domino vindicare non possunt, in vineam im-

Ad Gal. 2.

Iudith. 7. petum faciunt, vt in obsidione Bethuliæ Holophernes, prout habetur in libro Iudith: anima iisdem periculis exposita est, & vndique deposcitur ad prædam; charitas quæ refrixit, est quasi gelu quo anima penitùs rigescit; obstinatio & crudelitas sunt instar grandinis; damnosa ista animalia sunt Dæmones, inimici sunt qui vociferantur assiduè: *Exinanite, exinanite, persequimini & comprehendite eam.*
Psal. 136 & 70. in Psal. 79. S. Augustinus in Psalmos explicans illa verba: *Singularis ferus depastus est eam*, docet singularem ferum qui demolitus est vineam animæ esse Dæmonem, qui per superbiam quam etiam ferum singularem esse dicit, deuastat atque perdit hanc vineam, videlicet animam, & cùm videt hac manifesta superbia quòd vitium singulare & capitale est, se non posse animæ vineam deuastare, transfigurat se in
Cant. 2. vulpes paruulas de quibus scriptum est: *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* Sed quænam sunt istæ vulpes paruulæ? Notate; Vulpes parua facile absconditur in vinea ne videatur, sicque securiùs vineam demolitur dum non cernitur: Audi vulpes paruulas has, huic ait Dæmon, non ita viribus vales, delicatus es, ne ieiunes, en vulpem paruam quæ non facilè videtur; illi ait, filij tibi sunt, ne des eleemosynas, sed filiis serua, en vulpem paruam; alteri suggerit, non te Deus tristem esse vult, sed gaudentem. lude ergo, epulare, & gaude; alij, vxoratus tu es non religioni addictus, vt quid ergo tibi sacramentorum frequentia? iugis oratio? cilicium, aut verberatio? Isti ait, nupta es, orna ergo te, vt & viro & omnibus placeas, ornamenta quamplurima coëme. Innumera huiusmodi consilia sunt quibus Dei vineam, videlicet animam nostram, Dæmon se in vulpes paruulas transformans, vastat & demolitur, non enim manifesta illa peccata sunt, quæ per singularem ferum significantur, sed parua initio videntur mala, vel nulla forsan, quamuis in progressu & fine ingentia sint, & ad vineæ animæ deuastationem nimiùm sufficiant.

Dæmones tanquam feræ & vulpes, demoliuntur animæ vineã.

Id disertis verbis docet S. Bernardus in Cantica, verba illa Canticorum exponens: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Quot, inquit, & quales piorum botros operum, aut præfocauit ira, aut tulit iactantia, aut fœdauit inanis gloria? Quanta ab illecebra gulæ, quanta ab acediæ spiritu, quanta à pusillanimitate spiritus & tempestate sustinuimus?* Hæc ille. Quibus verbis ostendit paruularum vulpium multitudinem, quæ animæ vineam vastant & demoliuntur. Et hoc scitè admodum confirmat Origenes, nam exponens quæ sint illæ vulpes paruulæ demolientes vineas, quas sponsus sodalibus mandat vt capiant, hæc habet: Vulpes contrariæ potestates & nequitiæ Dæmonum intelligi debent, per cogitationes prauas & intelligentiam peruersam exter-

Serm. 3?. in Cant.

Hom. 4. in Cant.

minantes in anima florem, & fructum fidei perimentes. Prouisio igitur verbi Dei qui est Dominus virtutum, mandat Angelis suis, qui ad ministerium missi sunt propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt capiant ex vnaquaque anima huiusmodi cogitationes à Dæmonibus immissas, vt abiectis eis possint florem virtutis afferre. Capiunt autem cogitationes malas ex ea, cùm suggerunt menti non esse eas à Deo, sed esse à maligno spiritu, & dant animæ discretionem spirituum, vt intelligat quæ sit cogitatio secundùm Deum, & quæ sit ex Diabolo: vt autem scias esse cogitationes quas immittit Diabolus in cor hominum, vide in Euangelio quod scriptum est: *Cùm autem immisisset* (inquit) *Diabolus in cor Iudæ Iscariotæ, vt traderet eum:* Sunt ergò huiusmodi cogitationes quæ à Dæmonibus inijciuntur in cordibus hominum; sed quia non deest diuina prouidentia, ne fortè per huiusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & non esset iusta causa iudicij; idcircò benignis Angelis & amicis potestatibus hominum cura mandatur, vt cùm deceptores quasi vulpes incursare cœperint hominem, dextris eum auxilijs subleuent; Et ideò dicitur; *Capite nobis vulpes pusillas*; Competenter sanè, cùm adhuc pusillæ sunt, capi eas mandat & comprehendi, dùm enim cogitatio mala in initijs est, facilè potest abijci à corde, nam si frequenter iteretur & diù permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum; & post consensum intrà cor suum confirmatum, certum est quia ad peccati tendat effectum; dum ergò in initijs est & pusilla est, capi debet & abijci, ne si adulta fuerit & inueterata, iam non possit expelli. Denique & Iudas initium habuit in amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes pusilla. *Hactenus Origenes.*

Ioan. 13.

SECTIO II.

Anima nostra quasi vinea est custodienda, & quomodo.

VNVSQVISQVE nostrum igitur vineam suam custodire debet, ne fures, vel latrones, vel bestiæ hoc est Dæmones, & vulpes paruulæ hoc est prauæ cogitationes à Diabolo immissæ, in illam intrent, furentur, & vastent. Id autem fieri debet (inquit quidam grauissimus Pater) per quinque sensuum custodiam; debet enim 1. vnusquisque nostrum suos oculos custodire eosque auertere ne mala videant, quæ cor ipsum concupiscere potest, vt est apud Isaïam: *Qui*

Anima nostra est quasi vinea custodienda, per quinque sensuum custodiam.

Isai. 33. *claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit:* Et in
Ecclesiast. 9. Ecclesiastico; *Auerte faciem tuam à muliere compta, & non circunspicias speciem illius, propter speciem enim mulieris perierunt multi; Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Hâc custodiâ caruit
2. Reg. 11. Dauid qui Bersabeam vidit, eam concupiuit, & adulterij peccatum commisit, Vriamque virum eius interfecit. Similiter & iudices po-
Dan. 13. puli Iudaïci Suzannam contemplabantur, & species illius quanquam castissimæ, decepit eos.

Secundò; Aures quasi obturare debemus, ne audiant malum, de-
Eccles. 28. tractiones, &c. Iuxta illud Ecclesiastici: *Sepi aures tuas spinis, & audire noli linguam mendacem*; id est detrahentem: vnde S. Bernardus; *Qui detrahentem libenter audit, similis erit illi.* Et item in eodem Ecclesiastici libro: *Seras auribus tuis facito.* Hac custodia caruit Eua quæ audiuit vocem serpentis & consensit, de fructu enim vetito sumens comedit, deditque viro suo Adamo, qui similiter de eo comedens, inobedientiâ suâ sibi & nobis mortem conciliauit.

Tertiò; Os nostrum custodire debemus, ne loquatur malum, &
Prou. 13. quidpiam in nostram perniciem dicat. Vnde Sapiens; *Qui custodit os suum, custodit animam suam*; & quia mors & vita in manibus linguæ, id est in potestate linguæ. Hac custodiâ caruit adolescens filius Amalechitæ qui Dauidi se iactabat Saülem occidisse, vnde dixit ei
2. Reg. 1. Dauid: *Os tuum loquutum est contrà te*; Et vocans vnum de pueris suis ait; *Accedens irrue in eum, qui percussit illum, & mortuus est.*

Quartò; Pedes nostros custodire debemus ne ambulent quò non
Eccles. 4. debent, iuxtà illud etiam Ecclesiastici: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei:* quasi diceret, si vis ingredi domum Dei id est regnum cœlorum, pedes tuos debes ab incessu malo & viis iniquis cu-
Psal. 118. stodire, vnde Psalmista. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cu-*
Genes. 34. *stodiam mandata tua.* Hâc custodiâ caruit Dina, quæ de tentorio Patris sui incautè egressa est, & ideò oppressa fuit à Sichen filio Hemor, nam si domi mansisset id non sibi accidisset.

Quintò; Manus nostras ab illicitis tactibus custodire debemus.
Isaia 56. Iuxtà illud Isaïæ, *Beatus vir custodiens manus suas, ne faciant omne malum.* Hac custodia caruit Acham, qui furatus est de anathemate
Iosue 7. Hierico chlamydem pretiosam & regulam auream, & proptereà lapidatus fuit.

Sextò, Cor nostrum ab immundis cogitationibus & malis concu-
Prouerb. 4. piscentijs custodire debemus: *Omni custodiâ custodi cor tuum,* ait Sapiens, *quia ab ipso vita procedit.* Hâc custodiâ caruit ille iudex popu-
Dan. 13. li, cui dixit Daniel; *Concupiscentia tua subuertit cor tuum.* Vnde Da-
Psalm. 50. uid: *Cor mundum crea in me Deus,*

Hac igitur sensuum & cordis custodiâ, debet vnusquisque nostrum animæ suæ vineam custodire, ne fures ac paruulæ vulpes, hoc est Dæmones & alij inimici, illam ingrediantur, & omnes virtutum botros diripiant ac deuastent; & quando homo sic adhibet custodiam ad vineam suam, tunc Deus suam quoque ac Angelorum suorum custodiam adhibet; ille quippe pater est familias vt est apud S. Matthæum, qui postquam vineam hanc plantauit; *Sepem circumdedit ei*, nam, *vbi non est sepes diripietur possessio*, vt habetur in Ecclesiastico: per sepem ergò primò, significatur diuina protectio & custodia, de qua Psalmista Regius: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Secundò verò per sepem significatur Angelorum custodia, quam adhibet Deus vineæ animæ nostræ, quò meliùs illa protegatur: de qua sic idem Psalmista: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, &c.* Vnde S. Bernardus: *O quàm pius & bonus es Domine! qui non es contentus nostrorum fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodijs, Angelorum custodiam apponis.* Et S. Hieronymus: *Non potest esse tuta omnis caro, nisi sanctorum Angelorum custodiâ muniatur.* Ipsa ergò vinea anima, à Deo sanctificata & in Christo iustificata, sæpe vel muro protectionis diuinæ & Angelicæ cingi debet, atque intrà mandatorum Dei, pietatis, & sanæ doctrinæ fines ac terminos, coërceri & conseruari, ne feræ syluestres varijs vitijs eam depascant penitúsque corrumpant, vel etiam ne falsæ doctrinæ & impia consilia deuastent eam.

Matth. 21. Eccles. 39. Deus & Angeli animæ nostræ vineã custodiunt. Psalm. 90. S. Bernard. S. Hieron.

SECTIO III.

Quomodo Anima vinea sit colenda, & in ea superflua rescindenda, &c. vt flores & fructus producat.

QVEMADMODVM vinea Patrisfamilias locata fuit quibusdam agricolis, vt redderent fructus eius temporibus suis; ita verus Paterfamilias totius vniuersi Deus Opt. Max. vineam suam animæ nostræ, nobis ipsis locauit, vt vberes vuas hoc est vt fructus bonorum operum ac sanctarum virtutum, continuò redderemus. Id peragendum monet diuinus sponsus dum in libris Canticorum, vineæ suæ custodẽ sponsam sic alloquitur; *Iam hyems transiit, imber abijt & recessit, tẽpus putationis aduenit*, ac si dicat S. Bern. interprete; tẽpus

Matth. 20. Cantic. 2. Serm. 53. in Cant.

faciendi, ô sponsa, quia hyems transijt, quando operari non poteras, imber quoque qui inundatione factâ operiebat terram, culturas impediebat, & vel sata necabat, vel seri vetabat; is inquam imber excurrit, abijt & recessit, nunc vernalis adest temperies, nunc operandi commoditas, breuis tamen, & ideò non omittenda, nunc frugum ac fructuum viemitas. Deindè subdit, vbi & quid primùm operari oporteat: *Tempus* (inquit) *putationis aduenit.* Ad vineas ergo excolendas ducitur, quæ vt possent vberioribus fructibus respondere, colonis ante omnia necesse est, sarmenta sterilia proijci, succidi noxia; putari superflua. Quid autem hoc est, nisi vt Honorius Augustodunensis dixit, quotidie resecare superfluam foliorum hoc est cogitationum & verborum luxuriam, rerum & curarum ac negotiorum terrenorum superfluitatem, ne virtutum profectus impediant ac remorentur, & terram fodere, imò & crebra fossione, hoc est acri peccatorum contritione? Huc conuenit quod Sanctus Bernardus docet, vineam scilicet naturalem, tantùm semel quolibet anno putari, sed mysticam hoc est animam nostram, opus habere continuâ putatione, vt pręcidantur superfluitates vitiosæ, quæ vbertim & sine fine germinant. Hinc Philo Carpathius ait: Infructuosi pręcidendi sunt rami, pręsecanda omnia mala desideria, inordinati sensualitatis appetitus rescindendi, tollenda omnia peccatorum scelera, & animæ ab omni labe purgandæ, iis omnibus quæ filiæ Dei & sponsæ Christi esse volunt. Vitis quippè quę rectè putatur (ait Theophrastus de causis plant.) melius germen & fructum adfert, viueréque diutiùs potest, quia virtus radicis ad pauciores palmites transmittitur, & ita magis vnita maiorem habet vigorem. Vnde etiam Christus cœlestis agricola, spiritualis vineæ palmites non ferentes fructum purgat, vt fructum plus adferant, & tota eorum virtus in Deum tendat. Et in hoc pręclarè ostendit, quanta feratur cura & diligentia erga hanc animæ nostræ vineam, quam plantauit dextera eius, quam sanguine suo rigauit, quam Angelicæ custodiæ maceriâ, & virentibus gratiæ suæ sepibus circundedit; ipsemet visitat, & diligentissimè inspicit num fructuum spem faciat, an verò conuersa in prauum vinea aliena, igni æterno destinanda sit. Hęc omnia pręclarè explicat Cęsarius Arelatensis. Quomodo, inquit, superfluos palmites tollis de vite tua, sic malos affectus tolle de anima tua; pręcidis de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est: quomodo qui vitem suam vno anno putare noluerit, ipso anno abundantiùs exhibet, & posteà sine fructu sterilis remanebit: sic & qui malas cogitationes & mala desideria non tollit de anima sua, videtur adferre fructum de rapinis & fraudibus in animo vitæ suæ,

Anima vinea est excolenda rescindendo superflua noxia &c & quænam illa sunt.

Philo Carp.

Lib. 3. cap. 19.

Ioan. 15.

Hom. 15.

suæ, quo viuit in hoc mundo, sed postcà remanebit sterilis in æternum, & quia fructus legitimè non exhibuit, quasi sarmenta luxuriosa & infructuosa, æterna illum flamma sine misericordia cruciabit, sicut ipse Dominus dixit: *Paleas autem comburet igne inextinguibili.* Hæc ille. Non mirum itaque si sponsa sancta, ardenti desiderio exoptans vt ipsa vinea videlicet anima colatur, infructuosa sarmenta & palmites rescindantur, hoc est mali affectus & cogitationes ac consuetudines prauæ, vt tandem non solùm flores verumetiam vberes fructus producat, benignum suum alloquatur sponsum in canticis, illumque inuitet vt in hortum nucum cum ea descendat, & videat, si floruerit vinea. Postquam igitur in hæc verba prorupit: *Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium & inspicerem si floruisset vinea*, deinde sequenti capite ait: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Sed quid aliud his verbis intendit sponsa nisi sponsum rogare, vt diligenter examinet an vineæ labori coloni respondeant? Videmus sponsam magni facere non solùm fructus vineæ, sed etiam flores, nam fragrantissimum emittunt odorem, iuxta id quod in canticis habetur: *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Luinius seu Leuinius, de herbis & arboribus biblicis, docet hunc vineæ florescentis odorem venenatas abigere bestias, adeò vt serpentes, colubri, bufones hunc perferre nequeant, sed remotissimè ab eo se subducant: quocircà florescente vineâ non solùm salubris est & peramœna ambulatio, sed etiam secura & tuta. Idem planè notat S. Bernardus in præfatum locum: sic de animæ vinea est dicendum, dum enim flores virtutum & sanctarum actionum emittit, odor illius fragrantissimus est, & mirificè Deum & Angelos recreat, & serpentes, bufones, &c. hoc est Dæmones & peccata fugat & abigit. Posteà sponsa fructuum meminit, nam in his maximè notatur vineæ fertilitas. Huc respiciebat Iacobus Archiepiscopus Treuirensis Iacobo Typotio referente, dum vitem palo innixam & pampinis atque vuis refertam, depingebat, vt animæ vineam debere continuò esse fertilem repræsentaret, vnde inscriptio erat: *Semper fertilis.* Omnia ligna ad aliquid vtilia sunt quanquam etiam infructifera; at lignum vitis nisi fructus producat, ad nihil vtile est nisi vt in ignem mittatur: ita si animæ vinea sit sterilis, nec bonorum operum & virtutum fructus producat, nihil ei superest nisi vt in gehennam ignis mittatur, vt habetur apud S. Ioannem: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet.* Sed si ipsa animæ vinea fructus bonorum operum non produ-

Matth. 3.
Cant. 6.
Cant. 7.
Cant. 2.
Cant. 2.
Vineæ florētis odor est odoris virtutum, &c. animæ repræsentatio, &c.
Lib. 2 fol. 84.
Ioan. 15.

cens, in ignem mitti debeat; quibus pœnis afficietur si malos producat fructus, superbiæ, inuidiæ, inimicitiæ, iracundiæ, luxuriæ, homicidij, crapulæ, ebrietatis, furti, proditionis, inobedientiæ, detractionis, contemptus sanctæ Ecclesiæ, & sacramentorum eius, matris Dei, & Sanctorum, immò & ipsiusmet Dei? Vites ad nihil vtiles sunt nisi vt proferăt vuas, quòd si vuas non produxerint, & è contra tribulis, vrticis, & spinis repleantur, oportet eas succidere & in ignem conjicere, iuxta illud quod apud Lucam habetur: *Succide illam, vt quid enim terram occupat?* Ideò Christus Ecclesiæ suæ fideles, vites & vineas vocare voluit, vt cognoscant quòd si desideratos bonorum operum fructus non proferant, sed potiùs labruscas producant, in ignem infernalem & æternas flammas conjicientur, vt semper ardeant, iuxtà prȩfata S. Ioannis verba, de palmitibus infructuosis. Sententia lata est à Christo, reuocari non potest, & tu Christiane adhuc stas otiosus? non fodis, non plantas, statuminas, & pampinas animæ tuæ vineam, vt fructus producat? vna tu diabolicâ fide contentus de operibus bonis non es sollicitus? Ad eos qui in vinea minimè laborabant, aiebat Christus apud S. Matthȩum: *Quid hic statis tota die otiosi?* Nonne meritò idem tibi dicere potest? Valdè pertimescendum ne te Dominus tanquam vineam inutilem euellat, sepem tuam auferat, & bestiis det conculcandum aut igne comburendum: non vult folia Deus, sed fructus à nobis requirit legistine indignationem Dei in Prophetis Osȩa & Isaia, aduersùs vitem frondosam, quæ nunquam nisi inutiles & malos fructus fecerat? *Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in conculcationem; non putabitur, non fodietur, ascendent super eam vepres & spinæ: nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* O nos miseros si ita Dei ira aduersum nos accendatur.

Luc. 13.
Vitis nisi vuas producat inutilis est; ita anima nostra, &c.
Matth. 20.
Oseæ 10.
Isaiæ 5.

SECTIO IV.

Quinam sint potissimi fructus, quos anima vinea producere debet.

ILLI fructus quos hȩc vinea debet referre, hi sunt de quibus loquitur Apostolus, & quos vocat spiritus sancti fructus: *Fructus,* inquit, *spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bo-*

Ad Gal. 6.

nitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: & in summa cuncta bona alia opera, vt orationes, ieiunia, eleemosynæ & omnia merita, quæ ab eodem Apostolo fructus lucis vocantur, quia à fide nostra quæ lumen est supernaturale, quo illustratur noster intellectus, proficiscuntur: *Fructus lucis*, inquit, *in omni bonitate & iustitia & veritate, probantes quid sit benè placitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Hos igitur fructus vult animæ nostræ vineam producere & dare copiosos, nisi enim hos dederimus, otiosa nobis lux est, non enim in somnum, sed in laborem concedit Dominus seruo suo lucem, quòd si dormiat, lucem meritò ab eo aufert. Hinc Angelo id est Episcopo Ephesi dicitur in Apocalypsi: *Age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem, veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Requirit quidem Deus hos fructus pro sua videlicet gloria, sed omnes in nostram conuertit vtilitatem; Ex bonis operibus nascitur meritum, ex merito merces, ex labore requies, ex cursu brauium, ex certamine victoria, ex victoria corona, ex virtute premium, ex operibus bonis beatitudo. Hi sunt ergo fructus huius vineæ nostræ à Deo plantatæ, excultæ, irrigatæ, impinguatæ, quos ipse exigit, iuxta id quod S. Paulus ad Corinthios ait: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Illos fructus reddunt & proferunt pij & iusti, quia nihil in eorum vinea incultum remanet, nihil desertum, nihil infructiferum: Vnde perbellè S. Bernardus: *Stultus*, inquit, *non ita, cuncta apud eum neglecta inuenies, cuncta iacentia, cuncta inculta & sordida, non est vinea stulto; quo modo vinea vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vspiam paret? tota spinis syluescit & tribulis stulti vita, & vinea est? & si fuit iam est redacta in solitudinem, vbi vitis virtutis? vbi botrus boni operis? vbi vinum lætitiæ spiritualis? Prouerb. 24. per agrum hominis pigri transiui* (inquit) *& per vineam viri stulti, & ecce totam repleuerant vrticæ & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Hæc S. Bernard. Atque hic est status vecordis animæ, in frigidissima quasi Hyeme constitutæ, quæ vineæ culturam prorsùs deserit ac negligit; & in hoc imitatur primum parentem suum, qui nec ipse vitem suam custodiuit, sed permisit subrepere sibi vulpeculam dolosam, quæ vineam suam deflorauit; Primus enim ille homo, *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Talis igitur est negligentis animæ vinea, quæ in dies proficit in peius, & de vno in aliud vitium sese imprudens præcipitat; *Vua eius vua fellis, & botri amarißimi, fel draconum*

Fructus boni ab animæ vinea producti quinam sint, & quinam mali.

Ephes. 5.

Apoc. 2.

1. Cor. 9.

Serm. 63. in Cant.

Prou. 24.

Animæ negligentis status quis.

Psalm. 48.

vinum eius; Vt habetur in libro Deuteronomi, De huiusmodi vinea
Deut. 32. conqueritur meritò ipse Deus apud Isaiam: *Expectaui vt faceret*
Isai. 5. *vuas, & fecit labruscas.* S. Basilius hunc locum explicans ait:
Anima quæ indulgenter ac remissè viuere sinitur, perinde atque vinea quædam neglecta eluxuriat, & syluescit sarmentis, seque effundens circà incommoda, nec vllam adferentia frugem, natiuo succo exhauritur. O proh dolor! multi sunt qui post annos aliquot ne vnum quidem botrum protulerunt, qui mensæ Dei aptus sit, sed innumera peccata, furta, adulteria, & similia. Et in hoc similes sunt Iudęis, qui quondam fuerunt vinea à Deo plantata per manus Angelorum, seu per ministerium Mosis, lex enim per Moysem data est: Ad illam summus paterfamilias seruos suos prophetas variis temporibus, ac tandem filium suum vnigenitum misit, vt fidei, bonorum operum, agnitionis filiorum Dei, gratiarum actionis, fidelitatis & amoris fructus, ex illa requireret; at ingrati nequidem vuam vnam protulerunt, sed benè quamplurium vitiorum
Deut. 32. fructus: & ideò de illis conquerebatur ipse Moyses: *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?* Quasi diceret, hæcne propinas Deo tuo? verè vinea aliena es, vinea praua, quomodo conuersa es in amaritudinem? Et, quod est mirum, proposita similitudine à Christo Domino, illi in seipsos sententiam protulerunt, dicentes; *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis:* Et
Matth. 21. confirmat Christus hanc eorum sententiam dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius.* Ex lege Imperiali ff. de vsufructuariis habemus quòd si vsufructuarius non bene vtatur re fructuaria, proprietario competit actio contrà eum: cùm ergo Iudęi qui erant vsufructuarij solùm vineæ à Patre-familias plantatæ & eis locatæ, illâ non benè vsi fuerint vt ex euangelio constat, non mirum si verus Dominus & proprietarius eiusdem vineæ, eandem ab illis abstulerit, & aliis agricolis id est Christianis veris & synceris locauerit, dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti, &c.* Cùm autem aspera nimium sententia illa esset, voluit ab ipsis in seipsos proferri: illa autem sententia in ingratos Iudæos lata, qui vineæ fructus Patrifamilias haud reddiderunt, in omnes similis farinæ Christianos locum habet, suumque sortitur effectum, cùm enim ipsi longè maiora quàm Iudæi acceperint de liberali manu Dei beneficia, ingrati magis existunt, & proindè bonis operibus & honoribus despoliari merentur, iuxta
1. Reg. 2. illud libri Regum: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles,* & id iam pro comperto habemus, quia enim prouinciæ multæ, gratiam in

Regno Dei priuătur mali agricolæ, & qui in animæ suæ vinea nō laborant.

eis per fidei radios excitatam, procul fugatis idololatriæ tenebris, non conseruarunt, sed errorum hæreseumque nebulæ, eos, proh dolor! circundederunt; hinc factum est, vt Sol qui dissipare eos poterat, videatur in alium orbem migrasse, vt luceat Orientalibus atque Occidentalibus Indijs, & in densa caligine nos reliquisse; ideò ait Sanctus Ioannes in Apocalypsi: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam:* videat ergo vnusquisque, quomodo & quousque in vineæ Domini cultura processerit, nec desistat, sed continuò sibi operandum esse intelligat. Qui vult ex mercatura ditescere, nullum nauigandi laborem detrectat, qui à graui morbo liberari desiderat, medicamenta non respuit, qui fundum emere cupit, statim de pretio incipit cogitare; sic qui ad vineam Domini se vocatũ & conductum ac missum esse intelligit, ad labores assiduos se vocari sciat. In omni agriculturæ genere, nihil tam varium & tam assiduum coloni laborem atque industriam desiderat, atque vnius vineæ cura; in bruma, in vere, in æstate, in autumno, semper aliquid est quod agat agricola; vix bene finita vindemia resecandi palmites qui tota æstate luxuriarunt, terra de nouo purganda & impinguanda, plantæ nouæ inserendæ, fossæ ducendæ, his in partibus in quibus id fieri solet, sepes renouanda, sustentacula paranda noua, vbi in vere pullulare cœperit, pampini sollicitè inspiciendi vt purgentur, vt putentur cùm opus fuerit, folia superflua resecanda, vbi vuæ maturuerint; sed super hæc omnia quantus in tota vindemia labor? Sic in animæ cultura & custodia, continuo labore & vigilijs opus est, vt fructum dignum proferat, & fructus ille maneat; & propterea vnusquisque salutis animæ suæ sollicitus, meritò potest illud Cantici vsurpare: *Vinea mea coràm me est:* siue vt Septuaginta Interpretes legunt: *Vinea mihi mea in conspectu meo:* quasi dicat, illam continuò pręoculis habeo vt colam & custodiam, illam vigilanter reseco, fodio, purgo, sepio, & alia quæ ei prosunt perficio: ideò Christus vt ostendat nos operarios esse debere perpetuos, dicit se nos in vineam suam mittere: *Misit illos in vineam suam;* & posteà dum reperit aliquos stantes in foro otiosos, dixit eis: *Ite & vos in vineam meam,*

Apocal. 3.

Cant. 1.

Matth. 21.

SECTIO V.

De mercede in vinea animæ laborantibus reddita.

SED qui sic in hac vinea Domini, omni diligentia laborarunt, nónne mercedem aliquam merentur recipere? nulli dubium est, cùm apud Sanctum Matthęum legamus, patrem-familias summo mane operarios in vineam suam conduxisse, atque etiam statutis quibusdam diei horis, alios misisse, vt ibidem videre est, conuentione tamen priùs cum illis facta de diurno denario recipiendo: vnde ait Sacer Textus: *Cùm sero autem factum esset dicit Dominus vineæ procuratori suo; voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.* Serò vocat mercedis reddendæ tempus, quod quidem singulis erit in morte, omnibus in iudicio. His enim duobus temporibus merces omnibus reddenda est. Itaque cùm omnia suis temporibus distincta sint, vt in Ecclesiast. libro habetur: *Est enim tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est, &c.* sic est etiam tempus operandi, & tempus percipiendi operis mercedem, tempus fodiendi vineam, & tempus percipiendi fructus eius. Et quidem si de singulis hominibus agatur, vita nostra tempus est operandi; mors verò, mercedis percipiendæ. Quod si ita est, qualis quęso, illorum insania est, qui vitam omnem in otio & luxu transigentes, in morte vineam suam colere incipiunt, dum ad mortis tempus, pœnitentiæ & emendationis vitæ propositum differunt? quæ inquam, insania est hoc primùm tempore, ligonem parare & adire vineam, vt terram fodias, quando viuere vix possis? Quæ autem hos pœna maneat, satis expressit apertè Salomon, cùm ait: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate & non dabitur ei*; sic mendicauerunt fatuæ illæ virgines, quæ toto vitæ tempore dormientes, æstatis, hoc est mortis horâ, ad clausas cœlestis Regni fores mendicare cœperunt, dicentes: *Domine Domine, aperi nobis*, quibus responsum est: *Amen dico vobis, nescio vos*, quod perinde est ac si diceret, scio electos meos, domesticos meos, qui in vinea mea laboris pondus sustinuerunt; hos agnosco, his mercedem debitam reddo, hos intrà vitæ ianuam recipio, vos verò non agnosco qui me non agnouistis, qui nunquam in vinea mea laborastis, & modò ad me venitis non charitate ducti, sed necessitate compulsi, non meam

Matth. 20.

Merces in vinea animæ laborantibus redditur in fine laboris, & quomodo.

Ecclesiast. 3.

Quantum sit malum vitam in otio transigere, & quænam pœna inde sequatur, latè satis ostenditur.

Prouerb. 20.

Matth. 25.

quidem gloriam sed vestram solùm commoditatem captantes. His ergo Dominus respondebit: *Nescio vos*, vnde sitis, *Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Serò igitur, procuratori mandatur: *Voca operarios*, non stertentes, aut otiantes, aut ludentes, aut genio indulgentes, & vitam omnem in negligentia quadam & voluptatibus transigētes, sed qui strenuè in vinea laborauerunt. Et quamuis in improbos etiam nomen operarij quadret, ij tamen operarij iniquitatis & subdoli, non pietatis aut iustitiæ existunt, quorum labores sunt inutiles, & sine fructu, quibus scilicet non aliam sibi mercedem quàm damnationum acquirunt. Cùm ergo operarij iustitiæ conuenerint vt mercedem recipiant, quâ fronte isti iniquitatis operarij mercedem cum illis pariter exigent? profectò exsibilabuntur, & vnicuique eorum dicetur; quomodo vis metere vbi non seminasti? quid cum laborantibus coniungeris, qui vitam in lusu & otio transegisti? qui mihi nunquam vixisti aut laborasti, quid à me petis? laborasti in via perditionis, in operibus luti & lateris, inseruisti Pharaoni, mundo, ac Diabolo: hi Dij tui, ad eos confuge vt tibi mercedem pręstent, vt habetur apud Ieremiam: *In tempore tribulationis suæ dicent, surge libera nos, vbi sunt Dij tui quos fecisti tibi? surgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Itaque per hæc verba: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, non intelliguntur vocari operarij iniquitatis, sed iustitiæ & pietatis; ad extremi siquidem iudicij vesperam, non nisi de his iustitiæ operibus agetur; tunc quippè magis profuerit iniurias propter Deum remisisse, & eum inimico in gratiam redijsse, quàm tot exuuias quot Iulius Cęsar victorias reportasse. Tunc vnica in egenos ęrogata eleemosyna maioris ponderis efficacięque futura est, quàm Cręsi opes amplissimæ. Tunc implebitur illud Annæ carmen: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*; multi enim qui modo hic steriles & infœcundi videntur, & tales ab impijs existimantur, tunc subitò suam ostendent fœcunditatem, & ad dignitates sublimabuntur; plurimi verò qui summis his honoribus cumulantur, quique maximi à cunctis fiunt, in illa die tanquam fures, sacrilegi, humani generis pestes, & diuinæ maiestatis lęsæ rei, contemnentur, omnium peripsema facti, ęternumque opprobrium & maledictionem sempiternam, pro honoribus & gloria nancíscentur, & iustissimas apud inferos sceleribus suis pœnas exoluent. Omnia denique illic conuertentur & aliam faciem induent, sola enim bona opera, & labores in vinea Domini insumpti, nec-non concredita talenta fideliter expensa, magni fient & mercedem accipient; & de solis ijs qui eadem opera bona dùm viuerent, fecerunt; cùm serò factum ęrit, dicetur: *Voca operarios, &*

Ierem. 2.

1. Reg. 2.

Quænam sit operariorum in animæ vinea merces. *redde illis mercedem; quæ est videre Deum,* ait Sanctus Bernardus, *viuere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus.* Hinc olim Abrahamo dixit: *Ero merces tua magnanimis.* Romani Cap. 4. Medit. Censores si fortè offendissent in vrbe quempiam otiosum, interrogabant eum qua arte vteretur, intuebanturque eius manus an callo obduruissent, & inde dijudicabant essetne artifex an potiùs vagus & inutilis reipublicæ, & si talis apparebat, relegabatur. In iudicio vocandi sunt operarij, vt verò agnoscatur qui operarij fuerunt, qui verò vagi & otiantes, omnium manus inspiciendæ sunt, vbi signum est Iob 37. laboris vel otij. Sic Iob ait: *Qui signat in manu hominum, vt nouerint singuli opera sua.* Ibi apparebunt peccatores qui nunc vt habet Psal- Psalm. 72. mista Regius: *In labore hominum non sunt*: & in manibus conspicientur opera eorum, & forsan callo obductæ apparebunt, sed non ex iusto labore in vinea Domini, sed ex pilæ ludo & similibus: in iustorum verò manibus apparebit labor in his quæ Dei sunt, positus in cilicio, castigatione, eleemosynâ, & hi verè operarij dicentur. Ecce quo pacto signet in manu hominum Deus, quia ex operibus manuum quisque dignoscitur. Et profectò hi malè operantes, & qui verè sunt operarij iniquitatis, nec in vinea Domini, quamuis conducti aut missi, laborant, sed potius otio torpent, videntur ignorare ad quid vocati sunt, quod similitudine constabit. Si pater-familias operarios conduceret, cibaria daret, in vineam mitteret, illi verò operis obliti totâ die in vinea luderent, certatim currerent, saltarent, & quisque potior in illis ludis haberi vellet, an non diceremus hos ignorare ad quid vocati sunt? an hos dignos mercede putabis? minimè gentium: ita si Christiani sint à Deo vero patrefamilias (vt constat) in vineam suam inducti aut missi ad operandum, cum gratia & diuino fauore, & cibarijs: ipsi autem ludo potiùs dent operam, voluptatibus indulgeant, certent ad inuicem quis alium vincat in diuitijs vel dignitate, sicque sui operis obliti fuerint, nonne bene dicere possumus illos suam non aduertere, aut ignorare vocationem? quo igitur præmio digni erunt? Dicas ergo mihi ô Christiane, ad quid in vineam venisti? an non ad laborandum in ea? sed quid est in vinea laborare? Deum agnoscere, eum diligere, ei obsequi, in virtute proficere, & sic de similibus. Hi mali Christiani similes sunt pueris, qui missi à parente vt aliquid negotij peragant, in via nugantur, domunculas construunt luteas, vel atomos sequuntur, aut etiam cum sibi similibus ludunt, sicque negotium illis iniunctum peragere non satagunt: Christiane puer sensibus, quo te Deus tuus misit? quid tibi mandauit negotij? nónne vt in vinea sua labores? Isai. 59. at contraria peragere curas, & assimilaris ijs de quibus habet Isaïas:

In vinea animæ laborare quid sit.

Telas

Telas araneæ texuerunt, nam quæ texis, quæ conficis, araneæ sunt telæ quas aufert ventus, quando enim tecum anxiaris, quomodo diues ero? quomodo prępotens? quomodo ad talem dignitatem perueniam? an non araneæ telas quas ventus tollet texis? De te tibique similibus habet Psaltes: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* *Psal. 75.*

SECTIO VI.

Denarius diurnus pro mercede, in vinea animæ laborantibus redditur, & quisnam ille sit.

HIc agitur de mercede operantibus in vinea, in fine laboris reddita, & ex Euangelio nouimus denarium diurnum reddi, iuxtà conuentionem inter patrem-familias & laborantes factam. Per denarium diurnum omnes Patres intelligunt beatitudinem & gloriam ęternam, quæ ex parte obiecti vna est omnium Beatorum & ipsius etiam Dei, nam omnes eundem Deum possident qui omnes beat, & se seclarè videndũ tanquam essentiale bonorum operum pręmium, cunctis exhibet, & in hoc omnes beati sunt æquales, etiãsi vnus alteri pręferatur in gaudio, pro meriti & luminis gloriæ varietate; atque adeò qui meritis excellit, perfectiùs videt, possidet, diligit, atque gustat, vt clarissimè docet Sanctus Augustinus de Verbis Domini in Euangelio secundùm Ioannem: *Denarius ille*, inquit, *vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt, quamuis enim meritorum diuersitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus.* Et hoc à S. Paulo confirmatur: *Stella*, inquit, *differt à stella in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum.* Et iterum: *Reddet vnicuique secundum opera sua.* Hinc meritorum ponderator, ac pręmiorum distributor, ait apud Sanctum Ioannem: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et hoc significatum est in conuiuio illo Ioseph fratribus exhibito, de quo in Genesi scriptum est: *Sedit vnusquisque secundùm primogenita sua.* Vide Cap. vltimum vbi hęc fusius discutiuntur.

Serm. 5. Beatitudinis inequalitas. *1. Cor. 15.* *Ioan. 14.* *Genes. 43.*

Quid etiam denarius sit, nobis aperit S. Hieronymus in Matthęum: *Denarius*, inquit, *à decem sic dictus, numisma erat imaginem Regis habens, qui olim pro decem nummis computabatur*, hoc est decem libris Gallicis, vt quidam aduertunt; vel pro decem assibus tan-

In Cap. 20. Matth. Denarius diurnus quisnam sit, & cur ita dictus.

tùm, aut etiam pro regali Hispanico, aut iulio Romano; siue quoque pro decem grossis, aut decem cruciferis Germanicis; vel vt alij volunt pro duobus solidis etiam Gallicis cum dimidio, computari solebat, hoc est decem teruntijs (vulgò *des liards*) quibus fit numerus supradictus duorum solidorum siue assium Gallicorum cum dimidio. Eleganter autem vita æterna denarius dicitur, siquidem rotundus est & proinde eius denotat ęternitatem, & illam nullum vnquam finem ac terminum habituram. Prętereà denarius numerus est perfectus, qui omnes numeros in se claudit, & vltra denarium nulla natio numerare nouit nisi denuò ipsum repetat; si enim dixeris vndecim, perinde est ac si dicas vnus & decem; si dixeris duodecim, idem erit ac dicere duo & decem, tredecim tres & decem, & sic ex consequenti: sic vita ęterna perfecta est gloria labori nostro reddita, quæ omnes fœlicitates in se complectitur; nec est cor, quod vltrà fœlicitatem illam quicquam desiderare possit. Quicquid lingua proferre, quicquid animus cogitare, imaginatio fingere, humana voluntas desiderare potest, hac vna mercede continetur, excedit merita, superat vota, vincit desideria, vbi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles; quisquis enim infinitum illud & summum bonorum fuerit adeptus, hęc omnia in eo vno simul coniuncta atque adeo infinitis partibus amplificata deprehendet. Hinc ipse Dominus Moysi faciem suam auidissimè cernere cupienti, idque simpliciter & anxiè

Exod. 33. obsecranti, respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum*. Quomodo omne bonum? quia nimirum in ipso est omnis potestas, omnis vtilitas, omnis suauitas, omnis dignitas, omnis gloria, omnis fœlicitas, omnis honor, omnes deliciæ, ac denique omne bonum. Ac sicut apud Arithmeticos denarius limes est numerorum omnium, sic denarius quoque diurnus, id est beatitudo quæ etiam pro impletione decem mandatorum datur, finis est & scopus omnium rationalium creaturarũ. Signanter autẽ merces illa laborãtibus reddita nuncupatur denarius diurnus, quia in ea fœlicitate quam designat, plenissima & clarissima dies est, nihil admixtum habens noctis seu tenebrarum peccati, ignorantiæ & mali: diurnus est, quia filijs lucis non non autem tenebrarum distribuitur: diurnus est, quia nos operari bo-

Ioan. 9. num oportet donec dies est: ergo vt scribit Apostolus: *Dum tempus habemus operemur bonum*; operarij namque sumus in vinea Domini.

Ad Galat. 6. Nota hæc verba: *Dum tempus habemus*, non dicit, oportet vt decem mille annis, aut quadringentis, &c. operemur, sed dum suppetit nobis vitæ nostræ tempus, quod sępè-sæpius exiguum est, & tamen ô singularis misericordia! pro exiguo illo tempore in quo operibus bonis in vinea Domini nos accingimus, nobis denarius beatitudi-

nis redditur, àcsi per longissimos annos operati essemus. Et proindè vinitorum mores toto vitæ nostræ tempore imitari debemus; nam primò vt illi in ipsa non dormiunt vinea, sed vesperi post laborem domum redeunt: ita in hac vita requiem perfectam desiderare haud debemus, sed ad domum Patris cœlestis & æternam vitam, illam remittere: Secundò, sicut illi in vinea externo non ornantur splendore ac luxu; ità nec tempus hîc est quærendi ornatum superfluum, cùm coloni hîc simus & operarij: Tertiò sicut in vineam nihil adferunt aut habent, nisi quod labori ipsorum seruiat, vt ligones ad arandum, furcas ad stercorandum, vimina ad viendum, falces ad putandum, &c. imò nec somnum nec cibum capiunt, nisi vt melius laborent; ita nihil in mundo à nobis possideri vult Deus, nisi ad vtilitatem animæ vineæ nostræ, ille enim nobis diuitias, honores, authoritatem, eruditionem, sanitatem, aliaque dona spiritualia ac corporalia, interna & externa largitur, vt ijs in gloriam ipsius, animæque salutem ac proximi vtilitatem vtamur: imò nihil nisi ad hunc finem à nobis fieri vult, siue edamus, siue bibamus, siue vigilemus, siue dormiamus, siue quid aliud operis pertractemus. Et post hæc omnia si fructum vineæ degustare velimus, adnitendum est, vt ad maturitatem (quæ est vuarum dulcedo) perueniat, vt similes simus illi pincernæ Pharaonis, quem sacra commemorat historia *Genes. 40.* somnum habuisse, vidisséque coram se vitem, in qua erant tres propagines crescentes paulatim in gemmas, & post flores, vuas maturescere, calicémque Pharaonis in manu tenere, in quem expressas vuas infundens, poculum Pharaoni gratum propinauerit. Quod quidem nos præstabimus si vineam nostram custodiamus, si tres quoque Dei propagines exprimamus, hoc est contritionem cordis, vocalem confessionem, atque operis satisfactionem, quas cum perseuerantia simul iungentes, dulcissimum Deo & Angelis bibendum vinum offeramus, quia, *Gaudium erit in cœlo super vno pec-* *Luc. 15.* *catore pœnitentiam agente*; quo quidem vino Deo oblato ipse nos in regno suo torrente voluptatis suæ potabit. Si ergo fidelibus operarijs tanta merces proposita est, quis tantus labor in colenda Domini vinea esse poterit, quem non spes tantæ mercedis leuissimum reddat? Quomodo ad finem vsque vitæ nostræ, in tali labore & vineæ animæ nostræ cultura non perseuerabimus? perbellè etenim aduertit quidam insignis author, quòd licet multis annis virtutum studijs indefatigabiliter insudauerimus, quamuis in pueritia, adolescentia, iuuentute, vineam nostram non cum modico labore excoluerimus: tametsi pondus diei & æstus in Religionis campo, admirabili patientia pertulerimus, attamen nisi pertinaci perseue-

randi voluntate: indéque consecuta studiosæ operationis coronide, tanquam gemmato diademate cinxerimus, preteritorum nulla ratione habita, denarij diurni, gratissima laborantibus mercede, nunquam donabimur. Hæc autem merces nec tempore finitur, nec fastidio minuitur, nec multorum participatione decrescit, nec vetustate absumitur, nec alicuius inuidiâ intercipitur. Hanc mercedem nec morbus infestat, nec mors adimit, nec latro surripit, nec casus eripit, neque vlla vnquam vis vel hominum vel Dæmonum auferre potest; quam nobis Pater ille familias Christus Dominus, clementer impertire dignetur. De illa porrò fusiùs in fine huius Tractatus dicemus.

CAPVT IX.

Agri nomine nostra donatur anima, & proinde quasi ager excolenda.

Anima nostra est ager à nobis colendus.

QVEMADMODVM anima nostra tanquam vinea Domini à quo plantata seu condita fuit, est à nobis excolenda vt fructus vberrimos producat, sicut iam supra-diximus; ita eadem anima nostra ager dici potest quem excolere quoque & arare debemus, quatenus suscepto semine à summo Christo Domino, referat pariter multiplices fructus quos ipse exigit; de quibus Sectionibus sequentibus, dicendum venit.

SECTIO I.

Cùm proximè dixerimus animam nostram esse vineam, quorsùm etiam ager dicitur.

RATIO difficultatis est, quia non solent in eadem terra aut eadem terræ parte vites plantari, & sementem fieri, vt idem ager sit seminatus & vinea. Ad huius difficultatis resolutionem, illud est vsurpandum quod docent Philosophi: Quæ in inferioribus sparsa sunt, colliguntur in superioribus, sic illæ animæ quæ in viuentibus sunt distinctæ vtpote vegetatiua & sensitiua, in homine iunctæ sunt

numerò minimè separatæ, illas siquidem eminenter continet anima intellectiua. Communis sensus vt vocant, qui in quadam capitis cellula hospitatur, omnia vnitè percipit quæ partiales sensus non nisi disiunctim attingunt. Ita etiam quæ tam multis eget homo vt comprehendat, vnico intuitu Angelus intuetur. Sic quæ in corporibus diuersa sunt, in spirituali anima, vt diuinitatis imagine, collecta, vnum quid efficiunt. Idipsum obseruauit & valdè subtiliter in quodam rerum genere S. Augustinus in hęc verba Psalmistæ: *Panis cor hominis confirmet.* Et tract. in Ioannē, docet *famem* & *sitim* quæ adeò in corporibus distinguntur, sicut causa effectu & natura differunt, in anima non discriminari; idem enim animæ anhelantis & arescentis desiderium tam *fames* quàm *sitis* est: ideoque eodem pabulo, absque humidi sicciue discrimine extinguitur & sedatur: ex quo conficit idem esse in arcano sermone panem & vinum. *Sic accipe de pane* (inquit idem S. Pater) *quomodo accipis de vino: intus esuri: intus siti: Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam quia ipsi saturabuntur. Panis ille iustitia est: vinum illud iustitia est, veritas est, veritas Christus est: Ego sum,* inquit, *panis viuus qui de cœlo descendi: Et ego sum vitis vos sarmenta.*

S. Aug. in Psal. 03. & tract. 25 in Ioannem.

Fames & sitis in anima idem sunt.

Matth. 5.

Iustitia panis & vinum.

Ioan. 10.

Ioan. 6.

Pari modo (ait quidam insignis doctor) in tellure, pars illa quæ vitibus est consita, vinetum dicitur aut vinea: quæ plantis semper virentibus nitet, Viridarium: quæ Oliuis, Oliuetum: quæ fœlicium arborum copia luxuriat, Pomarium: quæ herbis, flosculis, olere, gramine abundat, hortus irriguus: quæ fruticum pullulantium multitudine pręstat, frutetum: quæ cannis, arundinetum: quæ vepribus dumetum: quæ erica, ericetum: quæ densis intactisque arboribus, lucus: quæ securi destinatis lignis, sylua cędua: quæ semen suscipit, campus frumentarius: In qua caricum est prouentus, dicitur carectum: in qua salices crescunt, salictum: in qua genus omne nouellæ plantulæ, seminarium vocatur, vel plantarium; & ita de reliquis est iudicandum. Sed hęc tanta diuersitas in hominis anima terram non multiplicat, nam eadem particula, viribus, frumento, oliuis, glandibus, gramine, malis, nucibus floribus serendis, plantādis, progignendis est idonea: Quare (vt soluatur difficultas) eadem anima est vinea, ager, oliuetum pratum, hortus sylua, nemus, vno verbo omnia; falsum igitur est de ipsius animæ terra quod de materiali & communi tellure dicitur: *Non omnis fert omnia tellus*: nam omnia fert ipsa anima sano sensu si benè excolatur hoc est omne bonum opus omneque virtutum genus producere potest, & maximè suscepto à summo satore Christo semine. Et hoc nobis innuere volebat Ioannes Franciscus Gonbara Diaconus Cardinalis, Sancti Adriani, E-

Eadem anima est vinea, ager, oliuetū, hortus, &c. & quomodo.

Typot. lib. 2. fol. 60.

piscopus Prænestinus, prout refert Typotius, dum aratri ferrum siue dentem, vncum aut vomerem, in mysta repræsentabat cum hac inscriptione: *Longo splendescit in vsu*; Non enim tam agriculturam quàm animi cultum, siue in bonis litteris, siue etiam in præclaris moribus & virtutum exercitiis, commendare volebat, vt videlicet ipse animus ad bonum verbi Dei & sanctarum virtutum semen suscipiendum, & vberes fructus ferendos aptior existeret. Et profectò si Agricola solet tanta diligentia excolere & arare terram, atque malas & inutiles herbas euellere & extirpare, vt illam ad suscipiendum bonum semen aptam reddat, & triticum aut alios fructus ad corporis victum producat sicque aratoris votis respondeat; longè maiori cura debet vnusquisque nostrum animæ suæ agrum excolere, & malas vitiorum herbas eradicare, vt suscipiendi seminis à supremo satore capax sit, & triticum bonorum operum ac virtutum producere valeat, non quidem ad corporis victum sed potius mentis, & ad vitam sempiternam: Et ideò (inquit insignis quidem Doctor) non solùm malæ euellantur vitiorum herbæ, verumetiam ejiciantur peccatorum grauium lapides, qui terram hâc seminationi ineptam faciunt. Euellatur consuetudinum prauarum lolium, quod fœcunditatem impedit. Exscindantur, si quæ excreuerunt impuritatum sentes, quibus virtutum semen suffocatur. Hæc enim facere consueuerunt, qui prædiorum suorum mediocrem habere curam censentur. Et est quod in sequentibus fusius ostensuri sumus.

Animæ nostræ agrum excolere debemus, & quomodo.

SECTIO II.

Quis agri animæ sator, & quodnam semen in ipso agro seminauit, & continuò seminat.

Agri animæ sator & semẽ. Luc. 8.

S. Hieron. in 18. Matthæi.

Apud S. Lucam de illo satore seu seminatore, loquitur Christus, ibi enim proponit parabolam siue comparationem & similitudinem, vt solebat Syriorum more, sicut ait S. Hieronymus in Matthæum, quia parabolæ illæ sunt ad res spirituales explicandas maximè accommodatæ: *Exiit*, inquit, *qui seminat seminare semen suum.* Vbi omnes expositores docent illum de seipso loqui, nam à Deo Patre per incarnationem exiit, & ad nos venit; Vnde Venerabilis Beda: *Exiit*, inquit, *seminans ad seminandum, quia Dominus è sinu Patris egrediens, venit in mundum, & verbum veritatis seminauit, &c.* Hinc aiebat: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Et B. Chry-

Beda in 8. Luca.

Ioan. 16.

sostomus: *Vnde*, inquit, *exit Deus qui vbique præsens est? certè non loco, sed habitudine ac incarnationis dispensatione; propinquior nobis factus est: ad quid igitur exiuit? an vt terram vepribus plenam perderet, & ignauos agricolas puniret? minimè; verùm vt optimo cultu terram arando fertilem faceret, &c.* Rectè igitur seminantis seu satoris nomine donatur, quia penes eum sunt semina omnium, id est primordiales rationes omnium creaturarum spiritualium, & corporalium: & sic primum semen fuit natura Angelica, siquidem ante omnem creaturam conditi sunt Angeli, vt docent Magister sententiarum, [a] & Hugo de sacramentis. [b] Et probant per hoc quod in Ecclesiastico dicitur, *Omnium primò creata est sapientia*, quod (aiunt) intelligitur de Angelica natura, quæ in scriptura sæpe lux & sapientia Dei dicitur. Aliqui volunt supremum illum satorem, optimum semen in agro animæ nostræ seminare, videlicet ipsam scientiam cuius est fœcunda, ipsamque ab ineunte ætate nostra per pædagogos & præceptores seminare; dum enim nascimur, est anima nostra quasi tabula rasa in qua nihil est depictum & seminatum, & ideò necesse est vt lapsu temporis, & dum vti ratione incipimus, bonis artibus & scientiis excolatur, vepribus & spinis ignorantiæ expurgatis, atque in nostrum intellectum tanquam semina iaciantur, & vberrimos fructus referant. At semen de quo hic agitur, quodque à suprèmo illo satore in mentis nostræ agro seminatur, est altiùs considerandum, nam supradictum scientiæ semen, limites non excedit naturæ, & cunctis hominibus bonis & malis, gentilibus & Christianis commune est. Sed quodnam igitur est illud semen de quo hic loquimur? Christus Dominus in supradicta parabola à S. Luca relata, nobis indicauit esse verbum Dei, quod ipsemet in mundum veniens in agrum animæ nostræ iniecit. Ille ager plenus erat vepribus herbisque inutilibus, hoc est, diuersorum vitiorũ generibus, ita vt ignem mereretur, sed pro sua clementia illis omnibus expurgatis, pro igne admirandum verbi sui semen iniecit, & benè profectò atque appositè dictum semen, quia ab eo fides & bona opera manant; si enim illud semen è mundo tollas, virtutem tolles, bona omnia cum semine tolles, & sic quasi in Sodomam & Gomorrham mundus conuertetur. E cœlo autem attulit Filius Dei illud semen, nobilia enim semina asportantur de longinquis partibus ad loca vbi non reperiuntur; quia igitur cœleste illud verbi Dei semen non erat in hoc mundo, ideò in ipsum veniens illud attulit, ipsumque in agro animæ nostræ, cordis nostri, seminauit, anima quippe terra est in quam cadit hoc semen. Et sicut à primo instanti nunquam sator ille cœlestis seminare destitit, ita nunquam desistet, & sic perpetuò seminat; vn-

Hom. 45. in Matth.

a *Lib. 2. dist. 2.*
b *Lib. 1 de sacr. p. 5. cap. 2.*
Ecclesiast. 1.

de non dicitur; *Exiit seminator*, sed *exiit qui seminat*. quod dicit actum continuum; est enim Sol continuò lucens, semper influens & operans; est ignis semper ardens, & agens; est vnguentum perpetuò fundens.

Diuinum Verbum semini comparatur, ob seminis proprietates eidem conuenientes.

Benè autem diuinum hoc verbum semini comparatur, quia naturam & proprietates seminis habet respectu salutis humanæ; seminis autem proprietates respectu fructus qui ex semine nascitur, potissimùm sunt eius necessitas & virtus; necessitas quia sine semine iacto nullus sperari fructus potest: virtus, quia semen habet proximam virtutem ad producendum fructum, adeoque sine tali virtute in ipso semine latente, nullus potest produci fructus. Eodem prorsus modo se habet verbum Dei respectu fructus salutis nostræ: primò enim necesse est vt in nobis seminetur & in agrum cordis nostri iaciatur, aliàs nullus sperari posset fructus: secundò virtutem habet proximam ad producendum fructum: *Est enim Euangelium*, id est Euangelij prędicatio, ait Apostolus; *virtus ad salutem omni credenti*; hoc est, potest saluare credentes, & qui fidem ipsam eius prædicatione acquirunt; nam *fides ex auditu*, supple, verbi Dei, ait idem Apostolus, vnde addit: *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Et quemadmodum vt semen crescat, atque per virtutem quam habet latentem fructus producat, necesse est vt in terra bene disposita, hoc est benè aratro exculta incorporetur, & sub ea rastro condatur, atque alteretur, vt radices agat, & conseruetur ad maturitatem vsque; sic omninò, vt verbum Dei seminatum & prædicatum virtutem habeat ad salutis fructus producendos, debet cordi credentis penitùs infigi, & quasi cibus in stomacho digestus, per ruminationem diligentem alterari, vt virtutum radices agat, & denique in corde retineatur. Si triticum aut aliquod aliud semen in aëre, aqua, vel igne seminetur, nullum poterit referre fructum, ita si verbi Dei semen prolatum in aures tantùm, & scriptum in oculos solùm incidat, quid proderit? nullum enim pariet emolumentum & fructum, & ita erit quasi in aëre & aqua seminare: est ergo diuinum verbi Dei semen in terra cordis nostri benè exculta & disposita recipiendum. Quemadmodum igitur ab initio sæculi, supremus noster sator suas inspirationes per Angelos seminauerat, sua promissa per Patriarchas, sua mandata per Moysen, & suas comminationes per Prophetas: ita dum ad nos venit per Incarnationis mysterium, sparsit & seminauit in nobis perfectionis doctrinam sacram, verbum vitæ, legem amoris & gratiæ; & cùm diuinum illud semen in sola Palæstina seminasset, Apostolos per vniuersum mundum misit, & per ipsos alios, & isti reliquos,

Ad Rom. 1.

Rom. 10.

a In 5. cap. Matth.

b Isai. 61.

&

& continuò ad finem mundi vsque, quo diuinum hoc semen vbique terrarum effunderetur & seminaretur: *Sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. vltimo.

Prętereà verbum Dei semen vocatur, quia sicut per semen indiuidua multiplicantur, & species conseruantur in ordine naturæ, ita per diuinum verbum filij Dei multiplicantur, fitque electorum & prędestinatorum propagatio in ordine gratiæ: quo fit vt illud Dei verbum ac semen debeat à nobis excipi, & in cordibus nostris admitti, vt cœleste manna cum magna reuerentia & æstimatione, cum interiori mentis recollectione, & cum desiderio & affectu proficiendi.

Cornelius à Lapide in Matthęũ, alias adfert rationes cur verbũ Dei semini comparetur. *Quia*, inquit, *sicut semen vt pullulet eget pluuiâ, sole, & cælo, sic & vt verbum Dei in mente radicetur, & germina bonorum desideriorum & operationum producat, debet irrigari gratiâ, & cœlesti charitate calefieri.* Et hoc est quod ait Isaias: *Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam.* Per verbum Euangelij à Christo & Apostolis sparsum; *Et laudem coram vniuersis gentibus.* Corn. in 13. cap. Matthæi. Isaia 61.

Alia eius ratio hęc est; Semen priùs debet radices agere in terra, deinde in germina & ramos progerminat, mox in flores efflorescit, ex his denique fructus producit: sic & verbum Dei priùs radicari debet in mente, deinde germina bonarum cogitationum, & flores bonorum desideriorum proferre, vt tandem fructus bonorum operum producat.

Denique; Sicut ad generandum prolem concurrunt Pater & Mater; sic ad fructum producendum concurrunt semen & terra, sed ita vt terra totam vim hunc illumve fructum producendi hauriat à semine, nam iuxtà seminum varietatem varij quoque eduntur fructus, vt vt triticum, hordeum, &c. Simili modo ad bonum opus concurrit verbum Dei, tùm externum tùm etiam internum, ac liberum hominis arbitrium, quod verbo Dei cooperari debet, sed ita vt totam vim producendi opus spirituale, supernaturale & diuinum quod Deo sit gratum, & æternæ vitæ meritorium, à Dei verbo & gratia hauriat, vti docet Concilium Tridentinum. Aliæ sunt eiusdem auctoris rationes, sed hæ magis pręcipuæ videntur, cum aliquo modo reliquas continere videantur.

Sunt & alia semina pręter Dei verbum, quæ seminat & infundit ipse verus seminator Christus in agro animæ nostræ, videlicet fidem, sanctas cogitationes, affectiones, cõsilia interna, amorem & gratiam diuinam; & ideò opus est ei cooperari humiliter, feruenter, & fideliter: tres enim illæ dispositiones summoperè sunt exoptandæ, vt di- Semina quã plura in agro animæ à Christo seminata.

6. Seff 6. uinum hoc semen cum humilitate suscipiatur, cum fidelitate conseruetur, & cum feruore fructificet. Nota ergo quòd quemadmodum omnia per corruptionem citò è terra delerentur & exterminarentur, nisi per semina quæ producunt, repararentur per suorum similium procreationem, ita fides, virtus, pietas, charitas, religio Christiani, iusti, boni & amici Dei, &c. etiam exterminarentur & in ruinam abirent, si per semen verbi Dei quotidie non restaurarentur, & impios solùm, Atheos, & huius farinæ homines super terram conspiceremus. Aliud quoque semen, est sacrum Christi corpus in Eucharistia sancta realiter existens & præsens, semen inquam, resurrectionis nostrorum corporum & vitæ æternæ, de quo apud S. Ioannem: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quod est intelligendum modò ager cordis nostri sit benè dispositus, & à spinis peccatorum purgatus.

Ioan. 6.

Multiplex denique semen in eodem agro seminatur à supremo illo satore; videlicet semen violæ, humilitatis & patientiæ; semen lilij, castitatis & munditiæ; semen rosæ, charitatis & fragrantiæ; semen oliuæ, benignitatis & clementiæ diuinæ; semen palmæ, longanimitatis & perseuerantiæ; semen tritici, satietatis & abundantiæ; & denique semen vitis, firmitatis & audaciæ; quodcumque ex his vel aliis virtutum seminibus receptum fuerit, in sanctam animam, germinabit & cœlestem fructum faciet. Horum itaque seminum sator filius Dei est, qui quandiu huius sæculi agricolatio durabit ista seminare semina per se & alios nunquam intermittet: sicut enim Dæmon zizaniorum seminator esse dicitur, quia perpetuum munus & officium eius est prauas opiniones, hæreses, ac suggestiones in animis hominum seminare; ita contrà Christus Dominus bonus sator esse dicitur, quia continuum eius munus est fidem, gratiam, amorem, virtutes, sanctas cogitationes & affectus, cordibus nostris immittere. Dæmon quidem in paradiso inter Angelos seminauit discordiam & zizania, quando ipse in superbiam elatus, malo suo exemplo socios ac complices in rebellionem attraxit, vnde & seipsum præcipitauit, & secum in ruinam tertiam partem stellarum, id est Angelicorum spirituum, in præcipitium detraxit. Vt est in Apocalypsi; *Draco magnus cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli.* De his autem fusiùs diximus in tractatu de Dæmonibus.

Dæmon in agro animæ seminat, & quodnam semen.

Apoc. 12.

SECTIO III.

Supremus sator, quatuor in locis, totidem sui seminis portiones seminauit, & primò secus viam, & quid hoc denotet.

VERBI Dei ac sanctarum virtutum diuinum semen, non semper in terram bene dispositam vt fructus referat, cadit, vt ex supradicta Christi Domini parabola colligimus; nam quatuor in locis semen cecidit, sed in vno solùm profecit; *Et dum seminat*, ait sacer textus, *aliud* (semen) *cecidit secus viam, & conculcatū est, & volucres cœli comederunt illud: & aliud cecidit suprà petram, & natum aruit, quia non habebat humorem; & aliud cecidit suprà spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud; & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* De primo semine quod secus viam cecidit sumus in præsenti Sectione dicturi. Hoc igitur semē quod ita iuxta viam cecidit, intelligitur bonum quod fit pro laude hominum: & sicut fructus qui sunt secùs viam diripiuntur à transeuntibus, nec ad maturitatem perueniunt; sic nec bona quæ fiunt pro laude hominum venanda: vnde dicitur semen illud fuisse conculcatum; Et id anteà docuerat Psaltes Regius: *Deus conteret ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos*; hoc est *sal infatuatum*, quod vt apud SS. Marcum & Lucam habetur; *Ad nihilum valet vltrà nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Illi iuxtà viam sunt qui verbum Dei non custodiunt, mente non intelligunt, non meditantur. Hi auditores sunt obliuiosi, iuxtà illud Iacobi: *Qui perspexit in lege perfectæ libertatis non auditor obliuiosus factus, &c.* Obliuiosos auditores confert S. Iacobus cum viro qui seipsum in speculo intuetur, móxque vultus sui obliuiscitur: *Si quis*, inquit, *auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Sicut ergo facilè obliuiscimur vultus nostri quem in speculo intuemur, sic etiam facilè obliuiscimur verbi Diuini quod audimus. Solet vir speculum obiter intueri, nec diu in eo intuendo immorari: contrà fœmina illud solet attentè & diu conspicere vt se comat & ornet; ita auditor obliuiosus viro assimilatur, cōcionis enim inspicit speculum, vt S. Ia-

Semen quatuor in locis seminatum fuit, & primò secus viam, & quid hoc denotet.

Psalm. 52.

Marc. 9.

Luc 14.

Iacobi 1.

cobus ait, sed non satis attentè, & ideò non mirum si illicò obliuioni tradat quæ audiuit; at auditor attentus instar est fœminæ, nam moram facit in speculo Diuini verbi contemplando, & ideò sanctum illud verbum executioni demandat. Superadditur in sacro textu: *Et volucres cæli comederunt illud.* Quod exponens ipsemet Christus ait; *Qui secùs viam*, id est qui similes sunt terræ secùs viam positæ, in quam cecidit semen; *Hi sunt qui audiunt verbum Dei*, sine intellectu, attentione, & deuotione; *Deinde postquam audierunt venit Diabolus*, (Per malas suggestiones,) *Et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Non quòd Dæmon immediatè agat in hominis mentem, seu intellectum & voluntatem attingat, hoc enim ad vnum Deum auctorem hominum attinet, sed mouet Dæmon phantasiam, & ea mediante aut saltem indirectè, mouet intellectum & voluntatem. Sic apud S. Ioannem in suo Euangelio dicitur, *Diabolus misisse in cor Iudæ, &c.* Benè autem secundum glossam Dæmones dicuntur, *Volucres cæli*, eò quòd caliginosum istum aërem inhabitent. Vnde ab Apostolo; *Potestates tenebrarum harum* vocitantur, & vt velocissimæ aues, immò quasi alati dracones; in nostram perniciem volant. Dicuntur autem comedere semen verbi Dei conculcatum, sicut struthio comedit ferrum, quòd tamen ei ad nutrimentum non prodest. Quòd autem comedere dicantur Dæmones semen verbi Dei, exponit Christus, eos illud rapere & tollere de corde audientium, ne vllam radicem figat in eorum memoria, rapiunt illud ab intellectu ne illuminetur, rapiunt à voluntate ne ad bonum per illud inclinetur, rapiunt à memoria ne ibi foueatur & suo germinet tempore, & fructus afferat. A tribus porrò hominum generibus rapiunt Dæmones Dei verbum, ne in eorum corde fructificet; videlicet à luxuriosis, quibus vt ait Sapiens: *Dei verbum multùm displicet:* à vagis seu vanitati deditis, qui cùm intersint concionibus, oculos atq; animum huc & illuc circunferũt, & sic variis cogitationibus & distractionibus aditum prębent: & tandem à curiosis qui non tam ex deuotione ad conciones accedunt vt verbum Dei adimpleãt, quàm vt aures concionatoris eloquentiâ si illis arrideat, oblectẽt, si verò non placeat, irrideãt. Ioseph (vt est in Genesi) asseruit signũ damnationis, suspẽdij & mortis esse pistori Pharaonis, quòd volucres cœli comederẽt cibaria quæ super caput deferebat; Ergo cùm Dominus dicit volucres cœli comedisse semen, hoc est rapuisse à mente audientium, apertè indicat eos esse damnandos & morti adiudicandos, qui diuinum semen ita contempserint, vt suprà caput, & in capite solùm gestauerint, nec animi dentibus hoc est cogitatione terere & manducare, atque in viscera trajicere, non curarint; illi enim sic semen illud volucribus

Ioan. 13.

Dæmones è corde audientium verbum Dei rapiunt, quomodo & quando.

Eccl. 21.

Gen 40.

diripiendum exponunt, & proindè suspendium debent timere tartareum. Et profectò quid mali non debet experiri qui verbum Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? ait Apostolus in Epistola ad Hebręos. Sic apud S. Lucam dum de mundi despectu loqueretur Dominus, deridebant illum Pharisęi, quia erant auari; illudere verò conculcare est; vt in libro Paralipomenon mentio fit de extremo malo Israëlitarum: *Qui subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius*: vndè in libro Iob: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* Lampas illa ardens verbum Dei est, si impij illud contemnant in suis cogitationibus, erit parata ac reseruata ad tempus iudicij, in quo illudmet verbum Dei iudicabit ac condemnabit; iuxtà id quod ipsemet Christus ait Iudęis apud S. Ioannem: *Qui spernit me & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum, sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Et quorsùm istud, nisi quia Iudæi sermonem Christi qui verum erat semen diuinum, contemptui habebant, illudque quasi pedibus conculcabant? facilè ergo ab eorum cordibus, Dei verbum rapiebant volucres cœli, hoc est Dæmones. Quamplures hâc miserrimâ tempestate ipsis Iudæis assimilantur, non ideò mirum si Diabolus Dei verbum ab eorum cordibus rapit, nam illud conculcant, mundi leges super eorum capita collocantes, sub pedibus verò Christi mandata. Et si aliquando verbum Dei audiant, non id præstant proficiendi desiderio, nec vitam in melius mutādi, sed solùm vt Christiani appareant, sicque ab ijs penditur Dei verbum, licet *infinitus sit hominibus thesaurus*, vt ait Sapiens. Si suggestum aliquis concionator conscenderet, qui saccos deferret auro, argento, & lapidibus pretiosis plenos vt illos effunderet, quanta auiditate properarent homines vt ea colligerent? At nónne diuina sapientia quæ annuntiatur à concionatore, pretiosior est auro? Audite quæ ipse sapientissimus Rex Salomon ait: *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua; si ergo quæsieris sapientiam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam, tunc inuenies timorem Domini & scientiam Dei reperies.* Constat ergo in summo pretio esse Dei verbum seu diuinam sapientiam, & proindè non sub pedibus, sed super caput collocandam, illam siquidem facilè Dæmon tollit ab his qui eam conculcant. In audiendo etiam Dei verbo animo collecto & attento esse oportet, ne si vel ad modicum vageris, aliud agens, aliud cogitans, de repentè Diabolus illud rapiat, alias atq; alias immittens cogitationes: sicut enim semen negligenter iactum nec posteà terra conditum & obductum, volucres cœli rapiunt & comedunt; sic verbum Dei negligenter acceptum nec animo reconditum,

Ad Hebr. 6. *Luc. 16.* *2. Paralip. vlt.* *Iob 12.* *Ioan. 12.*

Verbum Dei à multis conculcatur, & quomodo.

Sap. 7. *Prou. 2.*

Dei verbum in magno debet esse pretio.

ſed oſcitanter auditum, atque ita à nobis contemptum, Dæmones rapiunt & comedunt, quia de noſtro contemptu vehementer gaudent, & voluptatem magnam capiunt, illo tamen ſenſu, quo expoſuimus in Tractatu de ipſis Dęmonibus. *Quare*, vt inquit S. Chryſoſtomus in Matthæum: *Ne quid tale nos patiamur, diligentiâ, magnitudine animi, & iugi memoriâ, ſemina obducamus.*

In cap. 13. Matth. hom. 45.

Nonnulli conſiderantes illud ſemen quod ſecùs viam cecidit nec fructum retulit, quia à pertranſeuntibus conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud; docent non eſſe mirum ſi non fructificauerit, nam terræ conculcatæ duritia hoc impediuit. Vt autem agricolæ, fructus ex iacto in terram ſemine percipiant, neceſſe eſt vt terram colant & emolliant priuſquam ſeminent; ita dicendum de ſemine verbi Dei alijſque boniſ ſeminibus ſuprà notatis, dum enim in terram cordis induratam cadit, mirum non eſt ſi non fructificet, cùm ipſum cor, vt referat fructum ex ſuſcepto illo ſpiritali ſemine, debeat priùs emolliri. Et profectò quos fructus poſſet producere cor tale induratum alicuius inueterati peccatoris, qui per decem annos fuit in peccato mortali, exercẽdo vſuras, habendo concubinã, rancorem & odium proximi, furando & retinendo eius bona & illa non reſtituendo, ludẽdo & blaſphemando? ab hoc duro corde ſtatim reſilit ſemen, non apprehendit, non mouet, non excitat affectus, non deuotionem, non horrorem peccati, non timorem inferni, non deſiderium ſalutis; & ſi omnes ſcripturas cum magno feruore prædices, non excitabis in eo vel tantillum contritionis, doloris, timoris, compunctionis, & hoc propter nimiam duritiem quam fecit peccatum in ipſo, & diuturna peccandi cõſuetudo: vnde aut dormiũt audientes conciones, aut loquuntur, aut magno tædio afficiuntur. Hi ſunt filij diffidentiæ, vt docet Apoſtolus, quia de eorum ſalute parum confidimus, quoniam nec libenter verbum audiunt, ſed cum tædio & fatigatione. Vnde ſecundùm Euangelium S. Ioannis, ſignum hoc eſt æternæ reprobationis: *Qui ex Deo eſt*, aiebat Chriſtus Iudæis, *verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Sunt filij huius ſæculi, & in his quæ ſæculi ſunt non fatigarentur, vt audire fabulas, cantilenas, &c. ſed verbum Dei per horam vix ſuſtinere poſſunt: Et ita quia verbum Dei nullam facit impreſſionem in cordibus eorum, veniunt Dęmones & rapiunt illud de memoria eorum, & ſtatim conculcant ipſum; corda enim illorum ſunt quaſi via publica per quam tranſeunt Dæmones, quæ nullam habet cuſtodiam, & ſic deperit ſemen.

Verbum Dei in terra cordis indurata, non fructificat.

Ephes. 2.

Ioan. 8.

SECTIO IV.

De secunda seminis portione quæ suprà petram cecidit, & quid denotet.

PORRÒ si semen quod secùs viam cecidit, & conculcatum est à pertranseuntibus, fructum non retulit, ob nimiam loci duritiem, & volucres cœli, id est Dæmones, cunctis auibus velociores, illud promptè rapuerunt & sustulerunt, vt præcedenti Sectione diximus, profectò non maiorem prouentum expectare poterat paterfamilias, de eo quod suprà petram seu in loca petrosa cecidit, hoc est in corda lapidea & indurata, cùm tale semen radices figere non potuerit, & omninò cor non penetrauerit. Itaque Christus ipse loco præfato S. Lucæ: *Aliud*, inquit, *cecidit suprà petram & natum aruit, quia non habebat humorem*: Et exponens ait: *Qui suprà petram, hi sunt qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum* (ob eius pulchritudinem, rectitudinem, & sanctitatem) *& hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*; hoc est tempore persecutionum insalutato hospite, à Dei verbo, fide, & lege recedunt. Sed quis humor deficit, vt arescere faciat diuinum illud semen nisi deuotio? Hic enim humor in quocumque reperitur semen nutrit, radicibusque firmis fulcit: *Lampades nostræ extinguuntur*, aiunt Virgines illæ stultæ apud S. Matthæum; extinguebantur autem præ olei penuria: eundem in modum verbi diuini extinguitur lux, quoniam oleum deuotionis deest; deest autem oleum deuotionis, quia deest oliua orationis ac meditationis quæ oleum huiusmodi producit. Deuotione deficiente durum fit cor & saxosum, ita vt radicibus in eo firmis verbum non hæreat: deuotione verò abundante cereum fit & carneum, diuini spiritus scripturæ aptum, scribit enim diuinus Spiritus verba sua in tabulis teneri cordis, mollis & carnei, non lapidei, iuxtà illud Sancti Pauli: *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, &c. Anima mea liquefacta est* (ait Sponsa in Canticis) *vt dilectus loquutus est*. Cùm dilectus Christus loquitur, liquefiat cor, ceræ instar, vt verbum loquentis altè imprimatur, radicesque firmas figat. Magnum profectò Dei est beneficium hoc, cor carneum ac liquefactum, iuxtà illud Ezechielis: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & da-*

Semen quod suprà petram cecidit quid denotet.

Deuotio est humor verbi Dei semen nutriens.

Matth. 25.

2. Corinth. 3.

Cant. 5.

Ezech. 11.

bo eis cor carneum, &c.

Primò ergo, petrarum nomine in quas seminis portio cadit, possunt intelligi illi qui corda habent lapidea & dura, atque peccatis assueta, absque vllo deuotionis humore; quo fit vt in illis radices agere nequeat Dei semen, non enim mollescunt aut flectuntur, ac proindè quouis Iudæo, & quouis adamante (vt fusiùs posteà dicemus) duriores sunt. In Psalmis scriptum reperimus: *Moyses virga percussit petram, & fluxerunt aquæ;* virga illa crucem Christi significat, quæ percutiens dura corda elicit pœnitentiæ lacrymas: vel etiam virga illa memoriam passionum Christi, & eius beneficiorum designat, quæ credentium corda necessariò emollit, sed in cordibus duris semen diuinum non penetrat, etsi superficie tenus moueat; nam, *Cum gaudio suscipiunt verbum,* placet illis veritas Euangelica & delectat concionator de virtute disserens, sed si radices fidei & charitatis non habent, non sunt in charitate radicati & fundati, vt habet Apostolus; nec Christum habent per fidem in corde habitantem, sed intùs sicci & aridi manent, nullum spiritualis gratiæ humorem & nutrimentum habentes. Quemadmodum enim duo sunt quæ frumentum aut aliquod aliud granum seminatum pullulare faciunt, videlicet humor, & calor; & duo quæ continuò faciunt illud arescere, lapidis durities, & ardor Solis; ita duo sunt quæ semen Dei frugiferum reddunt; & duo item quæ infrugiferum; illa quæ fructum referre faciunt semen illud diuinum seminatum, sunt terræ, hoc est cordis hominis bonitas, & lumen quod à Deo accepit, quo quidem exultat, audiendo sermones de rebus diuinis ac cœlestibus. Illa verò quę impediunt ne in bono stabile maneat & fructum referat, sunt primò obduratio & obstinatio in aliquo malo quod deserere non vult, vt nolendo restituere bona malè parta, non declinando peccati occasiones, &c. Secundò, æstus Solis, id est aduersitas aliqua quæ illi à Deo immittitur; obduratus enim homo exarescit, statim atque in bono suo proposito aliquid asperitatis sentit, & illa iudicat aduersa, non quòd difficilia sint reuerà, sed quod vitiosis ipsius cupiditatibus aduersentur: ita luxurioso graue est prohiberi à luxuria, vt patet de Herode, qui ęgrè tulit reprehensionem factam à S. Ioanne Baptista, de retentione Herodiàdis vxoris fratris sui; vnde, vt ait scriptura, eius caput amputari pręcepit: ita guloso graue est reprehendi à gula; ambitioso ab honoribus; auaro ab auaritia, & sic de reliquis; sæpe-sæpiùs libenter audiunt conciones vt Herodes Ioannem, & Fœlix Præses Iudeæ Paulum; sed si vitia eorum tetigeris quæ nolunt declinare, excidit omne quod conceperant bonum propositum. Et propterea bene dixit Christus de illis & similibus: *Ad tempus credunt,*

Cor carneum & lapideum in scripturis, & in quo consistant.

Psalm. 77.

Ephes. 3.

Matth. 6.

Act. 24.

dunt, & in tempore tentationis recedunt; hoc est cùm orta fuerit tentatio circà illam rem in qua obduruerunt, semen diuinum omninò perit in corde eorum, & tempore tentationis à bono proposito iam concepto recedunt. Iactant arma sua, sed in die belli conuersi, fugiunt inimicos; ad pedes positi confessoris magna ei promittunt, sed indè exeuntes similes sibi ipsis sunt, nec minima præstant. Hi Israëlitis comparari possunt, qui adueniente arca Dei in castra, lætanter arma sumpserunt, sed visis Philistæis aufugerunt, & arcam in eorum potestate dimiserunt: verè hi sunt petra, & cor lapideum habent.

Verbi Dei semen perit in corde malorum, dum eis tẽtationes accidunt.

1. Reg. 4.

Secundò, S. Thomas in Catena aurea super Lucam, petrarum nomine auaros & nimium sui amantes intelligit, qui videlicet aliorum calamitatibus & miseriis, compassionis affectu minimè molliuntur, neque ad misericordiam flectuntur; sicut enim molle extrà fines suos facilè diffunditur, vt aqua; sic durum intrà se constringitur, vt lapis; & huiusmodi sunt illi qui seipsos nimium diligunt, & intra se vt ita dicam constricti & pressi, proximorum commoda minimè quærunt, sed solùm semetipsos in omnibus & quæ ad suam referunt commoditatem. Quòd si quandoque honesta & virtutes quærant, illasque amplecti videantur, imò & Deum ipsum, omnia ista, sola propriæ vtilitatis suæ ratione metiuntur, & sine vllo sui detrimento; sicque Deum & virtutes non propter illum, sed propter seipsos diligunt. Indè fit vt si qua in re Deum colant aut orent, Iudæorum more in temporale aliquod lucrum oculos conjiciant: in his quæ factu facilia sunt Deo obsequuntur, in difficilioribus resiliunt: Similes hirundinibus quæ primo vere & æstiuo tempore adsunt, cùm verò tempus hyemis aduenire vident, protinùs deuolant & recedunt. Sicque benè ait Christus; *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, & ob humoris gratiæ defectum arescunt. Sed quænam sunt facilia Christiani opera? Ista, fidem profiteri, sacro interesse & concioni, & alia nonnulla similia, in quibus peragendis exigua pœna est, vnde Principes etiam magni illa præstant & libenter exequuntur: opera difficilia sunt iniurias remittere, ieiunare, mortificationem in corpore circunferre, substantiam pauperibus elargiri, & alia id genus; & hæc illi renuunt: in itinere plano gradiuntur, in petroso offendunt, tentatione insurgente vel iactura aliqua aut incommoditate superueniente, ab instituta pietate recedunt, & defectu humoris gratiæ & deuotionis, & quia radices firmas non habent, arescunt, nec in bono proposito perseuerant, perseuerantiâ siquidem desinente nequit deuotio subsistere. Quemadmodum enim in planta, vel arbusto aut herba, humor radicem nutrit, radix plantam viuere facit, & planta producit fructum; ita vt si humor radici desit, mox

Super cap. 8. Lucæ.

Opera Christiani facilia & difficilia, quænam sunt.

radix plantæ deest; & si planta fructui desit, illicò fructus si iam formetur marcescit & arescit, in terramque decidit, priusquam ad maturitatem possit peruenire: ita deuotionis humor & succus perseuerantiam nutrit, perseuerantia viuere facit bonum propositum, quo sublato fructus pœnitentiæ desiccatur & perit. Et hoc est quod ait Christus; *Aruit quia non habebat humorem, ad tempus credunt, &c.*

SECTIO V.

Cordis durities impedit, ne semen in agro animæ seminatum, radices figat, & fructificet.

EX supradictis de seminis portionibus secùs viam, in terram duram, & super petram iniectis, quæ proinde radices figere & fructum ferre non potuerunt; ansam arripere debemus dicendi præsenti Sectione, de cordis duritia, vel de corde duro, quod diuinas inspirationes, admonitiones aliaque bona verbi Dei, & virtutum semina rejicit; ita vt nihil sit quod ita homines à Deo auertat, eorumque conuersionem impediat, quàm ipsius cordis durities, qua quidem ipsi ita Deo, eius monitis & præcepto, prauo animi affectu pertinaciter resistunt, omniaque salutis media respuunt. Hanc Iudæis exprobrabat Psaltes Regius: *Filij hominum vsquequo graui corde?* Et S. Stephanus ipsos etiam Iudæos alloquens, eandem illis exprobrabat cordis duritiem, dicens vt in actibus Apostolorum habet S. Lucas; *Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resistitis.* Sed quid est cor durum? Illud graphicè describit S. Bernardus: *Cor durum*, inquit, *ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur; ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non præuidens, ipsum est cui præteritorum præter solas iniurias nihil omninò non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendum prospectio seu præparatio est, & vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec homines reueretur.* Hæc ille. Et

Cordis durities, & durum cor quid sint, latè ostenditur.

Psalm. 4.

Act. 7.

Lib. 1. consid. cap. 2.

hinc potioribus verbis, sed quæ præcedentia complecti videntur, describit Origenes cor durum sic: *Cor durum in scripturis dici videtur, cùm mens humana velut cera frigore iniquitatis obstructa signaculum imaginis diuinæ non recipit.* Cui Philo Iudæus suffragatur dicens: *Anima ceræ more* (vt priscus quidam ait) *si dura sit, formas respuit, nec sibi sinit imprimi; sin autem sit obsequens aut mediocriter facilis, profundè sigilla recipit.* Itaque durum cor omnes Dei impressiones & semina, omnes inspirationes & admonitiones rejicit; & ideò non mirum si passim non tantùm terræ conculcatæ & induratæ comparatur, verumetiam rigidissimis omninò rebus, & quæ vix arte domari possunt, vt apud Ezechielem, dùm enim Deus Opt. Max. ipsum suum Prophetam ad Hebræos & Chaldæos misit, vt eos de cordis eorum perfidia & duritia quasi ferrea & adamantina reprehenderet, dicebat: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me: ipsi & patres eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc; & filij dura facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te, &c.* Quibus verbis liquidò patet, eorum cor fuisse valde durum, & suprà petras & ferrum, cùm illud indomabile dixerit. Ad maiorem autem tantæ eorum malitiæ & duritiei cordis confusionem, filios vocat; quia cùm tam bonum tamque benignum haberent patrem sicut Deus est, hoc non obstante, nec eum vt decebat requirebant, nec ei obedire curabant, quin potiùs tanta duritia & incredulitate ad iram continuò prouocabant. Et apud eundem Ezechielem, cor durum eorundem filiorum Israël vocatur lapideum, pollicetur tamen Deus se tale durum cor ab eis ablaturum, & cor carneum eisdem concessurum, modò ad suorum mandatorum obseruantiam se accingant. Ita in Exodo, Deus vocat populum Israël duræ ceruicis, filios dura facie, & indomabili corde. Et de peccatore inueterato ait Iob: *Cor eius indurabitur tanquam lapis.* Sic apud Isaiam ait ipse Deus: *Scio quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.* Ita apud Ieremiam: *Indurauerunt facies suas suprà petram, & noluerunt reuerti.* Quorsum autem dicit, suprà petram nisi vt designet maiorem esse cordis duritiem quàm lapidis, ferri, & æris? Iuxtà id quod habet S. Gregorius: *Ære ac lapidibus, inquit, insensibilium hominum corda signantur, qui & supernos ictus accipiunt, & tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt.* Est mirum quod metalla etiam durissima igne liquefieri & à fabro edomari, nobis constet, & tamen indomabili corde nonnulli homines reperiantur, ita vt eorum cor tam durum sit, vt nec igne diuini amoris liquefieri, nec diuina-

Lib. 1. in Epist. ad Rom. tom. 3.

Ezech. 2.

Ezech. 36.

Exod. 32.

Iob. 41.

Isai. 48.

Ierem. 5.

7. Moral. cap. 9.

Ierem. 13. rum comminationum ictibus emolliri queat. Ex Ierem. *Malleus conterit petras,* Ex Iob; *Lapides excauant aquæ.* Et ex S. Matthæo in Christi passione; *Petræ quoque scissæ sunt, & monumenta aperta sunt*; Sola autem hominum corda pro quibus solus patiebatur dulcissimus Iesus, nulla ratione ad pœnitentiam scindi possunt, aut aliquo pietatis sensu permoueri & emolliri. Non ergo absque ratione hæc indurata corda adamanti comparat Zacharias Propheta, dum ait: *Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam, recedentes, & aures suas aggrauauerunt ne audirent, & cor suum posuerunt, vt adamantem ne audirent legem.*

Iob. 14.

Matth. 27.

Zach. 7.

In toto vniuerso (aiunt multi) nihil adamante & præsertim Indico durius, quod ex suo nomine Græco, *adamas*, intelligi potest, est enim idem quod indomabilis, & nihilominus vt ait Rupertus in præfatum Zachariæ locum, illud mirandum quod cùm tantæ sit duritiei, solo hirci sanguine perfusus statim dissoluitur: at cordis humani durities ipsum adamantem superat, illud enim nec sanguine hirci mollescit & sedatur, nec sanguine illius agni immaculati, qui se pro nobis Deo Patri in ara crucis obtulit, & pretiosum sanguinem effudit, vt à miseranda seruitute Dæmonum nos liberaret, viamque muniret ad æternam & immortalem vitam consequendam. Vnde exclamat S. Bernardus; *O duri & indurati filij Adam, quos non emollit vis amoris.* Et vnde quæso tanta cordis durities nisi ex obstinatione & praua consuetudine ad peccandum? Plinius in sua naturali historia, narrat riuum quendam esse in Lucania Hilarum nuncupatum, cuius aqua talis est proprietatis & naturæ, vt ligna quæ in ipsum projiciūtur, arbores, folia, & alia denique, in lapidis duritiem se se conuertant. Ita Albertus Magnus, ait se experimēto comperisse in Germania, quendam fontem eiusdem esse cum supradicto riuo naturæ, & quicquid in illum projicitur mox in naturam lapidis cōuerti. Nonnè multorum corda videntur in hunc riuum & fontem cadere, cùm videamus diuturna nimis consuetudine ad peccandum, & animi obstinatione, tanquam lapides marmoreos indurescere? Christus Dominus post resurrectionem suam exprobrat Discipulis suis, eorum incredulitatem & cordis duritiem, licet eorum corda respectu duritiei nostrorum essent ipsa cerâ molliora & tractabiliora, quantò igitur maiori cum rigore talem nobis duritiem exprobrabit? Ideoque maxima & multiplicia mala damnaque, hæc cordis durities adfert. Primò enim qui tale cor durum habent à Deo deseruntur: *Et transeunt in affectum cordis,* vt ait Psaltes, id est in immunditiam & nimiam concupiscentiam, labuntur de scelere in scelus. Et

Rupert in.

S. Bern.

Lib. 2.

Marci 16.

Psalm. 72.

est quod clariùs dicit idem Psaltes: *Non audiuit populus meus vocem meam; & Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis*; Et Apostolus: *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Et inde fit vt impudentes ad peccandum existant: quod satis apertè notauit Ezechiel: *Omnis domus Israël attritâ fronte est & duro corde. Frontem cordis* (inquit S. Gregor.) *in impudentiam atterit culpa frequens, vt quò crebriùs committitur, eò de illa committentis animus minùs verecundetur; atque ideò ad tantam cordis duritiam quandoque peccator peruenit, vt iam in correptione sensibilis non sit, quia qui in vsu peccandi indurvit, nullo modo corripientis verbum, id est manum palpantis sentit, sicut Iudeæ crebriùs delinquenti dicitur: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere:* Vnde miserrimus peccator sic corde induratus, ad omnes Dei monitiones & increpationes, aures, oculos & cor clausum habet, sicut de Iudæis aiebat Christus, in medium adducens id quod habetur in Isaïæ Prophetia: *Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos*: Quibus verbis apertè constat, miseros illos sic obstinatos ac duros corde, demergi in profundum, vt non tantùm contemnant remedia salutis, sed omninò insensibiles fiant, vt medijs etiam periculis indormiant, iuxtà id quod habet Sapiens: *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi*; indéque omninò incorrigibiles existunt, vt de his habet Ecclesiastes: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Et ex eo (proh dolor!) ad malorum omnium maximum perducuntur, quod est finalis impœnitentia, & vindicis Dei ira: vnde Apostolus: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* Meritò itaque ait Sapiens? *Cor durum malè habebit in nouissimo.* Quando peritus medicus pulsum infirmi manu tentauit, videtque inordinatos cordis impulsus, debilitatemque mortem indicantem, dicit, mors imminet, quis non paueat? Deus animarum medicus qui pulsum considerat, non in brachio sed in corde, videns illud durum, ait: *Malè habebit in nouissimo.* Etenim sicut Pharao & Ægyptij cum eo indurati, dum abeuntes Israëlitas persequebantur, fluctibus maris

Psalm. 80.
Rom. 1.
Ezech. 3.
Hom. 10. in Ezech.
Ierem. 3.
Matth. 13.
Isaie 6.
Prouerb. 23.
Ecclesiast. 7.
Ad Rom. 2.

rubri inuoluti descenderunt in profundum quasi lapis; ita obdurata corda instar molaris lapidis, magno impetu ruunt in barathrum abyssi infernalis, vt ibi in tormentis perpetuò maneant. Valdè ergo pertimescere debes ô Christiane, ne sensim spirituali sensu priueris, patiarisque te paulatim trahi, & duci ad cor prauum & durum. Audi Psalmistam præclarè adhortantem: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quam quidem auctoritatem adducit Sanctus Paulus in sua Epistola ad Hebræos & addit: *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis in vobis fallaciâ peccati.* Satis nouisti quod sudoribus & laboribus agricolæ arent, scindant & emolliant terram antequam seminent, vt molli gremio quasi mater recipiat & foueat semen, vt sic hæreat & radices emittat, & tandem fructus; sic sic oportet ante sermonem quotidie examinare & discutere conscientiam, exhortari corda nostra ne peccatis obdurentur & fiant sterilia, & propter talem duritiam nulla fiat impressio, nullus sensus, nullus gustus, nulla commotio: *Quia in maleuolam animam* (ait Sapiens) *non introibit sapientia:* sedulò itaque cauenda venit peccatorum fallacia, quæ in duri cordis scopulum velut Syrenes fallaces pertrahit, dum enim peccato non resistitur, ad aliud mox prolabitur, atque ita in consuetudinem peccandi, & quandam velut necessitatem homo adducitur. Vnde S. Bernardus ait: *Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eo insanabile quò insensibile fit.*

Psalm. 94. Hebr. 3. Sap. 1. Lib. 1. de consideratione cap. 11.

SECTIO VI.

Quid agendum vt cordis duritics è medio tollatur.

VT porrò talis duritics tollatur, & tanto malo remedium adhibeatur opportunum, est ad Dei clementiam & misericordiam mox recurrendum, qui in tali necessitate non deerit, & tale durum cor benignitate suâ molle reddet; quare optimè S. Bernardus: *Nemo,* inquit, *duri cordis salutem vnquam est adeptus, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo* (iuxtà Prophetam Ezechielem) *cor lapideum, & dedit illi cor carneum.* Ea enim est diuinæ bonitatis clementia (ait insignis quidam Doctor) vt etiam obstinatissima & petrosa corda nitatur carnea reddere, & emollire. Hinc Sanctus Iob dicebat: *Deus molliuit cor meum:* & Sponsa sancta in Canticis discer-

Vt cordis duritics è medio tollatur, quid agendum. Lib. 1. de consider. c. 2. Ezech. 36. Iob 23. Can. 5.

tè protestatur ad vocem Spōsi sui cor penitùs liquefactum habuisse: *Anima mea*, inquit, *liquefacta est, vt dilectus meus loquutus est.* Sed quis explicare posset, quot modis diuina illa bonitas cordis nostri duritiam edomare, expugnare & emollire studeat? Quemadmodum namque (ait noster Didacus Stella in Lucam) qui aliquid molle facere vult, impressum manibus huc illuc versat, si adhuc resistit adhibet vnctionem, post vnctionem verò in aquam conijcit, posteà in ignem, deinde ad incudem ducit, quòd si nec hoc modo mollire potest, tanquam omninò inutile abijcit: Sic Deus erga humana se gerit corda: Primò enim, illa quasi manibus suis contrectans, benignâ passionis suæ grandiumque beneficiorum memoria, mulcet. Gratulatur sibi de hoc S. Augustinus, cùm Deo ita loquitur: *Deinde paulatim tu Domine, manu mitißimâ & misericordißimâ pertractans, composuisti cor meum:* Secundò, illa inungit diuinis auxilijs & inspirationibus, quibus faciliùs peccati rigorem deponant: Tertiò, bonorum temporalium aquis inundat, vt gratias authori agendo in memoriam veniant delicti sui: Quartò, ignibus tribulationum & infirmitatum vexat: Denique ictibus mortis temporalis committit, vt vel saltem tunc resipiscant & conuertantur: At vero si nihil istorum potest deperditam reuocare voluntatem, nulla mora est quin huiusmodi miserrimi peccatores, quorum corda marmorea nullis potuerunt mollescere viribus, in infernum detrudantur. Ne verò hoc tibi contingat, Dominum ora, vt emolliat cor tuum, & magno clamore præfati S. Augustini vocem emittas: *Rogo te Domine per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, saxeum, & ferreum, tua sacratißima & potenti vnctione, & fac me per ignem compunctionis, coràm te omni hora hostiam viuam fieri.* Insuper si cordis nostri durities ita edometur & emolliatur, fiatque molle & carneum, ac radicitùs euellat sentes & spinas vitiorum, tunc aptum erit ad diuinum semen suscipiendum, & fructus vberrimos bonorum operum & virtutum emittet: erit (inquam) vera Dei agricultura, vt de Corinthiis aiebat S. Paulus: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis;* optimè dicit illos esse agriculturam Dei, quia Christus teste S. Ioanne in suo Euangelio, patrem suum Cœlestem agricolam vocabat.

In caput 8. Luca.

Didacus Stella.

Lib. 6 confes. cap. 5.

Lib. medit. cap. 35.

1. Cor. 3.

Ioan. 15.

SECTIO VII.

De tertia ſeminis ſupremi ſatoris portione, quæ ſuper ſpinas cecidit, & proinde nullos fructus protulit.

IAM ſuprà vidimus, primum ſemen ſecùs viam iactum non fructificaſſe, tum quia conculcatum fuit à pertranſeuntibus, tum quia ab auibus cœli deuoratum; & prætereà obſtitit viæ durities quæ illud ſemen planè inutile reddidit; & ita diximus ſemen diuinum in terra conculcata, hoc eſt in corde duro ſeminatum, non fructificare; quia Dæmones illud auferunt à memoria eorum qui illud negligenter receperunt. Diximus quoque ſecundum etiam ſemen non tuliſſe fructum, quia incidit in petras paucillo terræ coopertas, germinaſſe quidem, ſed non multùm erectum fuiſſe, quia ob nimiam lapidum abundantiam & terræ paucitatem non habebat humorem: & ex eo oſtendimus ſemen diuinum ſuper petras, inter quas terra tenuis eſt, hoc eſt in duro corde ſeminatum, paululum germinare, quia cum gaudio quidem illud ſuſcipitur & cum propoſito emendationis vitæ, obſeruandi diuina præcepta, & frequentandi Sacramenta, aliaque agendi pietatis opera: at hæc propoſita infirma nimis eſſe, atque ideò tales facilè reſilire, ſuique obliuiſci quamprimùm aliquæ ſuboriuntur difficultates. Videndum itaque præſenti Sectione, & ſequentibus, an tertia pars illius ſummi ſatoris fructum attulerit. Et iuxtà Sancti Euangelij verba, dicimus illam ſeminis portionem in terram quidem bonam incidiſſe, ſed ſpinoſam, ita vt ſpinæ in altum ſurgentes, illud ſuffocarint, iuxtà agros enim ſpinoſæ ſolent ſuccreſcere ſepes ad arcenda à ſegetibus iumenta, in quas aliquando ſator non cogitans, ſemina quædam proijcit, vix enim in locis vicinioribus proijci poteſt ſemen, quin grana nonnulla inter ſpinas ſepis perueniant, ſed ibi creſcere non poſſunt, quia à ſpinis dumiſque ſuccreſcentibus ſuffocantur: ita ſemen diuinum in corda illi terræ ſpinoſæ ſimilia conijcitur, Dei ſiquidem verba audiunt, intelligunt, ſuſcipiunt, immò & fructum aliquem facere ſperant, ſed his obſunt vitæ præſentis curæ, ſollicitudines, & perturbationes, nec-non diuitiarum & voluptatum carnis, in eſu, potu venereiſque cupiditates, & ſemen illud ab his ſpinis ſuffocatur,

Verbi diuini ſemen, à ſpinis diuitiarum & voluptatum ſuffocatur, & quomodo.

catur, & nullos edit fructus. Et est quod disertè admodum docet quidam Doctor ex modernis. Illi (inquit) in *Senticetum* agrum animæ commutant, qui diuitiarum voluptatum, cupiditatum variarum spinas in ea plantant; quibus ad maturitatem perductis, ita opplentur omnia, vt nullus bono semini sit locus, sed si quid immittatur, illicò suffocetur. Illi etiam quorum cogitationes assiduè in fortunæ, vt vocant, bonis, per fas nefásque augendis, nummis cumulandis, proximis decipiendis, versantur. Illi quoque qui corpore quidem in templo ad aram, mente in foro, nundinis, penu, culina commorantur. Hi corporis auribus audiunt verbum Dei, sed à sollicitudinibus seculi, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, tanquam spinis suffocantur, & non referunt fructum. Caueant ipsi ne tanquam vepres igne consumentur. Sunt qui hoc loco per spinas bonum semen suffocantes, valdè apposité & accommodatè hęreticos intelligant sacras scripturas deprauantes, & verbum Dei adulterantes; sed Christi Domini expositioni potiùs inhærendum, qui per spinas intelligit sollicitudines, diuitias, & voluptates huius sæculi, iuxta id quod habet sacer Textus: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.* Expende illius qui sapientia patris est sapientissimam sententiam, nec credas turmatim & sine ordine (quæ auaro eueniunt) explicare, sed mysterium grande exponere voluisse, qui diuitias posuit in medio inter sollicitudines & voluptates; verè siquidem illæ inexplebilem voluptatem auaro præstant; sed simul maiorem sollicitudinum multitudinem ingerunt, non vnam voluptatem, sed multas ex diuitiis capiunt auari, ideò in plurali, *voluptatibus*, dixit, sed nec vnam sollicitudinem, at plures incutiunt, ideò etiam in plurali, *sollicitudinibus*, præmisit: quia quod primò habet auarus, & qui vult diues effici, sunt sollicitudines & curæ quibus angitur, pungitur & torquetur. Vix enim quis enumerare posset curas illas, circa merces diuendendas vel emendas, circa agros colendos, circa lites quibus recuperentur deperdita, circa debitores non soluentes, circa pericula mercium vel aliarum rerum ipsos diuites spectantium. Illa ergo tria sunt, quæ tanquam spinæ suffocant bonum semen Patrisfamilias, iuxtà id quod habet S. Gregorius; *Sollicitudines*, inquit, *voluptates, & diuitiæ suffocant, quia importunis cogitationibus suis, guttur mentis strangulant, & nec bonum desiderium intrare ad cor sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant.* De his ergo tribus suo ordine pauca dicemus, & primò hac sectione & duabus sequentibus, de sollicitudinibus quæ verè sunt spinæ rerum terrenarum amore exortæ, est agendum. Spinæ quia densæ sunt tribus mo-

Hom. 15. in 8. Caput Lucæ.

Sollicitudines huius sæculi veluti spinæ, tribus modis diuinum suffocant semen.

dis suffocant semen: ita sollicitudines & curæ terrenarum rerum, tribus quoque modis semen diuinum in agro animæ diffusum, suffocare solent.

Primò, humorem & pinguedinem terræ exugunt & exhauriunt, maiori indigentes nutrimento, vt sepium ramos ligneos foueant, ac substantiam copiosiorem, quàm calamus frumenti stramineus: ita mundi huius sollicitudines, animi pinguedinem & humorem vitalem respectu rerum cœlestium exhauriunt, videlicet intensam Dei dilectionem, quæ non secùs animam fœcundat quàm fimi pinguedo terram. Hoc docet S. Ioannes in 1. sua Epistola; *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo:* Et rursum: *Qui vult amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Quibus verbis liquidò patet, rerum terrenarum amorem & sollicitudinem tanquam spinas, omnem diuini amoris pinguedinem & diuinæ gratiæ vbertatem atque animæ vires, ita exugere & consumere, vt omnem ad se succum, omnem animi conatum & impetum attrahant, quò fit vt ad diuina cogitanda ei parum virium supersit, etsi voluntas id conetur.

1. Ioan. 1.

Secundò, quia spinæ densæ sunt, solem & imbres à semine excludunt, vt nec æstum necessarium recipere, nec congruenti pluuia valeat irrigari: sic cura & anxia sollicitudo rerum temporalium, solem & imbrem gratiæ à diuino semine excludunt; & sicut oculus noctuæ ad lucem, sic affectus hominis mundani (id est cuius cura ac sollicitudo mundus est) ad res omnes spirituales caligat; sed neque Christum iustitiæ solem & iubar splendidissimum æquis oculis videt, terrenarum rerum curis & amori deditus; & non magis gratiæ ac pietatis radios admittit hæc sollicitudinis spina, quàm clausa spelunca lucem solis; sed & imbrem diuini eloquij & sanctarum inspirationum ne liberè in cor defluant, impediunt eædem sollicitudinis spinæ, nam vt vociferantium terror & clamor, obuij flatus impetu frangitur, sic interna mentis cogitatio externorum sollicitudine interpellatur, ait S. Greg. Nazianz, aliò enim animum auertit terrena cura, ne diuina semina in eum rectò cursu decidant, sicut imbrem cadentem aliò auertit ventus, ne eum in locum cadat in quem casurus erat.

Lib. 2. de Theolog.

Tertiò, spinæ crescentes grani aristas quasi obsidendo, & ne rursùm se attollant remorando, impediunt; ita sollicitudinum rerum terrestrium spinæ in tantùm diuinum semen suffocant, vt illud impediant ne liberè se se in altum erigat ac dilatet: vnde animus his obsessus & implicatus, si se ad cœlestia cogitanda & amplectenda erigere conetur & velit, atque seriò de sua salute tractare fructusque aliquos bonorum operum ac sanctarum virtutum proferre, ab his

ſpinis retardatur, irretitur, ac deprimitur, nec quod ſanctè propoſuit, fortiter exequi poteſt, vt eleemoſynam dare, ſtatutis horis templum Dei adire, proximum conſilio & auxilio iuuare, ſacro adeſſe, verbum Dei audire, ſacramenta frequentare, &c. Hoc docuit ipſe Chriſtus apud S. Matthæum: *Ideò dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* Quibus verbis ſollicitudinem omnem rerum temporalium à mentibus noſtris longiſſimè abarcere & profligare vult, ne (quod monet apud S. Lucam) hac ſollicitudine grauentur corda, & grauata iudiciorum Dei non recordentur, non recordando tanquam laqueo ab illis capiantur. Verba autem illius hæc ſunt; *Attendite vobis ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.* Et ſubdit: *Tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes* (ſcilicet dies illa) *qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*, id eſt qui terrenis rebus inhærent & affixi ſunt, qui ſolliciti tenentur & occupantur circà illas, & tali rerum terrenarum pondere; cura & ſollicitudine, deorsùm ſemper in terram flectuntur ac deprimuntur, nec ad cœleſtia tendere valent; ſicut enim cœli machina cum terræ globo nulla vnquam arte coniungi poteſt, ita nec terrenarum rerum ac cœleſtium ſollicitudo, & (qui ſollicitudinis cauſa eſt) amor, ſimùl habitare poterunt. Aduerte autem Chriſtum laborem & prouidentiam rerum temporalium, neceſſariam atque laudabilem, non prohibere, ſed curam, ſollicitudinem & vanam voluptatem circà illas, quæ noxia ſit ſuffocans rerum ſpiritualium amorem, & impietatis ſpeciem habens, vtpote coniuncta cum quadam ergà Deum diffidentia; ſolent enim auari, & ſœculi amatores diuinæ prouidentiæ diffidere; & proindè ſi quis rebus terrenis iuſto quidem & neceſſario labore ac prouidentia, ſed abſque ſollicitudine & animi anxietate incumbat, ſiue mercando, poſſidendo, magiſtratum gerendo, ſiue etiam comedendo & bibendo, ſobriè tamen & iuxta corporis neceſſitatem, ſiue alias huius vitæ actiones honeſtè exercendo, & diuinis rebus fruendis liberam ſeruet animam ſuam, in his ſe rectè ac fœliciter gerer, nec aliqua reprehenſione dignus erit. Et cùm Chriſtus ait apud S. Matthæum: *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini*; non condemnat moderatam curam & ſollicitudinem ad prouidendum ſibi & familiæ de cibo & aliis, nam dictum eſt à Deo primo homini: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* Et ait Apoſtolus: *Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Et quando ipſe Chriſtus (ait S. Auguſt.) nos mittit ad volatilia, non dicit illa non volare è nidis vt quærant ſibi neceſſaria, vtique volant nec ex-

Matth. 6.

Luc. 21.

Chriſtus rerum temporalium curam prohibet, & quam.

Matth. 6.

Gen. 2.

1 Ad Tim. 5.

pectant vt Deus eorum faucibus granum inserat, sed iuxta naturæ instinctum quęritant cibum; ita non pręcipit vt non seminemus, vt non metamus, vt non in horreum triticum congregemus, &c. Sed vult vt id pręstemus absque animi anxietate & diffidentia; ita vt nostra sollicitudo & cura eius curæ & prouidentiæ subijciatur, alioquin esset ipsum Deum tentare; Sicut, etiamsi filij patrisfamilias relinquant patri curam domus, vnusquisque illorum tamen suo patri obediens, curam sibi impositam paratus est exercere. Porrò qui semen verbi Dei suffocari non vult, huiusmodi sollicitudines suffocet, & repellat à corde. Legimus in Deuteronomio: *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui, &c.* Quodnam est illud altare nisi cor? iuxta illud ergo non est plantandus lucus, hoc est non sunt plantanda noxia desideria ac sollicitudines, quæ mentem obumbrent diuinóque splendore priuent. Ita in Leuitico: *Agrum tuum non seres diuerso semine.* Ager, animus est qui eodem semine, non diuerso, est seminandus. Is diuerso semine animum seminat, qui simùl cum verbo Dei noxias curas ac desideria verbum suffocantia serit. Seminandus est ager ille animæ vno tantummodò semine verbi Dei ac sanctarum virtutum: vitiosæ verò curæ ac cupiditates extirpandæ veniunt. Vndè habet S. Iacobus: *In mansuetudine suscipite insitum verbum quod potest saluare animas vestras.* Qui frugiferæ arboris surculum arbori inserit infœcundæ, omnes arboris ramos resecat, vt surculus insitus adolescat, alioqui radicis succus ramos potiùs quàm surculum alet: Eundem in modum insitum Dei verbum, vt S. loquitur Iacobus suscipiendum est, nimirum surculi instar cordi inserendum, à quo omnes cupiditates atque noxiæ sollicitudines sint resectæ, nam si hæ non rescindantur, cordis succum ad se trahent, Dei verò verbum sine fructu arescet, & ramorum copiâ suffocabitur.

Deut. 16.

Leuit. 16.

Curæ noxiæ non sunt cum verbo Dei seminandæ

Iacob. 1.

SECTIO VIII.

Quot modis terrestrium rerum sollicitudo animæ nocet.

HÆc terrestrium rerum sollicitudo, quæ est cum animi anxietate & diffidentia diuinæ prouidentiæ, tribus modis est animæ vehementer noxia. Primò, quia mentis lumen offuscat. Secun-

dò, quia ad virtutum opera non exiguam adfert difficultatem; & proinde qui eam admittit, à diuino seruitio multùm retardatur. Tertiò, quia ipsam animam paulatim enecat, & ad cœlestia appetenda protsùs ineptam reddit. Quod spectat ad primum modum, ita loquitur B. Basilius: *Quemadmodum*, inquit, *oculus iste corporeus continuo circumactu versatus, & nunc horsum atque illorsum deflexus, nunc sursum deorsumque erectus, vicissim ac depressus exactè cernere nequit, sed obtutu incumbere in rem visam eum oportet qui perspicuè contemplari vult; sic humana mens sexcentis mundi curis distracta, euidenter cernere veritatem vix vnquam poterit.* Imitanda igitur nobis hac in re est aucupum industria qui accipitris caput capitio velare solent, nec vagari oculis sinunt, donec ad prædæ capiendæ locum ac tempus veniatur, vt videlicet ad solam prædam intentus reddatur, & ne aliis conspectis quæ naturaliter appetit, ad illa consequenda vim sibi faciat, & euolare contendat, ac persequi: Idem prçstare debemus, est enim animus noster in rerum diuinarum sollicitudine & cura continendus, nec ad huius temporalis vitæ sollicitudines, curas & anxios affectus, diuagati permittendus, quia ad eius appetendam & totis viribus rapiendam prædam, quæ res sunt spirituales immò ipsum cœlum, nulla ratione sollicitus esset, at huius prædæ odorem & conspectum amitteret, & temporalia ac caduca tantùm curaret: Sicut enim vigilia oculos corporis grauat in somnum declinans; sic rerum terrenarum sollicitudo mentis oculos grauat, & ad terram deprimit: Et sicut ipsa vigilia visum hebetat, dolorem capitis generat, ipsumque corpus debilitat atque eneruat; sic terrestrium cura visum contemplationis spiritualis hebetat, turbationem mentis inducit, & totius animæ virtutem deprimit ac eneruat, impedit enim quietem, tollit fidem, dejicit ac proterit spem, charitatémque refrigerat.

Rerum terrestrium sollicitudo, tribus modis animæ nocet.

Epistola 1.

Quod ad secundum modum attinet quo rerum terrenarum sollicitudo est animæ valdè noxia; est quia ad pietatem multùm difficultatis adfert, ille enim qui inordinatè per varias & diuersas cupiditates erga res creatas afficitur, variisque ac diuersis curis & sollicitudinibus illas persequitur & adipisci contendit, vt v. g. curam vxoris habet, prolis, familiæ, status, officij, dignitatis quæ habet, vel quæ sibi aut suis ambit, iste profectò difficillimè aut vix vnquam pietatem colet; toto enim impetu dum in id fertur quod amat; vel Deum illis rebus contrarium amare non potest, vel Deum & diuina ac spiritualia nonnisi maxima cum difficultate quçret. Et id docet S. Chrysost. in Epistolam ad Hebræos; *Quemadmodum*, inquit, *sol est quidem clarus, & in medium cunctis propositus; & non habemus opus eum quærere; si*

Hom. 22. in Epistolam ad Hebr.

verò nosmetipsos in terram defoderimus & vndique adumbrauerimus, multùm laborandum est, vt Solem videamus; sic si in curis rerum sæcularium defoderimus nosmetipsos, & totos implicauerimus, vix poterimus oculos aperire, & lumen gratiæ quod omnibus exponitur animo intueri. Et ob id credo Plutonem Deum diuitiarum in vna vrbium Spartæ seruari cœcum & iacentem, vt picturam inanimatam, & immobilem, provt scribit Plutarchus, vt innuerent quantâ animi cœcitate sunt perculsi, & quantùm à rerum cœlestium contemplatione virtutúmque exercitijs distent, qui hunc Deum diuitiarum colunt, hoc est curis & sollicitudinibus ipsarum, & rerum temporalium implicantur, illisque inhętent & tanquam humi iacent. Et Clemens Alexandrinus ipsum Plutonem cœcum natum ab Ethnicis creditum esse narrat, vtpotè qui statim atque homines possederit, eos excœcare soleat, id est omnem ab eis mentem & rationis lumen auferre, & ad inferos ducere, vnde ipsum etiam esse inferni Deum crediderunt, sicque satis agnouerunt quantũ animæ tum in pręsenti, tum in altera vita esset terrenarum rerum sollicitudo noxia. Beatus Pater noster Franciscus, huius rei haud ignarus, hanc nimiam sollicitudinem oderat, atque illam potissimùm quæ in conquirendis illis quæ ad vitam spectant corporis, consistit, apprimè sciens quæ
Matth. 6. habet Christus apud Sanctum Matthęum: *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini.* Et ideò vir ille Dei licet omnibus animalibus affici se significaret, minùs tamen inclinationis & affectus habebat erga formicas quàm erga cætera animalia, & hoc quidem propter nimiam sollicitudinem & diligentiam quam exhibent ad accumulandum pro futuro ea quæ spectant ad alimentum; vnde dicere solebat has non mereri esse de
Matth. 6. numero volatilium, de quibus dicit Dominus: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater cœlestis pascit illa.* Sic docebat ipse suos instar volatilium cor in prouidentia Dei habere, nec instar formicarum sollicitè velle congregare, & cum animi anxietate & diuinæ prouidentiæ diffidentia, cùm talis sollicitudo valdè sit perniciosa, multa inuehens mala tam corpori, quàm animæ quam quidem obcœcat, vt supradictum est.

Tertius modus, quo illa rerum terrestrium & caducarum sollicitudo & cura est multùm animæ noxia, & proindè cauenda est, quia animum paulatim enecat & consumit, & ad res spirituales ac cœlestes appetendas non solùm debilem, sed etiam ineptum reddit, obruit, & suffocat; & proptereà ipsum animum huius sæculi curis immergere, & ad Deum simul attollere velle, est planè impossibile:

Sicut enim vigilia corpus deſiccat, & calorem generat vel auget; ſic rerum terrenarum nimis aſſidua conquiſitio & cura, animum quaſi deſiccat & aridum reddit, nam illum humore pietatis euacuat: amorem verò cupiditatis, vel generat vel vehementer inflammat. Hinc nonnulli in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, honores Eccleſiaſticos eſſe ſpinas animam lacerantes & eius pacem perturbantes, ſatis ſuperque experimento comprobantes, illos reſpuerunt, & ab his ſpinis liberari multùm exoptarunt. Et propterea Vrbanus ſeptimus dum Pontificali veſte linea primùm indueretur, dixiſſe fertur cum ſingultu: Quis credat tam ſubtili indumento, tantum ponderis inuolui? Sanctus Petrus Damiani 1057. cùm à Stephano Papa inuitus ad Cardinalatum & Epiſcopatum Hoſtienſem (qui Epiſcopus primus eſſe ſolet inter Cardinales, & Decanus) eſſet euectus, mox ſpinas ſub honorum roſis eſt expertus, & proindè valdè timens ab eis lędi, maxima inſtantiâ apud Nicolaum ſecundum egit, vt à tanto onere liberaretur, vt habet Hieronymus Rauennus. Similiter Surius refert de Sancto Petro Cælestino qui inuitus ad Pontificatum electus 1294. annum dimidium in ea peregit dignitate, non ſine miris ſpinis, vnde conuocato Cardinalium Conſiſtorio, inter ipſorum manus Pontificatum repoſuit, & ad ſolitudinem rediјt, multa in itinere patrans miracula quibus Deus eam reſignationem contrà calumnias defendebat. De alijs multis paſſim itidem refertur. Multi quoque Reges, Duces, Principes & alij in ſublimitate conſtituti, hos honores etiam ſpinas eſſe lacerantes conſcientiam, probè agnouerunt: Et inter cæteros Rex ille qui Regum diadema gemmis contextum contrectans, & attentiùs conſiderans exclamauit, ô ſplendens corona! quot heu ſub rutilantibus gemmis ſpinas tegis! Qui has probè noſſet, neſcio an te vel de humo dignaretur tollere vt vertici ſuo apponeret. Hinc nonnulli alij ſceptra & diademata omneſque honores tanquam ſpinas inquietudines animi generantes reſpuerunt, & nihili duxerunt, religioſæque vitæ nomen dederunt, vt maiori pace & animorum tranquillitate fruerentur; vnde illorum vnus iureiurando obteſtabatur, ſe plus oblectationis vnâ horâ ſub veſte pœnitentiæ in obſequio Chriſti percepiſſe, quàm omnibus annis quos in Regno ſæculi ſub purpura tranſegerat.

Honores reſpuerunt multi, imò & Eccleſiaſticos.

a Lib. 5. Hiſt.
b 19 Maij.

SECTIO IX.

Sollicitudines aulicorum quàm noxiæ; & quàm fœlices Religiosi ab his liberi.

NON pigebit Aulicorum in curijs Regum & Principum sollicitudines & perturbationes hîc recensere, atque pericula & damna quæ ex his emergunt. Scitè & egregiè de illis loquitur Petrus Blesensis, ipsosque aulicos, sęculi Martyres vocat, dum ait: Pro hac vanissima vanitate militant hodie nostri Curiales in labore & ęrũna, in vigilijs multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione & lassitudine corporis, atque in alijs vitæ detrimentis; in quibus gloriam Martyrij mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent, nunc autem sunt Martyres sæculi, mundi professores, discipuli Curiæ, milites Herculini; per multas siquidem tribulationes intrant iusti in Regnum Cœlorum, hi autem per multas tribulationes promerentur infernum. Idem Blesensis Compendio in Iob in initio, tales Curiæ sollicitudines vocat frixoria & negotiorum làbyrinthos, hęc eius verba sunt: Dum Curialium sollicitudinum frixoria & intricatos negotiorum labyrinthos euaditis, libenter meditamini in Lege Domini, & de diurnis laboribus in lectione sacræ paginæ respiratis. Et profectò non dicam illos verè viuere qui in principum aulis miserè degunt bis serui, & conditione, & voto. Quod aliquis aulicus agnoscens cùm serò tandem sapiens aulæ tempestatibus se subduxisset, inque tranquillæ vitæ portum se recepisset, septimo post anno morti proximus, sepulchro inscribi voluit.

Epist. 14. Sollicitudines Aulicorum noxiæ.

Hic iacet septenarius.
Qui septem vixit annos.

Illos siquidem annos quos in aulæ turbinibus consumpserat, inter vitæ suæ annos computandos minimè esse censebat. ô quam fœlices sunt Religiosi in suis claustris & cellulis, qui à tot tantisque mundi curis & perturbationibus ac strepitu, liberi sunt, & in Deo absconduntur & quiescunt. De illis potest intelligi illud Psalmistæ: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo, &c.* Laudat Virgilius agricolas eò quòd

Pij Religiosi à mundi sollicitudinibus liberi fœlices sunt.

Psal. 30.

quòd inter omnia pace fruantur, dicens, ô fortunatos nimiùm sua si bona norint, agricolas quibus ipsa, procùl discordibus armis, fundit humus facilem victum. Id maiori iure de religiosis possumus asserere, O fortunati nimiùm quibus non terra, sed Deus peculiari prouidentiâ fundit, & parat facilem victum ac cibum, idque procul à tumultibus & perturbationibus mundi. Et hoc dicimus de bonis ac piis Religiosis, qui in religione quasi in cœlo sunt & quiescunt, nam quandóque reperiuntur qui nomine tenùs tantùm sunt religiosi vel solo habitu, qui inquieti viuunt & in sollicitudinibus & perturbationibus, ad modum mundanorum sœcularium. Et de illis posset intelligi illud Isaiæ: *Impij autem quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Et profectò ob eorum inobedientiam suis prelatis, auaritiam, luxuriam, lites, murmurationes, querimonias, detractiones, vindictas, aliásque passiones, & malos affectus, mari feruenti & inquieto, comparari possunt, & proinde grauiori pœnâ quàm sœculares digni sunt. *Isai. 57.*

SECTIO X.

Diuitias etiam vocat Christus spinas bonum semen in anima seminatum suffocantes.

POSTQVAM superioribus sectionibus, de sollicitudinum terrenarum spinis semen patrisfamilias suffocantibus diximus; & quas Christus primo loco recenset: Nunc de diuitiarum spinis idem quoque suffocantibus semen ne fructum referat, & quas secundo loco idem Christus constituit, est dicendum. Aduerte tamen dùm ille diuitias spinis comparat non diuites iustos, misericordes, liberales, ac dispensatores fideles taxare, sed solùm diuites auaros vel vanos, arrogantes, immisericordes & crudeles erga pauperes, vt erat diues ille epulo, de quo habetur apud S. Lucam. Dicit ergo diuitias quibus abutuntur diuites esse spinas, semen diuinum in eorum cordibus suffocantes. Quòd si diuitiæ sunt spinæ, profectò diues ipse rubus & spinetum erit; rubus certè, qualem vidit Moyses, qui ardet & non comburitur; ardet quidem ob inordinatum diuitiarum amorem, & nimiam cupiditatem; non exuritur autem, nec consumitur, quia cor eius in tali deprauato diuitiarum & pecuniarum affectu integrum atque immotum manet, nec erga pauperes ad misericordiam commouetur.

Diuitiæ sunt spinæ suffocantes diuini verbi semen.

Luc. 16.

Sed eccè iudicium Dei longè contrarium æstimationi hominum,

Homines solent diuitias & voluptates rosas appellare, & Deus spinas vocat; *Quis hæc crederet* (ait S. Greg.) *nisi hæc Christus diceret? Quis mihi vnquam crederet si spinas diuitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istæ delectent? & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant; & cùm vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.* Ipsæ porrò diuitiæ (ait Guillelmus de Peraldo in Dominica Sexagesimæ) Spinis assimilantur, primò, quia sicut spinæ ex iam allata S. Greg. auctoritate pungunt, etiam cùm sub flore sunt; ita diuitiæ etsi habeant exteriùs florem gloriæ mundanæ, pungunt tamen mentem triplici punctione, videlicet labore in congregando, timore in seruando, & dolore in amittendo. Et forsitan ob hanc rationem clamat Ieremias: *Terra, terra, terra, audi verbum Domini:* Et fortè triplex illa terra insinuatur apud Prophetam quæ hic describitur apud Euangelistam, terra secus viam, terra petrosa, & terra spinosa, quæ quidem terra triplex non excipit, vt decet, semen verbi Dei; meritò ergo aquila volans per medium cœlum inclamat (ait S. Ioannes in Apoc.) *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Qui sunt qui habitant in terra nisi qui terrenis nimiùm addicti sunt diuitiis quasi terræ affectum figentes? His ergo triplex *væ* nunciatur, *væ* laboris in acquirendo, *væ* timoris in conseruando, *væ* doloris in amittendo. Secundò, sicut spinæ vestes eorum qui illas pertransire conantur dilacerant; ita diuitiæ cor hominis, seu vestem eius interiorem. Quod etiam agnouit Seneca, dum dixit loquens potissimùm de diuitiis; *Proÿce quæ ipsum cor lacerant.* Tertiò, sicut spinæ sunt latibulum serpentium, & aliorum animalium venenatorum; ita diuitiæ Dæmonum, ita vt qui volunt eas accipere, à serpentibus infernalibus mordeantur, & eorum veneno inficiantur. Scitè S. Chrysostomus de ipsis diuitiis sermonem faciens ait: *Diabolus veluti serpens spinis occultatur, intra diuitiarum imposturam assiduè latitans.* Radix omnium malorum cupiditas, materialis scilicet, quia omnibus exequendis peccatis materiam vberrimam præbet, luxus enim, fastus, ambitio, gula, comessatio, rapina, fraus, blasphemiæ & reliqua facinora, diuitem modò decere & ornare videntur, aut certè ei impunè licere. Hinc Psalmista: *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?* id est, qui potentiam tuam exerces iniquè agendo. Et S. Paulus ad Timotheum: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri*, *incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli:* Non dixit Paulus (ait Theophylactus) diuites, sed volentes diuites fieri, potest enim quispiam pecunias habere atque eas probè dispensare, vt supradictum est, quippe qui aspernetur eas atque in vsum pauperum eroget, quod non est volentis ditescere, &c.

Margin notes: Hom. 15. in 8. Cap. Lucæ. — Ierem. 22. — Apoc. 8. — Væ pronunciatur his, qui diuitiis addicti sunt. — Hom 8. in Epistolam ad Rom. — Psal 51. — 1. Ad Tim. 6.

Et S. Chrysostomus in Matthæum; *Potes*, inquit, *dummodò velis, perniciosa hæc germina spinarum incidere, ac diuitiis laudabiliter vti: possumus ita ditari vt non decipiamur, & in hoc sæculo ita conuersari, vt harum rerum curis non submergamur, &c.* Possumus ergo venenum serpentum, hoc est Dæmonum in spinis diuitiarum latitantium effugere, si velimus, si illis diuitiis benè vtamur, ita vt in eorum tentationem & laqueum non incidamus. Vnde sicut spinæ pungunt tantùm manu contracta & pressa, non autem cùm laxa & aperta tenentur; ita diuitiæ nonnisi arctiùs compressæ & validè constrictæ animum mortiferis cruentant aculeis: si enim eas expensa & liberali manu teneant homines, & pauperibus distribuant, nihil eis nocebunt, sed ad meritum prodesse poterunt; sicque sequitur exinde illas esse indifferentes, posséque in bonum & in malum cedere provt quis benè vel malè iis vsus fuerit, vel vt Dominus, vel vt seruus; vt seruus custodiendo, quod serui proprium est; vt Dominus distribuendo quod Domini est. Et hoc est quod habet S. Hieronymus in Matthęum: *Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus, qui autem seruitutis excusserit iugum, distribuit eas vt Dominus.* Quartò, quemadmodum spinæ dolorem inferunt, cùm infiguntur, acriorem cùm infixæ manent, acerrimùm, cùm extrahuntur; sic diuitiæ magnis laboribus acquiruntur, maiori curâ & sollicitudine conseruantur, & inexplicabili tristitia relinquuntur. His ergo benè ponderatis & æqua lance libratis, non mirum si Christus post allatam supradictam parabolam eas fallaces vocet, quia (vt aiunt aliqui) sunt fugaces & instabiles. *Fallacia* (inquit S. Chrysost.) *diuitiarum suffocat verbum.* Rectè dixit Dominus fallacia diuitiarum, quippè cùm nihil aliud in diuitiis sit pręter deceptionem. Quare secundùm eundem Chrysostomum; *Sapientem esse oportet ac cautum hominem, ne ab hâc fallacia diuitiarum decipiatur: difficile est auri argentique pulchritudine non decipi, sed introspice bene quid sint mundana omnia, quàm breui euanescant, & à deceptione liberaberis.* Et S. Gregorius: *Fallaces sunt diuitiæ,* inquit, *quæ nobiscum diù permanere non possunt, fallaces quæ mentis nostræ inopiam non expellunt, & non soluunt quod promittunt, promittunt enim abundantiam, & efficiunt inopiam.* S. item Chrysostomus: *Apparent*, inquit, *diuitiæ potiùs quàm sint, sicque animos hominum ipsis inhiantes & affixos decipiunt quasi verè essent diuites, cùm non sint.* His S. Gregorij & Chrysostomi rationibus, nonnullæ aliæ adferri possent cur diuitiæ fallaces nuncupentur; at his pretermissis quia aliquo modo ad suprà allegatas referri possunt, vnicam subjiciemus, quæ talis est. Diuitiæ ipsæ maximè fallunt quòd dùm sui nos amore capiunt & oblectant, cœlestium amore quæ no-

Hom. 45. in Matth.

Diuites qui diuitiarum spinis non punguntur, quinam sunt.

S. Hieron. in Matth.

Matth. 13.

Diuitiarum fallacia quænam sit.

Hom. 45. in Matth.

In Psal. 4.

Loco cit.

Loco cit.

bis oblata sunt, penitùs spoliant, & hæc est maxima deceptio. Et denique non exigua est deceptio, quòd sicut spinæ vt dictum est in parabola, semen in agro iniectum suffocant, ita amor auri & diuitiarum huius mundi, suffocat cuncta bona desideria quæ semen Dei ac vitæ posset in cordibus nostris producere: Et è contrà in illis nihil aliud producit quàm sollicitudines, distractiones, perturbationes, & graues inquietudines. Et proptereà monet Propheta Ieremias; *Nouate vobis nouale*, Hebraicè; *arate vobis arationem nolite serere super spinas, quia non orietur semen.* Hinc agricolæ radicitùs euellunt spinas, & purgant terram priusquam aratro illam proscindant, vt in eam semen iaciant: Et id denotat animæ nostræ terram, esse diuitiarum, sollicitudinum, voluptatum, &c. spinis purgandam, antequam in eam diuinum injiciatur semen, ne ab illis tandem suffocetur & fructum referre nequeat; sed solùm (quod malum est) oppositos fructus. Quod præclarè paucis complectitur S. Chrysostomus; *Spinæ sunt diuitiæ*, inquit, *nullum afferentes fructum, & aspectu deformes, & vsu iniucundæ, nascentem fructum impedientes; tales sunt diuitiæ, non solùm ipsum fructum non afferunt æternum, sed & fructificare volentes impediunt*: Quòd si fructus aliquos edant, profectò ipsi sunt mali & amari valdè; nam ait Christus: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: Fructus sunt doloris & mœstitiæ qui animos torquent possidentium: Quod testatus est Palladius his verbis; *Aurum doloris est, & curæ filius.* Sed præ cæteris id melius nos docuit Apostolus scribens ad Timotheum; ipse enim de diuitibus loquens ait: *Inseruerunt se doloribus multis.* Optimè & ingeniosè vtitur metaphorâ ab arboribus desumptâ; notum enim est quoduis insitum ex alimento & succo quem ex arbore trahit, vigere, augeri, & crescere: ita diuites arbori doloris & perpetuæ sollicitudinis insiti, doloribus viuunt & cumulantur. Præterea sicut fructus insitiuus retinet aliquem saporem arboris cui fuit insitus ac inseminatus; ita diuitiæ quoniam insitæ sunt dolori, habent innatam amaritudinem, & animi cruciatum: quid ergo magis spinosum & amarum reperiri potest? Has igitur diuitias temporales cõtemptui habeamus, & in virtutibus ac operibus bonis quæ veræ opes sunt, animam nostram excolamus, easq; ambabus vlnis amplecti curemus; has enim diuitias secum conscientia portat, vt in perpetuum locuples fiat. Illæ solùm sunt quærendæ diuitiæ quæ hominem vbique comitentur, & hic commorantem & hinc abeuntem; non verò illæ quæ nimirùm (vt ostendimus) quasi spinæ sementem patrisfamilias suffocant, & mentem in præsenti & altero sæculo pungunt, dilacerant, & perdunt, vt sequenti sectione ostendemus.

Ierem. 4.

Anima nostra est quasi terra, à sollicitudinum, &c. spinis purganda.

Hom. 3. in 2. ad Thessal.

Matth 6.

Palladius.

1. ad Tim. 6.

Diuitiæ innatam habent amaritudinē

SECTIO XI.

Quanta mala spinæ diuitiarum, non in præsenti sæculo solùm, verùm & in morte, iudicio ac altero sæculo, causent.

EX antecedentibus nobis liquidò patet diuitias esse verè spinas semen diuinum suffocantes, & vitiorum latibula, vel malitiæ velamenta, vt eas Diogenes indigitauit, prout refert Laërtius. Vt autem Deus ipse spinas esse ostenderet, eas ad acquirendum difficiles esse voluit, & quamplurimis difficultatibus earum aditum sepiuit, ad modum hortulanorum qui hortos circunsepire spinis solent, vt ab eorum ingressu fures vel pecora prohibeant. Et hoc est quod per Oseam dicitur; *Sepiam vias tuas spinis*, hoc est auiditatem tuam nimiam ad congregandas multis laboribus diuitias spinis & vepribus circundabo, vt agnito periculo tantæ cupiditati renunties: Et tamen mirum est quòd his nonobstantibus è medio tanta non tollatur auiditas; vnde quidam celebris doctor notat, quòd etiamsi Deus in ipsis terræ visceribus & intimis adytis, aurum argentúmque recondiderit, vt nec facilè inueniri nec inuentum nisi difficillimè effodi potuerit, nihilominùs effodiuntur opes irritamenta malorum. At audiant S. Augustinum: *Vt quid terram sollicitas? fossam facis qua descendas, & foueam qua pereas, non in qua quod quæris inuenias. O quanta miseria! potus sitim sedat, famem cibus restinguit, vestis corpus calefacit, & tamen nullæ diuitiæ auaro satisfaciunt.* Idem de diuitiis dicere licebit quod in Medicum competit impostorem: *Pharmacum tuum morbum auget.* Scitè admodùm & appositè Plutarchus in libro de cupiditatibus diuitiarum ait: *A quibus malis liberant diuitiæ, si nec hoc ipsum quidem adimunt malum, sui cupiditatem?* In domo alicuius Domini vel Principis extant serui & ministri, vt ei auxilio sint, & in agendis eum à variis curis liberent, illorum siquidem vnus huic negotio incumbit, & alius alteri, sicque Dominus in illis conquiescit; at è contrà diuitiæ non liberant possessores suos à curis, & molestiis, sed onerant eos curis & sollicitudinibus maximis, grauissimáque eis damna inferunt, & plurimorum sunt causa vitiorum, ac omnis noxij interitus. Inter alios autem pessimos effectus quos ipsæ diuitiæ in animis hominum producunt, superbia est,

Laërtius lib. 6.

Oseæ 2.

Serm. 342. de Tempore.

quæ initium est & caput vitiorum mortalium, cùm tamen nihil in illis sit vnde superbiant. Hinc S. August. in suis quęstionibus Euangelicis ait: *Superbire de diuitiis quæ abundant, & de illis gaudere, tale est ac si vulneratus quis iactet se quòd multa habeat emplastra in domo; cùm hoc illi bonum esset vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro.* Vulnus enim & ægritudo animi est amor diuitiarum. Quare Apostolus ad Timothęum ait: *Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere nec sperare in incerto diuitiarum.* Sublime sapere & sperare in diuitiis, est amore nimiùm eis inhærere; & legem ac mandata Dei obliuisci. In his autem Apostoli verbis illud primò notandum occurrit, quòd Paulus vocat diuites huius sæculi, ad distinctionem diuitum alterius sæculi qui verè diuites sunt; sicut ibi veræ & inamissibiles reperiuntur diuitiæ: Vnde S. Augustinus expendens dicta verba Pauli; *Præcipe diuitibus, &c. Non adderet,* inquit, *huius mundi, nisi quia sunt diuites & non huius mundi, videlicet omnes fideles, quorum princeps & caput est Christus, qui sua paupertate eos ditauit, non enim nobis attulit pecuniam, sed iustitiam, gratiam, sacramenta, bona spiritualia quibus diuitias æternas nobis comparare possumus, hoc igitur attendant diuites huius sæculi & non superbè sapiant, &c.* His suffragatur S. Chrysostomus expendens eadem S. Pauli verba: *Qui dixit diuitibus huius sæculi,* inquit, *demonstrauit & alios futuri sæculi diuites esse, qualis ille Lazarus in præsenti quidem vita pauperrimus, in futura verò diues, non auro & argento, sed arcanis illis bonis quæ neque oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt, hæ namque veræ diuitiæ; sed non talis erat contemptor ille diues, sed omnium pauperrimus factus est, &c.* Vbi autem nos habemus, *Nec sperare in incerto diuitiarum,* ex Græco habetur, *In incertitudine diuitiarum.* Tanta enim est illarum incertitudo, vt qui hodie est Crœso ditior, cras sit Iro pauperior: Et hinc S. Chrysostomus diuitias vocat seruum fugacem seu fugitiuum, infidum & ingratum, cui si innumera vincula injicias, sic quoque cum ipsis vinculis aufugit: quid ergo diuitiis infidelius? quid miserabilius his qui circà illas suum collocant studium, cùm tam subitò & inopinatò suos deserant possidentes, & illos pauperes ac miseros, veris diuitiis priuatos, reddant? Concludit itaque & rectissimè Apostolus non esse in earum incertitudine sperandum: nam profectò potius vmbræ sunt bonorum ob talem incertitudinem & facillimam amissionem, quàm vera bona. Qui ergo illas consectantur similes sunt cani Æsopico vmbram consectanti, & id quod habet amittenti: vmbras quippe bonorum quærentes, veris bonis exci-

Lib. 2 q. 29.

1. Ad Tim. 6.

Diuitiæ spernendæ ob tot difficultates, eis annexas ac earum incertitudinē.

Serm. 212, de Tempore.

Hom. 2, ad populum Antioch.

Hom. in Eutrop.

dunt, nec assequuntur quod ambiebant. De his videtur loqui Isaïas, dum ait: *Telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt in vestimentum, opera eorum inutilia.* Aranea se totam euiscerat vt telam amplam texat quâ muscas capiat, quam vbi texuerit vnico scopæ ictu dissoluitur: ita de diuitibus iudicandum, qui amplissimam diuitiarum telam texere conantur, sed vix texuerunt quòd aduerso fortunæ flatu, miserè dissoluuntur & pereunt. O res sanguineis lacrymis deploranda! quemadmodum enim spinæ nonnisi in extremitate aculeos gerunt & pungunt, cùm reliquum corpus planum ac tractabile sit, ita spinæ illæ diuitiarum quæ nunc videntur dulces & iucundæ, immò quasi rosæ odoriferæ, in extremitate hoc est in morte & extremo vitæ horribiliter pungunt; & longè magis quàm in præsenti vita ob laborem in acquisitione, timorem in possessione, & dolorem in amissione, punxerint. Vnde Sapiens: *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis,* id est qui in diuitijs tanquam in summo quodam bono conquiescit, qualis ille erat, qui apud Sanctum Lucam animæ suæ dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare;* dulces & iucundæ illi diuitiæ erant, sed vide aculeum itá in extremo pungentem, vt sanguinem elicere videatur: *Stulte hâc nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Quandoque solent pueri in rosa pulcherrima spinam abscondere, vt alij olfacientes pungantur, & sic decipiantur: ita Dæmon solet diuitiarum pulchritudine in quibus latet spina homines decipere, & sic sese deceptos inueniunt in extremo vitæ. Et ita adhuc multò magis in iudicio erit grauis punctura, tum in particulari iudicio post mortem, tum in vniuersali, quando iudex Summus Christus veniet, & congregabuntur ante eum omnes gentes, tunc enim illis diuitibus qui suis abusi sunt diuitijs, nec in pauperes erogarunt, dicet: *Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere;* Et tanta erit illa punctura, vt tunc miseri auari exoptabunt non esse: *Dicent montibus cadite super nos, & collibus operite nos.* Quòd si spinæ illæ diuitiarum, sic in morte & post mortem vtroque in iudicio pungant, multò adhuc magis in inferno, vbi auari illi miseri perpetuò ardebunt & cruciabuntur; quemadmodum enim spinæ sunt materia ignis; sic diuitiæ materia ignis cupiditatis in præsenti, & ignis infernalis in futuro. Vnde Psaltes Regius; *Exarserunt sicut ignis in spinis;* Et apud Isaïam: *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Scitè Petrus Chrysologus loquens de auro quæ pars potior diuitiarum censetur, docet illud sui amatores cultoresque ad inferna deducere,

Isai. 59.

Diuitiæ veluti spinæ pungunt, maximè in morte, iudicio & altero sæculo.

Eccles. 41.

Luc. 12.

Matth. 25.

Isai. 32.

Serm. 29.

quæ initium est & caput vitiorum mortalium, cùm tamen nihil in illis sit vnde superbiant. Hinc S. August. in suis quęstionibus Euangelicis ait: *Superbire de diuitiis quæ abundant, & de illis gaudere, tale est ac si vulneratus quis iactet se quòd multa habeat emplastra in domo; cùm hoc illi bonum esset vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro.* Vulnus enim & ægritudo animi est amor diuitiarum. Quare Apostolus ad Timothęum ait: *Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere nec sperare in incerto diuitiarum.* Sublime sapere & sperare in diuitiis, est amore nimiùm eis inhærere; & legem ac mandata Dei obliuisci. In his autem Apostoli verbis illud primò notandum occurrit, quòd Paulus vocat diuites huius sæculi, ad distinctionem diuitum alterius sæculi qui verè diuites sunt; sicut ibi veræ & inamissibiles reperiuntur diuitiæ: Vnde S. Augustinus expendens dicta verba Pauli; *Præcipe diuitibus, &c. Non adderet,* inquit, *huius mundi, nisi quia sunt diuites & non huius mundi, videlicet omnes fideles, quorum princeps & caput est Christus, qui sua paupertate eos ditauit, non enim nobis attulit pecuniam, sed iustitiam, gratiam, sacramenta, bona spiritualia quibus diuitias æternas nobis comparare possumus, hoc igitur attendant diuites huius sæculi & non superbè sapiant, &c.* His suffragatur S. Chrysostomus expendens eadem S. Pauli verba: *Qui dixit diuitibus huius sæculi,* inquit, *demonstrauit & alios futuri sæculi diuites esse, qualis ille Lazarus in præsenti quidem vita pauperrimus, in futura verò diues, non auro & argento, sed arcanis illis bonis quæ neque oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt, hæ namque veræ diuitiæ; sed non talis erat contemptor ille diues, sed omnium pauperrimus factus est, &c.* Vbi autem nos habemus, *Nec sperare in incerto diuitiarum,* ex Græco habetur, *In incertitudine diuitiarum.* Tanta enim est illarum incertitudo, vt qui hodie est Crœso ditior, cras sit Iro pauperior: Et hinc S. Chrysostomus diuitias vocat seruum fugacem seu fugitiuum, infidum & ingratum, cui si innumera vincula injicias, sic quoque cum ipsis vinculis aufugit: quid ergo diuitiis infidelius? quid miserabilius his qui circà illas suum collocant studium, cùm tam subitò & inopinatò suos deserant possidentes, & illos pauperes ac miseros, veris diuitiis priuatos, reddant? Concludit itaque & rectissimè Apostolus non esse in earum incertitudine sperandum: nam profectò potius vmbræ sunt bonorum ob talem incertitudinem & facillimam amissionem, quàm vera bona. Qui ergo illas consectantur similes sunt cani Æsopico vmbram consectanti, & id quod habet amittenti: vmbras quippe bonorum quærentes, veris bonis exci-

Lib. 2 q. 29.

1. Ad Tim. 6.

Diuitiæ spernendæ ob tot difficultates, eis annexas ac earum incertitudinē.

Serm. 212, de Tempore.

Hom. 1. ad populum Antioch.

Hom. in Eutrop.

dunt, nec assequuntur quod ambiebant. De his videtur loqui Isaïas, dum ait: *Telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt in vestimentum, opera eorum inutilia.* Aranea se totam euiscerat vt telam amplam texat quâ muscas capiat, quam vbi texuerit vnico scopæ ictu dissoluitur: ita de diuitibus iudicandum, qui amplissimam diuitiarum telam texere conantur, sed vix texuerunt quòd aduerso fortunæ flatu, miserè dissoluuntur & pereunt. O res sanguineis lacrymis deploranda! quemadmodum enim spinæ nonnisi in extremitate aculeos gerunt & pungunt, cùm reliquum corpus planum ac tractabile sit, ita spinæ illæ diuitiarum quæ nunc videntur dulces & iucundæ, immò quasi rosæ odoriferæ, in extremitate hoc est in morte & extremo vitæ horribiliter pungunt; & longè magis quàm in præsenti vita ob laborem in acquisitione, timorem in possessione, & dolorem in amissione, punxerint. Vnde Sapiens: *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis*, id est qui in diuitijs tanquam in summo quodam bono conquiescit, qualis ille erat, qui apud Sanctum Lucam animæ suæ dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; dulces & iucundæ illi diuitiæ erant, sed vide aculeum itâ in extremo pungentem, vt sanguinem elicere videatur: *Stulte hâc nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Quandoque solent pueri in rosa pulcherrima spinam abscondere, vt alij olfacientes pungantur, & sic decipiantur: ita Dæmon solet diuitiarum pulchritudine in quibus latet spina homines decipere, & sic sese deceptos inueniunt in extremo vitæ. Et ita adhuc multò magis in iudicio erit grauis punctura, tum in particulari iudicio post mortem, tum in vniuersali, quando iudex Summus Christus veniet, & congregabuntur ante eum omnes gentes, tunc enim illis diuitibus qui suis abusi sunt diuitijs, nec in pauperes erogarunt, dicet: *Esuriui & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi bibere*; Et tanta erit illa punctura, vt tunc miseri auari exoptabunt non esse: *Dicent montibus cadite super nos, & collibus operite nos.* Quòd si spinæ illæ diuitiarum, sic in morte & post mortem vtroque in iudicio pungant, multò adhuc magis in inferno, vbi auari illi miseri perpetuò ardebunt & cruciabuntur; quemadmodum enim spinæ sunt materia ignis; sic diuitiæ materia ignis cupiditatis in præsenti, & ignis infernalis in futuro. Vnde Psaltes Regius; *Exarserunt sicut ignis in spinis*; Et apud Isaïam: *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Scitè Petrus Chrysologus loquens de auro quæ pars potior diuitiarum censetur, docet illud sui amatores cultoresque ad inferna deducere,

Isai. 59.

Diuitiæ veluti spinæ, pungunt, maximè in morte, iudicio & altero sæculo.

Eccles. 41.

Luc. 12.

Matth. 25.

Isai. 32.

Serm. 29.

Lib. 1. ad Eccles. Cathol. audienda sunt illius verba: *Nascitur in terra profunda, & dum suam semper repetit naturam, cœlestes animos ad inferna deponit.* Cui consonat Saluianus qui de diuitijs hoc habet: *Dum vti diuitijs bene nolunt, ipsas sibi diuitias in tormenta conuertunt.* Et proindè admodum Psalm. 48. scitè habet S. Chrysost. in illud Psalmistæ: *Noli timere cùm diues factus fuerit homo: Iam verò diuitiæ, inquit, huic sunt tortore acerbiores, tortor enim corpus vincit, diuitiæ verò animam vinciunt, adeò tamen homines desipiunt, vt hos tortores non arceant hos carnifices.*

Lib 4. Comment. in Alphonsum. Ad hoc propositum Æneas Syluius hęc sequentia narrat, Sigismundus Cæsar, ex Vngaria quadraginta millia nummorum aureorum accipiens, vbi noctu in quos conuerteret vsus sollicitè cogitaret, per cubicularios ocyus Consiliarios omnes & Duces militum conuocauit, & aperta arca, ecce (inquit) somnum mihi eripuerunt, accipite & inter vos diuidite, vt mihi trãquillè dormire liceat: & illis cum pecunia distributa discedentibus, recedit iam (ait) à me tortor ille qui me flagellauit, securiùs iam quiescam. *Hæc Syluius.* Igitur qui requiem amat, diuitiarum tortores expellat, eliminet sæuos hos carnifices qui ita amatores suos cruciant & torquent, requiémque ab illis auferunt, non solùm in pręsenti sæculo, verumetiam (quod est magis timendum) in altero apud inferos. Et his conuenit quod nonnulli docent, diuitias ipsas ad modum viperarum se habere, nam necare matrem vipera traditur, dum nascitur, idem & diuitiæ pręstant, vt rectè notat Hugo Carensis: Et quemadmodum vipera In Cap. 11. Prouerb. viru non caret, quo homines inficit & necat, ita diuitiæ possessores suos viru & veneno suo inficiunt & necant, quod si in hac vita solùm contingeret, exiguum esset damnum; sed si perpetuum tale virus in miseros auaros transferatur, quid horribilius? Sed nónne his maximè titulis ipsæ diuitiæ, spinæ sunt nuncupandæ? Experitur sanè diues ille epulo apud Sanctum Lucam, qui epulabatur quotidie splendidè, & pauperi Lazaro mensæ suæ micas denegabat, quantùm illæ diuitiarum spinæ quas in hoc mundo tanti fecit, illum in Luc. 16. inferno pungant; habet enim Sacer Textus: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*: & post pauca: *Crucior in hac flamma.*

SECTIO

SECTIO XII.

De voluptatum spinis, quæ diuinum semen in animam, à summo satore iniectum, suffocant.

NON solùm Christus sollicitudines vitæ & diuitias, dicit esse spinas, semen diuinum à supremo satore in agrum animæ iniectum, suffocantes, impedientésque ne fructum referat, verumetiam tertio ordine his addit vitæ voluptates, hæ enim non minùs quàm illæ noxiæ sunt, nec minùs diuinum illud semen suffocant ne fructificet. Et hinc etiam Chrysostomus eas vocat spinas, quanquam dulces & molles videantur. Docent etiam multi alij sancti Patres voluptates quas Christus dicit diuinum semen suffocare, esse potissimùm gulæ siue luxuriæ, quamuis alij etiam eas ad honores & gaudia terrena referant, & dicunt voluptuarios porcis solere comparari, ante quos margaritas projici vetat Christus, hoc est cœlestia administrari, ne pedibus ea conculcent, id est ne fœdis affectibus commaculent, suffocent, & fructus producere impediant. Quod considerans S. Basilius hæc habet: *Quemadmodùm sues qui in cœno se obuoluunt, continuò sibi lutum augent; sic hi fœditatem ex voluptate singulis diebus affricant sibi & aspergunt.* Hinc dicere possumus horum qui voluptates sectantur iudicium, nihil à brutis differre, quæ vt hordeo vel fœno magis delectantur quàm auro, quædam etiam ipso luto, vt porci; sic isti carnis voluptatibus etiam sordidissimis magis quàm cœlesti sapientiâ, quæ super aurum & Topazium desiderabilis est, oblectantur. Et Inde nonnulli inferunt, quòd sicut porci animalia sunt sordidissima, ita voluptuarij ad turpissima sunt vitia procliues, ad gulam, luxuriam, &c. Nam nihil æque ac ipsa voluptas in mentis nostræ agro non solùm peruersas ingenerat inclinationes, quæ instar densarum spinarum suffocant germen boni desiderij & radicem seminis cœlestis, sed etiam vitiorum monstra parit. Vnde non sine ratione vitiorum mater, & quasi vberrimus fons vocitatur, vt scitè admodùm sanctus Marcus Eremita de lege spirituali ait: *Sicut virtutes laboribus, sic etiam vitia voluptatibus procreari consueuerunt.* Magna itaque à voluptatis matre est expectanda soboles, nisi coërceatur, etsi enim sterilis in bono sit, nihilque proficui possit parturire, in malo tamen valdè fœcunda est, & vt mater scelerum ipsis gignendis nata, quæ verè monstra nimiùm horrenda

Hom. 45.

In Psal. 1.

Voluptatem esse vitiorum matrem, quæ vt monstra gignit, latè ostenditur.

S. Marcus Eremita.

vocari possunt. Monstra dicimus si non omnia membra humani corporis proportioni consonent; maius monstrum est si affectus non consentiant animo & rationi, at vt non consentiant sicut decet, impedit voluptas, & propterea non solùm dicitur ipsa vitiorum monstra gignere, verumetiam robustissimum est omnium vitiorum.

Lib. 2. pag. 127. Aiunt Scythæ auctore Diodoro Siculo, virginem ex terra apud se natam, cuius forma cingulo tenus fœminam, inferiùs viperam repræsentabat, & cum hac Iouem congressum Scytham genuisse. Profectò non videntur illi fabulam finxisse, sed potius voluptatem veris coloribus pinxisse, cuius caput atque introitus virginem referat pulcherrimam, & amabili venustate renidentem, finis autem in viperam & draconem horribilem defluat, & cum hac Stygius & luxurians more suo Iupiter, id est voluptuosus si commisceatur, non Scytham sed immane quoddam monstrum, hoc est peccatum aliquod & graue scelus, progignet. Quare de vi periculóque voluptatis grauissima tùm scripturæ tùm sanctorum Patrum dicta reperiuntur, quibus constat pronum ab illa pandi ad vitium iter, atque ad certam animi perniciem; & primùm id ex scriptura facilè constat; habet enim Psal. 72. Regius vates: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*, signatè ex adipe, ex deliciis scilicet & voluptatibus; nam iniquitates fœcundissimè parturiunt, vt præclarè notauit Euthimius in præfatum psalmi verbum: *Per adipem*, inquit, *delicias eorum intelligit, dicens quod tanta eorum iniquitas ex multis prouenit deliciis.* Id profectò naturali etiam lumine innotuit Diogeni, nam cùm iuuenem quendam obuiam habuisset, interrogauit eum sic; Quò progrederis? Respondit adolescés, inuitatus ad conuiuium proficiscor; cui statim Diogenes, abi, sed peior remeabis. Sciebat enim ille sapiens Cynicus in huiusmodi deliciis linguam solui, ventrem distendi, mentémque corrumpi; verè igitur voluptas occasio est malorum, eorumq; est valdè liberalis, & hoc solo titulo millies est abominanda. Hinc quidam grauissimus Pater, ipsam vocat scelerum fornacem, nequitiæ fodinam, damnorum metropolim, vitiorum alueum, improbitatis philtrum, totius malignitatis contagium, dementandi artificium. Et proinde Archytas ita sapienter precabatur, insaniâ potiùs quàm voluptate corripiar, nam mẽtem ad iniqua rerum iudicia subornat. Quod damnum inuenies, cuius rea voluptas non sit? ipsa sapientissimos dementauit, vide Salomonem, ipsa peruertit iustos, vide Dauidem; ipsa fortissimos eneruauit, vide Samsonem, vide Milonem. Totum infortunium naturæ voluptas est, maximus mentis casus, & vt sic dixerim, animi exanimatio, motum omnem ad bonum interdicit. Pessimum hunc morbum multi para-

lysim vocant, impedit enim omnem mentis functionem, & eius principem lędit partem. Subitus est raptus & maximus animi morbus, de quo præ reliquis occurrit nobis audiendus S. Chrysostomus: *Multa tibi*, inquit, *opus est consideratione & diligenti scrutatione, sicut enim pueri terra laqueos, sic Diabolus vitæ voluptatibus peccata circuntexit, sed agnosce perscrutans diligenter.* Vbi igitur voluptatis apparet facies, ibi peccati timēdum est virus. Vnde benè de illa dixit alius quidam insignis Pater; Nullum est adeò immane flagitium, quod suis amatoribus voluptas non persuadeat, omni eloquentia maior; Ita vt egregiè dixerit S. Cyrillus Alexandrinus: *Illi quibus voluptas persuasa est, procliues in quoduis absonum flagitium prolabuntur.* Et ea est ratio vt reor, cur sanctus Gregorius Nyss. illam vocat patronam, quòd omnium propè vitiorum patrocinium suscipiat, nullum est enim maleficium tam horrificum & abominandum, cui non sua patrocinetur voluptas, ad quod non gustus quidam suauitatis alliciat; & contrà alienus à voluptatibus, non facilè se in immania scelera trahi sinet. Inter alia autem vitia quæ ab ipsa voluptate gignuntur, non mediocrem tenet locum illud de quo in suprà allata parabola ait Christus, ipsam videlicet voluptatem ad modum spinarum, verbum Dei auribus corporis in concionibus perceptum, & quodcumque aliud bonum semen in agro animæ seminatum, suffocare, & impedire ne radices figat, & desideratum fructum adferat: Et quodnam vitium peius? illud enim non solùm in se vitium est, & multorum causa, verumetiam quodcumque bonum simùl cum Dei verbo à se abigit, arcet, splendorem calorémque Solis supernè illuminantis & fœcundantis, succumque ac pinguedinem terræ animæ exugit, quæ bono semini nutriendo esse deberet, omnem scilicet deuotionem & vnctionem mentis arefacit. Hi qui ipsi voluptati addicti sunt, similes sunt Proconsuli Romano Fœlici, de quo habetur in actis, cùm enim S. Paulus coram illo disputaret, *De iustitia & castitate & de iudicio futuro,* tremefactus fuit, & clementer Paulum dimisit, sed voluptates sœculi quibus abundauit, verbum salutis in eo suffocauerunt: Vt enim simia suam deformitatem in speculo conspiciens, ipsum speculum si potest irata confringit, sic voluptuarij videntes suas turpitudines damnatas in verbo Dei tanquam in speculo, illius prędicationem exosam habent, & prorsùs non fieri vellent; Sicut etiam sensus morbo deprauatus, quod dulce est iudicat amarum, sic animus prauis affectibus & mundi deliciis corruptus, suauia dulcissimáque Dei verba amara & insuauia existimat; & vt Sues rosas projiciunt, & lutum quęrunt, sic voluptuarij siliquis porcorum cum filio prodigo vescuntur & delectantur, sicq; verbi Dei gustum non habent. Quemadmodum etiam

Hom. 15. ad populum.

Lib. de adoratione ad Pallad.

Act. 24.

aues auroram manè aduenientem garritu strepituq; excipiũt, noctuæ verò & vespertiliones fugiunt, se seque in penitissimas cauorum suorum partes abdunt; sic voluptuarij lucem diuini verbi fugiunt, vel Ecclesia exeunt, cùm habenda concio est, vel si manent, eis vix arridet concionator, vel illum reprehendendi occasionem sumunt; boni autem & probi viri libenter audiunt, & laudant ac seruant quæ dicuntur: vnde Sapiens; *Audiuit luxuriosus verbum sapiens, & displicebit illi, & proyciet illud post dorsum suum*, id est, anima eius per concupiscentias carnis tanquam per immodicos æstus arefacta, paulatim sterilescet, & pristinis floribus, frondibus, ac fructibus si quos emiserat, spoliabitur.

Eccl. 21.

SECTIO XIII.

Voluptates nunquam hominis animum satiant, & homines effœminatos reddunt.

Voluptates hominis animum non satiant.

DVÆ sunt huius sectionis partes; quoad primam, non exigua est cæcitas & imprudentia quærere & amplecti voluptates & delicias, quas Christus diuina sapientia spinas vocat diuinum suffocantes semen, cùm animas nostras haud satiare & replere queant. Hinc de ijs qui tales insequuntur delicias videtur loqui Propheta Oseas: *Comedent & non saturabuntur.* Vbi Sanctus Hieronymus rem refert ad ipsas voluptates & delicias, quibus quantumcumque se misera anima velit replere, nusquam tamen satiabitur, sed præ dulcedine ficta insatiabilis est, & quantò magis capitur, tantò plus vtentibus se famem creat, &c. sumptáque videtur metaphora à cibis fallacibus & exigui momenti, qui cùm non sint substantiales & solidi, famem nullatenùs mitigant: quod optima loquendi methodo dixit diuinum oraculum apud Isaïam: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* & sensus horum verborum is est, quare si quid vobis argenti est, illud non emendis panibus, hoc est cibis substantialibus & solidis quales sunt spiritualia bona, sed rebus alijs inanibus & futilibus, quales sunt huius sæculi deliciæ & voluptates impenditis? Quare vos ipsos laborando conficitis in talium rerum comparatione, quæ famem vestram satiare non possunt? His videtur adstipulari diuinus Plato, vt refert Tullius in libro de Senectute, dum escam malorum voluptatem appellat, quia ea homines capiuntur vt pisces hamo;

Osea 4. *S. Hieron.* *Isai. 55.*

Et absit quòd tali esca satientur, quin potiùs interitum eis infert. Vnde in Saturnalibus dicitur, quòd Socrates solitus erat suadere cibos illos potúsque vitandos, qui vltrà sitim famémue sedandam producunt appetentiam, hoc est nulla ratione satiant, & nónne huius generis sunt huius mundi voluptates & deliciæ? *1. Satur.*

Quantum ad secundam sectionis partem attinet, omnes experiétiâ norunt ipsas voluptates homines reddere effœminatos, quamuis aliàs valdè strenui sint; eodem ferè modo sicut Syrenes nautas & milites Vlyssis canendi illecebris eneruarunt: Vnde Sanctus Ambrosius Syrenum fabulam longè prosequutus ait: *Quid sibi vult puellarum, (id est Syrenum) figura, nisi eneruatæ voluptatis illecebra, quæ constantiam captæ mentis effœminat?* Quibus verbis constat voluptates quasi Syrenas suo dulci cantu molles & effœminatos, atque ad quodcumque bonum ineptos & eneruatos reddere homines, vt meritò eos dixerit Poëta fœminas potius quàm viros. *Voluptates reddunt homines effœminatos.* *Præfat. ad lib. 4. in Luc.*

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Huius rei non ignarus Cornelius Scipio Consul (vt refert Valerius) in Hispaniam missus, eo momento quo castra intrauit, edixit vt omnia quæ voluptatis causâ erant auferrentur & submouerentur; nouerat enim vir industrius voluptatem homines emasculare & debilitare. *Lib. 2. cap. 2.*

Vnde narrat Magister in Historijs, quòd Cyrus Rex Persarum non valens bellis sibi subiugare gentem Lydiarum, strenuam in armis & bellicosam, finxit cum eis amicitiam, & vt eos redigeret in vecordiam sub specie amicitiæ tradidit eis solemnitates & ludos, vt ludis & voluptatibus vacarent; quibus vacantes quasi effœminati virtutem & artem bellicam perdiderunt, & sic per voluptates temporales superauit quos armis superare non poterat. Non secùs mundus ipse & Diabolus voluptates & carnales delectationes offerunt, & nos eis delibutos exoptant vt peccatis subijciant, & succumbere faciant. Ita olim Pœni, Romanos quibuscum bellum gerebant, omnibus delicijs delibutos exoptabant, vt eos pariter haberent omnibus præsidijs militaribus destitutos, satis enim illis innotescebat, quòd vbi vigent prophanæ voluptates, ibi virtutes bellicæ marcescunt, & qui illas sectantur facilè vinci & superari possunt, cùm quasi effœminati ob delicias existant. Dari potest exemplum de Israëlitis, qui postquàm delicijs & voluptatibus se tradiderunt, cœperunt esse (vt loquitur Tertullianus) in pace Leones, in bello cerui, iíque fugacissimi, terga vertentes, sicut de filijs Ephrem dicit Psalmista: *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli.* Notant aliqui non in ipso bello, sed in die belli hoc est etiam ante *Psalm. 77.*

ante initium belli se in fugam coniecisse; & cur hoc, nisi quia priùs à voluptatibus eis à Dęmone & mundo oblatis, superati fuerant?

SECTIO XIV.

Voluptates citò pereunt, & tamen corpori valdè sunt noxiæ, & multas animæ infligunt amaritudines.

Voluptatum breuitas & ugacitas.

DVÆ sunt hae in Sectione partes. Quoad priorem voluptatis breuitas & fugacitas tanta est, vt rebus omnibus etiam ignobilioribus & exigui momenti atque quàmcitissimè deficientibus cōpa-retur: & primo somnio, nam sicut voluptatis somniū dormienti placet, & vt somnium quo minùs putat, statim euanescit: sic breuis voluptatis delectatio ac vanus honorū splendor, tanquam somnium somnianti euanescunt. Quod somnium somnianti euanescens graphicè Sanctus Gregorius in Moralibus exprimit, cùm illud alijs etiam multis rebus velocissimè depereuntibus comparat, videlicet fœni floribus, qui subitò marcescunt & cadunt: Et huic consonat Sanctus Clemens Alexandrinus dicens, voluptates & delicias tanquam caducum & breuem florem vento & igni esse relinquendas. Sanctus item Gregorius eas comparat stipulæ quæ aurarum flatu in altum rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. Comparat item fluuio qui ad nubila attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Item comparat nebulæ quæ ab infimis descendendo se erigit, sed exortus Solis radius illam ac si non fuerit, abstergit, prætereà illas comparat humori roris nocturni, qui in herbarum superficie spargitur, sed diurni luminis calore subitò siccatur. Et denique comparat spumosis aquarum bullis, inchoantibus pluuijs excitatis, quæ ab intimis certatim prodeunt, sed eò celeriùs diruptæ depereunt, quò inflatæ citiùs extenduntur, cúmque excrescunt vt appareant, crescendo peragunt ne subsistant: vnde quidem ait.

Lib. 17. c. 5.

Adhort. ad Gentq.

Voluptates quibus comparentur.

Vix orta simul dispérit vt bulla voluptas.

De illis igitur voluptatibus, delicijs, & honoribus, & vt de viris iniquis elatione temporalis gloriæ tumentibus, sed exiguo admodum tempore durantibus, dicitur rectè illud quod habet Iob: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent*; marcescit enim velut in ictu oculi vniuersa illorum gloria, & citò deperit, iuxtà etiam illud quod pręclarè docet Seneca: *Citò nos voluptas relinquit, quæ fluit & tran-*

Iob. 24.

Ad Polib.

sit, & penè antequàm veniat aufertur. Et luculentiùs S. Chrysost. hæc habet: *Quænam sæcularium quæso voluptatum vtilitas? hodie sunt, cras elabuntur, hodie flos pulcherrimus, cras aridus puluis; hodie ignis ardens, cras cinis extinctus; spiritalia tamen perpetua, clara floridáque & in dies splendidiora permanent:* Tam igitur fugaces sunt terrenæ voluptates, deliciæ, & honores, vt alas habere videantur, statim enim ac aduenerunt aliò aduolant, diúque apud suos amatores manere nesciunt, vt docet idem S. Chrysost. *Quid vilius*, inquit, *quid abiectius humanâ voluptate, quæ simul aduenit & auolat, languescit fugitque antequam comprehendatur?* Suffragatur Helias Scholiastes Sancti Gregorij Nazianzeni, ostenditque ipsas voluptates disperire, & in nihilum abire, scriptionis exemplo quæ in aqua fit his verbis: *Vt qui in aqua scribunt scriptionem quidem per manum operantur, litterarum notas in liquido elemento fingentes, verùm nulla nota in figura remanet; eodem modo voluptuarium omne studium, & actio in ijs quæ fiunt extinguitur, simul enim atque actio finem habuit, voluptas quoque deleta est, nec quicquam posteà reseruatur.* Maximum propterea Simplicius hoc naturæ beneficium agnouit, breuitatem voluptatum, ne diu insani essemus. Quo etiam fit vt nonnulli ipsas quoque dignitates & honores verè significari in Sole, Luna & Stellis, quæ per somnium vidit Ioseph filius Iacob, graphicè docuerint; & inter alios Abulensis, Lyranus, & Cajetanus, quia sicut illa omnia perpetua motione, immò oppositis lationibus feruntur; sic & dignitates sæculi, ac voluptates, nullam prorsùs quietem habent aut permanentiam, Deo ita volente & disponente: Et quis ei resistere potest? & quamuis aspectu sint lucidæ sicut corpora cælestia, instar tamen eorum sunt instabiles & cõuertibiles atque perpetuâ varietate rotantur & volubiles sunt. Quidam elegantissimus Pater id disertè docet, dum ait: nequit bonum esse voluptas, turbida fluit, immò præterfluit velut aqua perforato dolio. Elegantem istam voluptatis imaginem non Architas aut Plato aliquis vindicet, è diuinis eloquiis est, vnde extranei vsurpauêre; permanebo in illa vt genus voluptatum distinguam: nulla plena est nisi è cœlo, nisi in Deo. Pertusum dolium non vidisti plenum, nisi in flumine aut pelago; ideò Dauid voluptatem cælestem ab impetu fluminis demonstrat. Aliæ voluptates in sicco sunt, dilabuntur, non occupant, depleto semper corde transeunt, nec adhuc breuissimo stant, sed celeriter currunt: certè hac solum inuidiâ contemnendæ, etsi alioqui insontes, *Hæc ille.*

Hom. 43. in ioan.

Hom. 17. in Ioan.

Voluptatum, & honorum fugacitas.

Orat. 10.

Quoad posteriorem verò partem attinet, quòd videlicet voluptates ipsæ sint iam in præsenti sæculo noxiæ, & multas animæ in-

Voluptates corpori sunt noxiæ, &

fligant anxietates, habemus ex eo quod habet Sapiens in suo Sapientiæ libro, vbi voluptuarios introducit dicentes: *Coronemus nos rosis antequàm marcescant.* Per rosas quibus coronari exoptant, huius sæculi voluptates multi intelligunt, nam sicut rosa celerrimè marcescit & transit, vnde fugacissima dicitur, sicut expendunt SS. Basilius[a], & Ambrosius[b], conformiter ad id quod habet Plinius[c]; ita voluptates & honores citò marcescunt, abeunt, & pereunt. Et sicut ex eodem Plinio[d] rosa vix sine punctione & dolore percipitur aut colligitur, non enim floret & crescit nisi inter spinas, sic voluptas nunquam sine spinis & angoribus reperitur, & proindè nunquam sine aculeo & puncturâ percipitur; nam si primò de corpore agatur, experientia nobis satis constat eas multùm corpori nocere, eos enim qui se voluptatibus dederunt multis morbis & infirmitatibus laborare conspicimus, vt membrorum tremore & dissolutione ac tabe, pedum grauedine, manuum cruciatibus, & multis alijs grauibus & insanabilibus morbis, vt prçclarè aduertit Sanctus Chrysostomus. *Quis,* inquit, *non voluptatum rosas innumerabilibus morborum & infirmitatum spinis circundatas?* Hinc antiqui voluptatis idoneum symbolum rosam spinis septam, propter odorem tamen & colorem, amabilem esse voluerunt, cum hoc lemmate: *Abigitque trahitque,* vt clarè innuerent quòd quamuis ipsa prima fronte amabilis videatur, & proindè imprudentes homines ad illam amplexandam attrahit, quia tamen vepribus & spinis hoc est multis angoribus & doloribus est septa, & citò vt rosa marcescit, illos abigit.

multas animæ infligunt anxietates
Sap. 2.
a Hom. postrema Hexamerō.
b Lib. 3. c. 11.
c Lib. 21. c. 1.
d Loco cit. cap. 4.
Orat. 6. de fato.

Si etiam de anima sermo fiat, ipsa quoque experientia comperimus, voluptates ipsas ac delicias, non minores amaritudines & anxietates ipsi animæ quàm corpori infligere: hinc notant quamplurimi quòd etiamsi primâ facie voluptas mel videatur, in fel tamen desinit, iuxtà illud quod habet Sapiens in Prouerbiis: *Extrema gaudij luctus occupat:* id expresse docet Sanctus Ambrosius: *Fauus quidem mundi est voluptas, sed nouissima amariora sunt felle,* hinc est quòd Lex diuina mel à sacrificijs ablegauerit, vt nos erudiret voluptatem esse fugiendam, quæ licet extremâ sui specie, mellis præ se ferat dulcedinem, in fel tamen finit amarissimum; & vt cum Sancto Cyrillo Alexandrino loquar: *Exitum bile amariorem sortitur:* & hinc nonnulli intelligunt ad eundem sensum hæc verba Ieremiæ: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absinthio?* nulla enim tam pura voluptas quàm amaritudo, absinthium, & fel non inficiant, itavt non tantùm post voluptatem dolor sit & anxietas, sed cum ipsa; adhuc cùm est felle est grauida, & vndique absinthij humore delibuta, & semper magnum protendit dolorem. Hinc quidam

Prou. 14.
Serm. 25.
Leuit. 6.
Hom. 1. de festo Pascha.
Thren. 3.

dam celeberrimus Doctor apprimè notat Deum solere terrenas voluptates quibus maximè delectantur homines, amaris quibusdam succis illinire ęrumnarum, ne minùs earum prouidus quàm nutrices alumnorum videatur; nam docet Sanctus August. illas alumnis suis diù sugentibus aliqua amara in papillis suis ponere, quibus offensi paruuli ab vbere resiliant, & ad mensam inhient; ita planè & Deus vt voluptuarios quosdam à suarum vberibus voluptatum penitùs abducat, ipsas profanas delicias amarissimis imbuit cruciatibus, vt non solùm fastidiantur, verùm etiam velis remisque (quod aiunt) euitentur. *Concione 1. in Psalm. 30.*

Serpens, Philoni voluptatis figura est, multis de causis, sed pręcipuè (vt ille ait) quia venenum gestat in dentibus quo solet morsos necare, quibus omninò malis obnoxius est homo voluptati deditus; mordet ergo serpentis & ferarum more ipsa voluptas quæ blandiri videtur, perimit dum mulcet. Ad hoc propositum S. Ambrosius meminit illius serpentis, de quo in Genesi habetur, qui nostros primos parentes decepit, aitque ipsum voluptatem figurasse: *Non immeritò*, inquit, *Sanctus Moses delectationem* (seu voluptatem) *serpentis figurauit similitudine, prona est enim in ventre sicut serpens, non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica, ei terra cibus est, sicut serpenti quæ escam nescit cœlestem, corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species voluptatum, & tortuosis angulatur anfractibus, venenum in dentibus habet, quibus se vnusquisque euiscerat luxuriosus, helluo internecat, obliguritor perimit.* Et profectò hâc ratione Seneca de vita beata, ipsas mundi voluptates & illecebras quæ nos mulcere videntur, sæuissimas feras vocat quæ nos mordent, quæ nos dilaniant. Non longè ab hac mente abit Philo Iudęus, qui ferocientibus canibus voluptates comparat, quæ dum blandiuntur morsum insanabilem infigunt; hæc sunt eius verba: *Non ad omnia quæ carni amica sunt appetitus excitetur, voluptates enim ferocientes per-sæpè canum more adblanditæ, repentè mutatæ morsum infigunt insanabilem.* Quibus verbis liquidò patet illas tam graues infligere dolores & anxietates, vt teste Isidoro veteres ad earum vehementiam significandam finxerint Prometheum, quod ignem cœlo subripuisset, montis Caucasi rupi esse alligatum, cuius iecur Aquila vorax perpetuò depasceret: non enim aliter homo voluptatibus deditus excruciatur, & quia ignē Veneris & Cupidinis admisit, pro libertate vincula, pro delectatione dolorem experitur, & duris inhonesti amoris aut honoris vinculis, aut etiam gaudij inanis illigatus, conscientiæ verme animam rodente angitur & torquetur. *Lib. de mundi opificio.* *Epist. 42.* *De vita beata cap. 14.* *Philo lib. de gygantibus.* *In Theologem.*

Dd

SECTIO XV.

Voluptates enecant, & animæ mortem inferunt.

ISTVD patet ex Sententijs Ethicopoliticis, vbi habetur

Cùm palmat, sæuit voluptas; cùm blanditur, enecat,
Hominem amplectitur voluptas, verùm vt inde strangulet.

Hoc est, amplectitur vt latro viatorem, quem vult necare: vnde habet pręclarè Seneca: *Voluptates præcipuè exturba, & inuisissimas habe latronum more quos philetas Ægyptij vocant, in hoc nos amplectuntur vt strangulent:* & vt Christianè loquamur, in perpetuum ducunt interitum. Non iniuria huiusmodi homines qui harum voluptatum gaudijque transitorij amore decipiuntur, conferri possunt Ionæ Prophetæ, cui pręparauit Dominus hederam tanquam vmbraculum quo à Solis æstu protegeretur, & lætatus est Ionas super hedera lætitiâ magnâ, sed simul cum hedera præparauit Dominus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit: ecce quàm exile fuit solatium Ionæ exhibitum: ita quot hederæ voluptatis vmbra decepit? dum enim eius virori credunt & sub vmbra iacent & non mediocri afficiuntur gaudio, vermis statim adest, hoc est conscientiæ stimulus, qui hederam corrodit & exedit, ita vt breui exarescat. Hinc egregiè Hugo Carensis: *Lætabitur,* inquit, *iustus in Domino, non in vino præsentis iucunditatis, non in Ionæ hedera (id est in temporalibus) quæ sub vna nocte nata, & vnâ nocte perijt:* Sic ille: vnde in Sententijs Ethicis; *Vix voluptas est quæ abit venitque more fluminis.* Et ratio est, quia vix nata denascitur; vix pullulat, & arescit, vt Ionæ hedera. Hederâ coronabantur qui Baccho sacra celebrabant (inquit magni nominis auctor) vt intelligamus non esse satis sobrios, neque sanos qui rebus huiusmodi caducis magnoperè oblectantur, & voluptatibus hærent. Hedera Ionæ vermem vnum habuit qui eam corrosit & exedit: nostra hedera à multis raditur, curæ enim ac sollicitudines, metus, perturbatæ mentis cogitationes, inuidiæ, conscientiæ morsus, tot vermes sunt qui voluptatis terrenæ hederam mordent & corrodunt; & proindè citò arescit, atque tandem ab his vermibus alius nascitur qui nunquam morietur, æternúmque rerum terrenarum amatores mor-

Epist. 51.

Ioan. 4.

In Psal. 63.

debit. Hinc Sanctus Bernardus, de interiori domo, ait mala conſcientia deliciarum & voluptatum aſſiduus vermis eſt. Porrò non abſque ratione vermis qui hanc Ionæ hederam corroſurus erat, in aſcenſu diluculi parari dicitur vt ſuprà dictum eſt: at cur non in meridie paratur? quia ſcilicet voluptas & temporalis fœlicitas tunc maximè Dei iuſſu exareſcit deficitque, cùm magis florere videtur, amatoreſque ſuos in ſpem diuturnitatis erigit. Diluculo exaruit hedera cùm frigore ac rore viridior ac vegetior futura parabatur; & voluptates & mundana omnia tunc maximè abeunt ac virorem omnem amittunt, cùm maiori quadam ſpe ſuos fallunt ſpectatores: idcircò aiebat Iob de voluptate agens: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et inde probatur verum eſſe quod habet Saluianus, impedimenta eſſe voluptates, non adiumenta; non ſubſidia, ſed onera; imò infinitæ grauitatis onera, cùm enim corpus aliquod celeriùs ad ima deſcendit, eò eſſe grauius iudicatur: Si ergo infinitâ celeritate delabatur, infinitæ quoque erit grauitatis, deſcendit autem infinitâ celeritate ſi in inſtanti delabatur, & propter eà infinitæ cenſebitur grauitatis: vnde cùm S. Iob dicat deſcenſum ad infernum, quem cauſant deliciæ, fieri in momento & puncto, rectè inde ſequitur eos voluptuarios qui ſic deſcendunt, non ſolùm onera eſſe, vt habet Saluianus, ſed onera infinitæ grauitatis & ponderis. *Lib. 1. de Eccl. Cathol.*

O quanta hominum amentia! momentaneas diligere delicias & voluptates, quæ ſic in puncto ad pœnarum æternitatem deſcenſum cauſant. Hinc præclarè Sanctus Bernardus: *In deliciis & voluptatibus enutrientes corpora & corda ſua, poſt dulcedines momentaneas, & horarias ſuauitates, ad ſempiternas amaritudines deferuntur.* Et conformiter Sanctus Ioannes Euangeliſta eleganti metaphorâ id nobis explicat, affirmat enim ſe vidiſſe Angelum quendam qui magnis clamoribus contra Babyloniam hæc verba proferebat. *Poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & ampliùs illa non inuenies.* Poma hæc (inquiunt Sacri Interpretes) voluptates ſunt, quas miſer homo ingenti labore & ſollicitudine, ex arboribus huius ſæculi decerpit, quæ poma perquàm ſimilia ſunt quibuſdam quæ in mari rubro gignuntur, vt refert Petrus Paludanus Hieroſolymitanus Patriarcha, quæ licet ſummam ſuperficiem pulcherrimam habeant oculiſque delectabilem, intùs tamen amara ſunt, putrida, & plena vermibus: Sic voluptates huius ſæculi licet exteriùs deſiderabiles videantur, tamen intùs amaritudine, corruptione, & morte plenæ ſunt, atque ſuos amatores ad æternas inferni amaritudines

Apoc. 18.

Quanta mala à voluptatibus oriuntur.

deferunt. Ista ergo poma quæ mundanus homo tanto labore comparat, quando illis frui incipit, tunc violenta mors de manibus eius
Psal. 48. arripit, & ipsum ad inferos trahit; vnde Psalmista: *Homo cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius, hoc est honores, voluptates, &c.* Quis ergo voluptates non fugiet, easque permaximo non habebit odio, cùm in tantas & tam breui tempore eos qui illas sequuntur, deducant miserias? Audiatur Sanctus Chry-
Serm. 66. sologus, qui hanc repentinam mutationem acutissimè exprimit, factâ comparatione pauperis Lazari & diuitis Epulonis: Recipit, inquit, pro doloribus requiem, pro opprobrijs gloriam, pro contumelijs honorem, pro despectu gratiam, pro pannis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerij fontem, pro fame cœlestis mensæ delicias, & quem diuitis angulus non capit sinus diuinæ consolationis includit. Tu diues fulgens quondam purpurâ nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis, pro molli discubitu sustine tormentum, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopiâ compensa, ebrietates siti digere, pro odoribus aspergere fœtore, & cui astiterunt voluptatis obsequia, astent tibi nunc pœnarum ministeria. Quare voluptuarios species prima voluptatis sic decipit, vt paruulos pueros accensa candela, qui flammam pulchrè lucentem videntes, digitos immittunt vt eam rapiant, existimantes non ignem, sed lucidum quid esse, móxque adustis digitis inconsolabiliter plorant: Sic enim voluptuarij specie voluptatum illecti ignem inueniunt, vbi lucem expectabant, dolorem sentiunt, seu nunc conscientiæ vermem, seu posteà ignem æternum. Hinc credo ortum illum apud Romanos Dearum Volupiæ
Lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 11. & Angenoræ concentum. Erat Volupia (vt Sanctus Augustinus ait) Dea quæ voluptatibus præerat, voluptatésque inducebat: Angenora quæ angoribus & anxietatibus insistebat: Sic autem res ordinabant quòd in medio Sacelli aut Templi Volupiæ, constitue-
Lib 36. bant simulachrum Angenoræ (vt ait Pierius) quod credo factum ad designandum in cumulo voluptatum & in aceruo honorum & gaudiorum non solùm angorem, anxietatem, aut tristitiam inesse, verùm etiam voluptuarios ad ęternam mortem induci, ipsos tamen (ô intolerabilis dementia!) sic à Dæmone deceptos nolle ipsas deserere delicias, sed malle Cœlorum regnum vitamque æternam cum morte æterna & doloribus sempiternis commutare & longè postponere. Et hinc exclamat Sanctus Augustinus:
Tomo 10 serm. 56. de temp. *O infœlix voluptas! infœlicior cupiditas atque luxuria! quæ per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem: abstinen-*

tiæ verò, vigiliæ, & orationes atque ieiunia per breuißimas angustias perducunt ad Paradisi delicias; quia non mentitur veritas, quæ apud S. Matthæum dicit; Arcta est & angusta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam, nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur, quia & isti per breuem tristitiam accipiunt vitam æternam; & illi post paruum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Matth. 5.

SECTIO XVI.

Cùm tot mala à voluptatibus oriantur, veniunt à nobis sedulò vitandæ & fugiendæ.

HIs omnibus attentè perlectis, superest vt has mundi delicias & voluptates quibus tanquam hamo vtitur Diabolus ad nos veluti pisces capiendos, odio habeamus, vitemus, & diligentissimè fugiamus. Id enim agendum nos monet S. Basilius; *Voluptas,* inquit, *hamus est Diaboli trahens ad perniciem.* Quasi diceret, quis ad tantam perniciem non abhorreret accedere? Cui præclarè consonat Seneca: *Maior sum & ad maiora natus, quàm vt sim mancipium corporis mei.* Pestem solent fugere homines, cùm ab hoc contagioso morbo pauci interitum vitare soleant, sed quæ pestis voluptate nocentior est? quæ velociùs mortem infert? His suffragatur S. Isidorus Pelusiota: *Non te fugit,* inquit, *vir clarißimè vitium quidem pestiferam voluptatem habere; virtutem autem, laborem cum gloria nominisque splendore coniunctum, siquidem gloria sudoribus libenter iungatur, oportet igitur illud fugere, hanc mordicùs tenere.* Hoc igitur propositum nobis esse debet atque vnicè commendatum, vt omne genus voluptatis quæ à carne & sanguine petitur, vt Sirenum scopulum, vt Capharea saxa vitemus. Quod egregiè docet S. Hieronymus dum animaduertit quibusdam illecebris carnem trahere animam ad mortiferas voluptates; nostrum autem esse voluptatis ardorem maiore Christi amore restinguere, & lasciuiens iumentum frænis inediæ subiugare, vt sessorem Spiritum Sanctum moderato atque composito portet incessu. Vetustiores Patres omnium expertes voluptatum Christianos esse cupiunt. Hinc magnificè Tertullianus ait: *Delicatus es Christiane si & in sæculo voluptatem concupiscis, im-*

Vitandæ voluptates ob tot mala quæ ab eis oriuntur.

In exhortatione ad baptis. hom. 13.

Epistola 14.

Lib. 2. Epist. 12.

Epist 9.

De spect. cap. 28.

mò nimiùm stultus si hoc existimas voluptatem. Ideóque celeberrimus quidam doctor vnumquemque nostrum monet hoc modo: Diligis animam tuam? fuge igitur voluptates quæ eam interimunt, diligis corpus, noli diligere voluptatem ipsum tot malis opprimentem: odio habes peccata? auersare voluptatem peccatorum occasionem: times descensum ad inferos? onus depone voluptatum quod te in puncto miserum in eum miseriarum locum detrudit: gloriam expetis? ingressum desideras in diuina tabernacula? propelle mollitiem, & noli animam voluptatum vanitate pascere, qui enim (ait Psaltes Regius) in vanum accipit animam suam non habitabit in tabernaculo Dei, nec requiescet in monte sancto eius: tibi tandem placet libertas quæ non bene pro toto venditur auro? noli esse voluptatum & corporis mancipium. Datum Epitaphium serua, *Mori potiùs quàm fœdari.* Cùm igitur hæc ita sint (fratres mei) fingite nunc Dominum nobiscum his verbis agentem: Ecce vobis optio datur, eligite vtrum malitis ad horam in hoc sæculo voluptatibus gulæ, libidini, lusibus, &c. vacare & lætari, & in altero sæculo luctu torqueri; an exiguis in hac vita laboribus exerceri, & in altera æterna fœlicitate donari: quid quisque vestrum fratres electurus sit ignoro, illud tamen scio quòd quisquis præsentem voluptatem futuræ fœlicitati antetulerit, perpetuò se huius consilij accusabit, perpetuò seipsum cruciabit, perpetuò sed tamen serò nimis & frustrà illum pœnitebit; qui verò è contrà æternam ac beatam vitam voluptatibus, diuitiis, honoribus, & dignitatibus huius sæculi prætulerit, perpetuò gauisurum se & perpetuis honoribus potiturum speret. Quod probè callentes viri probi, horruerunt opes & honores ac huius mundi voluptates. In his Syluius Antonianus vir emeritæ virtutis (vt refert Card. Francisci in eius vita) qui euectus fuerat in Cardinalem, timens virtuti suæ, aiebat viro cuidam sancto, *Pater mi ora pro me, ne pileus hic rubeus me perdat.* Et Cæsar Baronius factus Cardinalis, sæpiùs Clementi 8. factus est importunus, vt hoc eum honore vel onere liberaret. Hoc modo plures alij prudentissimè se gesserunt, & voluptates ac honores huius sæculi respuerunt & nihili habuerunt, ne æternas delicias amitterent.

Psal. 14.

Quamplurimis autem aliorum Sanctorum virorum verbis & sententiis omissis qui æternam vitam voluptatibus & honoribus prętulerunt, videamus nonnullos Ethnicos solo naturali lumine illustratos penè idem dixisse & pręstitisse; Et inter alios Antisthenes Philosophus apud Laërtium & Clementem Alexandrinum quasi Christiano more dicebat se malle insanire, quàm affici voluptate, insa-

Laërtium lib. 6. cap. 1. & Clement. lib. 2. Stromatum.

niam enim aufert Medicus, voluptas verò cùm mentem homini eripiat, vix sanabile malum est. Et Epictetus in Enchiridio: *Si voluptatis*, inquit, *alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi ne ab ea mouearis, sed & rem examina, & tibi ipsi prabe deliberandi spatium, deinde vtriusque temporis momento, tùm eius quo voluptate frueris, tùm eius quo perceptâ iam voluptate dolebis, teque ipse obiurgabis.* Cap. 56. Hinc Horatius: *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Præ reliquis autem est ipse Aristoteles audiendus qui in suis Ethicorum libris prudens hoc admonitum dat ei qui vitium & peccatum velit effugere, vt in omnibus quicquid iucundum est ipsamque adeò voluptatem summo studio & contentione deuitet. Ethic. cap. 9. Ita quamplures alij Philosophi, vt Seneca, qui quantum voluptates animæ noceant apprimè docet, & proindè esse fugiendas; *Quidam voluptatibus se immergunt*, inquit, *quibus in consuetudinem abductis carere non possunt, seruiunt voluptatibus non fruuntur, & mala sua, quod malorum vltimum est, amant.* Epist. 28. Accedit Stobæus, qui voluptates fugere vt Syrenas admonebat, nam Syrena monstrum marinum est, quod dulcedine sui cantus nautas ad necem trahit; Sic voluptas cantus sui suauitate & blanditiis, miseros homines allicit, vt ipsis mortem inferat grauissimam, cùm eos in peccata quęque nefandissima impellit. Hæc ille.

Hoc confirmatur ex eo quod refert Apostolus ad Galatas de Ismaële cum Isaaco ludente & eum persequente; Ad Galat. 4. *Quomodo tunc*, inquit, *is qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum qui secundùm spiritum; ita & nunc, sed quid dicit scriptura? Eÿce ancillam & filium eius.* Mirum est (dicit Apostolus) Ismaëlem persequi Isaac, & tamen Genesis historia habet ipsum Ismaëlem cum Isaac lusisse, Gen. 21. si lusit, quomodo cum persequutus est? Ismaël filius ancillæ est voluptas filia carnis, Isaac est animus, ludit cum eo voluptas dum ei blanditur, sed ita ludendo persequitur, & ad mortem plerumq; compellit. Vtendum itaque consilio scripturæ: *Eÿce ancillam & filium eius*, hoc est longè arceas & carnem & carnis voluptatem. Talis autem eiectio fit maximè per pœnitentiam, & peccatorum commissorum detestationem, nullum enim medium aptius ad ipsum Ismaëlem, hoc est voluptatem procul à nobis repellendam, potest reperiri quàm ipsa pœnitentia, vires quippe ipsius voluptatis eneruat, & animam sterilem & virtutibus vacuam reddit fœcundam & virtutibus abundantem, vt egregiè ostendit Philo Iudæus, dum docet animas Lib. de obsecrationibus. steriles & peccatrices atque nullos bonorum operum fructus parturientes, immò potiùs suis vitiis & concupiscentiis refertas tanquam spinis & sentibus obrutas malè valere & ægrotare moribundas, eas-

dem tamen, cùm peccare desinunt, & per pœnitentiam resipiscunt atque contritionis lacrymis irrigantur, plurimos virtutum fœtus tanquam prolem generosam parturire: *Continuò*, inquit, *restituuntur in castitatem virginitatemque pristinam, & conceptum diuinum semen formant ac viuificant, vt inde nascantur res mirandæ fortitudinis, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, sanctitas, pietas, cæteræque virtutes, ac fœlicitates, quarum non modò natiuitas mactam prole facit parentem, verumetiam spes natiuitatis gaudio magno afficit.* Vt autem ad ipsam pœnitentiam & peccatorum detestationem, ad has voluptates abigẽdas, & ad bonorum operum fructus producendos nos accingamus, recordemur potissimùm terribilis iudicij extremi, & pœnarum inferni quas in voluptuarios Deus decreuit, iuxta illud Apocalypsis; *Quantum in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Exemplo sit Epulo Euangelicus, de quo suprà dixit S. Chrysologus. Qui sepultus est in inferno: Vnde S. Hieronymus in Apologia ad Pammachium; *Lazarus*, inquit, *recepit mala in vita sua, & diues ille purpuratus crassus & nitidus fruitus est carnis bonis dum viueret; sed diuersa post mortem tenent loca, miseriæ delicijs, & deliciæ miserijs commutantur, in nostro est arbitrio vel Lazarum sequi vel diuitem.* Et huius rei dat ipse rationem in consolatione ad Iulianum; *Difficile*, inquit, *immò impoßibile est, vt & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, vt & hîc ventrem & ibi mentem impleat, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroque sæculo primus sit, vt & in cœlo & in terra appareat gloriosus.*

Apoc. 18.

Epist. 34.

SECTIO XVII.

De quarta seminis parte, quæ in terram bonam cecidit, & quid per bonum cor & optimum, intelligatur.

SVPEREST quarta seminis pars quæ in terram bonam cecidisse ac centuplum fructum protulisse dicitur. Huius verò terræ nomine eos intelligit saluator, qui in corde bono & optimo verbum retinent, hoc est intelligunt, penetrant, & meditantur, *Et fructum afferunt in patientia*, hoc est fructum bonorum operum quæ Dei verbum, & eius lex facienda præcipit, afferunt, quæcumque aduersa tolerantes. De hac igitur seminis parte & eius fructu hac & sequentibus

Quarta seminis pars in bonam terrã cecidit & fructum protulit.

tibus sectionibus est dicendum. Et primò videndum quid per bonum cor & optimum quod quidem mens est, ratio, animus vel homo totus interior, intelligi debeat. Bonum cor est illud quod intendit libenter audire Dei verbum, sedulò, recogitans vt illud intelligat & opere adimpleat. Optimum, quod intendit ex deuotione & charitate secundùm verbum auditum operari, & actu operatur. Cor ergo bonum verbum Dei retinet, & illud sibi applicat; cor optimum illud adimplet & fructum adfert. Sicut stomachus bonus cibum retinet, & stomachus optimus retētum digerit, & in singulas venas distribuit. Multi sunt qui in corde bono suscipiunt verbum, attēter audiunt tanquam cœlitus missum, illudque retinent, & hoc ad vim intelligendi pertinet, vt ait hoc loco S. Bonauentura dicens bonum auditorem verbi Dei se totum illi mancipare, omnesque animæ suæ potentias, scilicet intellectum, voluntatem, siue affectum, memoriam, operandi facultatem & patiendi. Intellectum mancipat & voluntatem, quia verbum recipit in corde bono & optimo, memoriam quia verbum retinet; operandi facultatem & patiendi quia fructum affert in patientia. Sed heu pauci sunt qui optimo hoc est pro illius dignitate & maiestate afficiantur, & affectum intellectui iungant. Christus satis illud exprimere visus est conceptis verbis in Euangelio; & primò dùm ait (*Audientes verbum.*) Hoc enim dicit contra eos qui nec etiam aure corporis illud dignantur audire. (*Retinent.*) Scilicet corde tenus siue memoriter, contra eos qui sunt secùs viam, & venit Diabolus & tollit verbum de corde eorum: (*Et fructum afferunt*) sanctarum operationum, contra eos qui sunt spinæ suffocantes verbum Dei. (*In patientia.*) id est tolerantes & sustinentes quamcumque tētationem, contra eos qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: vnde liquidò constat bonam terram habere conditiones penitùs oppositas aliis in quas cadit semen. Aduertendum verò cor bonum & optimum vt tale vocitetur debere his exornari virtutibus, vt bene notauit Bottbachius Sermone Sexagesimæ post Stapletonium. Primò, debet esse fide ac fortitudine plenum, ideóque bene custoditum & collectum; fide, vt verbum retineat, ne Diabolus id rapiat; fortitudine, vt natum non arescat nec suffocetur, sed fructum in patientia adferat.

Bonum & optimum cor quid.

Secundò, cor ipsum bonum & optimum debet esse in charitate radicatum & fundatum, ideóq; molle, & ad verbi doctrinam flexile.

Tertiò, debet cupiditate esse vacuum, & rerum diuinarum amore succensum: in tali corde verbum Dei retinetur & fructum facit. Sicut cibus qui non solùm manducatur, masticatur, & in stomacho retinetur, verumetiam digeritur, & in substantiam aliti conuertitur.

Alimenta corporea quandiu in sua qualitate perdurant & solida innatant, stomacho onera sunt, sed quando digeruntur, & immutantur, in nutrimentum, sanguinem & vires transeunt: ita verba Dei solâ fide accepta, nec per intellectum ruminata & expensa, nec per voluntatem affectu intimo comprehensa & in praxim deducta, onera sunt & ad maius iudicium; sed operatione animi exercitâ nouas illi vires addunt, & varias virtutes proferunt. Quod nobis ex Ezechiele innotescere potest, ipsi enim dixit Dominus volumen ei offerens: *Fili hominis, comede volumen hoc, venter tuus comedet, & viscera tua implebuntur volumine isto.* Cùm autem Propheta id exequutus esset, dixit: *Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Hoc volumen est diuinum verbum quod Deus ipse præcipit vt comedamus, & in ore nostro fiet tanquam mel dulce; nullum est enim alimentum verbo Dei dulcius suauiusque; iuxtà illud Psalmistæ: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Non sufficit autem verbum istud tam suaue & dulce solum gustare & in mentis stomacho retinere, nam sic exiguum afferret fructum, sed digeri & in nostrum spiritale alimentum conuerti debet. Hinc postquam dixit Dominus ad Prophetam: *Venter tuus comedet*; superaddit, *& viscera tua implebuntur volumine isto*, id est non solùm ore comedes & intelliges, atque in mentis stomacho retinebis verba mea (vt quandoque auari & voluptatū amatores faciunt) sed ea scrutaberis, in animo versabis, & in stomacho intellectus & voluntatis aut memoriæ coquenda, digerenda, & in spiritale tuum alimentum conuertenda seruabis. Admirabiles igitur fructus percipit, & varias diuinæ gratiæ benedictiones accipit cor bonum & optimum Dei verbum retinens, comedens, bibens, necnon digerens & nutriens quod auditu accepit. De hoc modo accepto Dei verbo laudat Apostolus Thessalonicenses in Epistola quam ad eos scribit; *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam quùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum humanum, sed (sicut verè est) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Quibus verbis satis apertè constat hos Thessalonicenses in corde bono & optimo, modo suprà explicato, verbum Dei accepisse: non enim necessariò hæc vocabula (*bono & optimo*) ad diuersas personas referenda sunt, vt vult Toletus, quasi alij sint corde bono, alij optimo: quilibet enim fidelis crescens in virtute potest & debet primùm bono, deinde meliore, ac demùm optimo corde verbum Dei accipere, & ita optimum fructum percipere. Vnde Græci duo illa vocabula nectunt, & Syrus qui vertit: *In corde humili & bono.* alij, *in corde pulchro & bono.* Et ita quoque notauit Cornelius à Lapide in Sanctum Lucam.

Ezech. 3.

Psal. 118.

Ad Thess. 2.

In Cap. 8. S. Luca.

SECTIO XVIII.

Ager animæ non est ita ineptus, vt si velit, Deo auxiliante, fructum ferre non possit, vt de multis constat.

QVAMPLVRES extant agri ita steriles, vt etiamsi excolantur, ferre segetes non possint, & potissimùm si lapidibus & modica terra sint referti, nec nisi spinas aut tribulos & vrticas producere soleant. Et proinde meritò increpandus esset Agricola tanquam prodigus & dissipator seminis qui illud in tali agro seminaret & effunderet: si autem verum sit de quibuscumque agris materialibus atque inanimatis, non tamen de agro animæ qui est animatus & rationalis, nullus enim animus sic ineptus est, vt si velit, Deo colente atque auxiliante, fructum ferre non possit. Fructum ferre potest is qui iuxtà viam situs est, si velit à via recedere: is quoque qui saxosus est & qui spinas habet, si modò saxa & spinas repellat. Est ager noster voluntarius, ex bono & fertili sua sponte in malum & sterilem, contráq; ex malo & sterili in bonum ac fœcundum Deo opitulante commutari potest, vt disertè docet S. Chrysostomus: *Quomodo*, inquies, *credendum est in vepribus, & in lapide, & in via prudentem hominem seminare, in agris quidem & in seminibus quæ terræ traduntur, stultè factum videretur; in animis autem hominum non ita, possibile enim est vt lapis in terram fertilem conuertatur, & vt via non conculcetur, nec cunctis prætereuntibus proposita iaceat, sed in vberes agros traducta, nec vepres emittat, & semina foueat, &c.*

Ager animæ cùm sit voluntarius, potest fructum ferre.

Ex Euangelica historia nobis innotescit, quòd quamuis aliquorum terra videretur inculta, & non satis disposita ad sacrum illud verbi Dei semen excipiendum, nihilominùs tantæ in illis fuit efficaciæ, vt suppositâ Dei gratiâ, & eorum bonâ voluntate cooperante, reddita fuerint illorum corda bona & optima, & proindè non modicum in eis semen illud fructum attulerit.

Sit primò exemplum de sanctis Petro & Andræa, nam quamuis eorum corda viderentur quasi terra inculta & sterilis, salsedine maris aspersa, (erant enim rudes & illiterati, & aquas maris salsas conuersantes, sæculi curis amaris inuoluti,) attamen hoc diuini verbi semen: *venite post me*, in eorum cordibus ore Christi sparsum tantæ

fuit efficaciæ, vt mox perfectissimæ obedientiæ perfectissimíq; amoris fructum protulerit, dùm relictis retibus necnon patre & matre, ei amore adhærendo, sequuti sunt eum.

Secundò, sit etiam nobis in exemplum Nathanaël, cùm enim esset legisperitus, & cor eius videretur sapientiâ sæculi tumidum, & minimè semini diuino excipiendo aptum, vbi tamen audiuit Christum loquentem ac dicentem; *Antequam Philippus vocaret te, cùm esses sub ficu vidi te.* Hoc diuini verbi ex ore Christi prolati semen, illicò perfectę fidei & confessionis in eo maximam produxit frugem; *Rabbi,* inquit, *tu es filius Dei, tu es Rex Israël.*

Ioan. 1.

Tertiò, exemplum habemus de sancto Matthæo in Telonio sedente, cùm enim in cor eius hoc semen verbi Christi cecidisset: *Sequere me,* quamuis terra videretur planè spinosa ac vepribus obsita, nihilominùs semen istud confestim perfectæ conuersionis frugem peperit, ita vt Christi Euangelista effectus sit.

Quartò, cœleste hoc semen in cor Samaritanæ cecidit, & licet appareret ipsum eius cor minùs aptum semini, vtpotè corruptum & adulterum; vbi tamen aqua viua gratiæ diuinæ fuit irrigatum, admirabilem in ea perfecit conuersionem.

Quintò, celeberrimũ de sancta Magdalena extat exẽplum, quamuis enim terra infrugifera foret, vtpotè per luxuriam & impuras vanitates minùs cœnosa & inculta, mox tamen tantos pœnitentiæ & pietatis fructus retulit, vt omnium animos admiratione affecerit.

Sextò, exemplum sit de bono latrone in cruce, cuius cor cùm durum & petrosum esset, irrigatum tamen sanguine Christi & eius interno verbo & spiritus sancti gratiâ immutatum, ad vitæ suæ vesperam raræ admodùm contritionis & compunctionis fructum retulit, meruitque à Christo hæc verba audire; *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Sed quid postremò de his dicemus qui ipsum Christum crucifigebant? quis non videt eorũ sanguinolenta corda & silice duriora? Cùm tamen Christus pro eis orauit, & suæ gratiæ semen in eos sparsit, multi eorum reuersi sunt in ciuitatem percutientes pectora sua, & pœnitentiam agentes, eò quòd decepti fuerant à Principibus & senioribus. Et his omninò exemplis liquidò patet summum illum satorem non destitisse seminare semen suũ vsq; ad vitæ suæ consummationẽ in multorum cordibus, quæ quamuis inculta, dura, spinosa & sterilia viderẽtur, bona tamen & optima effecta sunt & fructum retulerunt in patientia. Postmodum autẽ seminare non destitit, sed suæ humanitatis merito in hodieruũ vsq; diem seminat, videlicet in Apostolis & Apostolicis viris zelum & patientiã, in martyribus charitatem & constantiam, in cõfessoribus sanctitatem & sobrietatẽ, in sacerdotibus pieta-

tem, in religiosis obedientiam & sæculi contemptum, in virginibus puritatem, in viduis continentiam, in pœnitentibus cõpunctionem, in coniugatis amorem & pacem, in pueris innocentiam, in omni statu & ætate congruentem gratiam, cuius virtute & liberi arbitrij cooperatione certissimum est semen illud exoptatos producere fructus. Horum igitur Sanctorum virorum nec-non sanctarum mulierum exemplo eâ quâ pollemus libertate cor nostrum pijs exercitijs & laboribus diuino illi satori, eius fauente auxilio, præparare debemus; vt in illud, diuinum suum semen iaciat, quod posteà fructificet. Hinc ait Sanctus Iacobus: *Suscipite insitum verbum*, nam postquàm illud suscepimus ad nos spectabit, nobisque proderit, vt ex Sancto Ioanne Euangelista colligimus: *In hoc verbum verum est, alius est qui seminat, & alius qui metit, Deus seminat & homo metit.* Deus singulis momentis semen suum in corde nostro seminat, nostrum igitur est semper illud ad diuinum Verbi Dei, & alia semina recipienda disponere. Quod ita fiet, si ipsum à cunctis spinis, vepribus, noxijs cupiditatibus, & peccatorum sordibus expurgemus. Hoc enim modo bonas segetes & fructus optimos ex diuino illo semine tandem colligemus & metemus.

Iacobi 1.

1. Ioan. 3.

SECTIO XIX.

De fructu quem bonum semen in terram bonam iactum refert, & quidnam per quadruplicem portionem in quam pars aliqua seminis cecidit, significari velint nonnulli.

DVÆ sunt huius Sectionis partes, quarum prior est quemnam fructum referat hoc semen quod in terram bonam cecidit, hoc est in cor bonum & optimum nullo scelere corruptum, & gratia Dei illustratum. Respondent autem Sacri Interpretes iuxtà Euangelium referre triplicem, videlicet trigesimum, sexagesimum, & centesimum. Sumit Christus comparationem ex agris, qui non æqualiter sunt frugiferi, sed iuxtà terræ dispositionem, aliqui enim pro mensura vna mensuras centum, alij sexaginta, alij triginta reddunt. Ita Verbi Dei auditores nonnulli centesimum, alij sexagesimum, alij trigesimum fructum producunt. Iudicat Dominus meritorum in Ecclesia inæqualitatem, nonnulli enim vberrimum virtu-

Quem fructum refert semen in terram bonam iniectum.

tis fructum recepto fidei verbo pariunt, quem significat fructus centesimus; aliqui mediocrem, quem adumbrat sexagesimus; alij minorem, quem innuit trigesimus. Etsi non est omnium par vbertas. Ita interpretatur Euthymius: per centuplum, inquit, significat Dominus perfectam virtutis fructificationem, per sexagecuplum mediam, per trigecuplum minorem, &c. Ita vt idem semen diuinâ suppositâ gratiâ iuxtà aliquam dispositionis nostræ proportionem operetur. Et hinc aduersùs Iouinianum & Caluinum rectè probatur inæqualitas meriti, & consequenter prçmij bonorum operum in cœlo: Ita S. August. [a] Chrysostomus [b], Sanctus Hieronymus [c], nec-non aliqui alij, qui docent fructum trigesimum esse coniugatorum, sexagesimum viduarum & continentium, & centesimum virginum. Vel dicunt trigesimum esse Doctorum, sexagesimum Martyrum, & centesimum Apostolorum: vel, primus datur propter obseruantiam primæ Legis, secundus propter obseruantiam nouæ, & tertius propter obseruantiam Consiliorum: Vnde ipsorum Consiliorum obseruatoribus à Domino dicitur: *Vos qui reliquistis omnia & sequuti estis me centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.*

a De S. Virgin. cap. 46.
b Hom. 43.
c In 13 Matth.
d Tomo 4 lib. 1. quæst. Euang. c. 9.

Matth. 19.

Porrò nonnulli alij ad clariorem huius multiplicis fructus intelligentiam trigecupli, sexagecupli, & centecupli sic exponunt: quidam contenti legem seruare, ab omni lethali crimine pro virili cauent; sed non adeò consilia curant Euangelica, ferè fide Trinitatis prçceptisque decalogi contenti, quasi tria per decem ducentes fructum referunt trigesimum.

Secundi sunt qui præceptis adiungunt consilia, qui velut duplum ad priores fructum referentes sexagesimum ferre dicuntur.

Tertij quibus in virtute nihil deest centesimum fructum referunt.

Quærunt autem nonnulli, quid nomine fructus intelligi debeat, an operum & virtutis fructus, an verò gloriæ & fœlicitatis æternæ prçmium. Et respondent vtrumque intelligi debere, sed potiùs opera & virtutes, fructus enim tum bona opera dicuntur, tum fœlicitas æterna.

Portio terræ quadruplex, quid denotet.

Posterior sectionis pars, est nonnullos reperiri, inter quos est Paulus Ricius de cœlesti agricultura, qui satis apertè docent per quadruplicem terræ portionem in quam patrisfamilias semen decidit, quatuor hominum genera, seu quatuor varias sectas intelligi posse. Et primò, terra indurata seu via aut secùs viam in quam cecidit prior seminis pars quæ conculcata est, & volucres cœli comederunt, nobis Philosophos naturales ac Gentiles seu Ethnicos, qui tanquam terra indurata fuêre, designat; nam etiamsi naturali luminis ductu & ex

mundi fabrica, vt probat Apostolus, nonnulla de Deo cognouerint, non tamen sicut Deum glorificauerunt, & induratum est cor eorum, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & sic perierunt, nec vllum fructum retulerunt. *Rom. 1.*

Terra petrosa & saxosa in quam est secunda seminis portio iniecta obstinatos Iudæos & lapidibus duriores nobis refert, licet enim penè infinita miracula & prodigia à Christo Domino patrata, etiam in eorum maximum commodum viderint, tantâ tamen cordis cæcitate & duritia capti sunt, vt ipsum etiam crucifigere veriti non sint, & adhuc nunc temporis à propria terra eiecti, & exules honore vitali viuæ fidei carent varijs Thalmudicorum deliramentis & blasphemiis, atque Cabalisticis dogmatibus & fabulis ac Rabinorum deceptionibus dementati, & in reprobum sensum traditi nullum bonum referunt fructum.

Terra spinosa in quam tertia seminis pars cecidit, & quæ ab exortis spinis suffocata fuit, Mahumetanos, Turcas, siue Mauros Alcoranum profitentes nobis facilè significat; nam id genus cultores, ventris potiùs mancipia & porci de Epicuri grege, quàm homines dicendi sunt, & aliam fœlicitatem non expectant quàm belluarum, in carnis voluptatibus, vxorum pluralitate, in congerendis opibus, in amplificando imperio, in cruentis & crudelibus facinoribus; in sanguinis Christiani populi effusione; à tot ergo pungentibus spinis, tribulis, & vrticis miserè suffocantur & pereunt. De his & similibus videtur loqui S. Paulus dum ait: *Terra proferens spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem; videat Dominus & requirat.* *Ad Hebr. 6.*

Bona tandem terra in quam iacta est quarta & postrema seminis pars, sunt ipsi Christiani, maximè verò illi qui verbum Dei cum gaudio audiunt & suscipiunt, ac in corde bono & optimo illud retinent & fructum centuplum in patientia referunt. *Hæc est sancta Religio quæ veluti lilium est inter spinas,* hoc est inter varias sectas Philosophorum, Idololatrarum, seu Paganorum, Iudæorum, perfidorum, & Mahumetanorum seu Turcarum collocata. Ipsa ergo sola tanquam bona cum multo fœnore fructum refert, non temporaneum vt supra-nominatæ sectæ, sed æternæ vitæ, & in patientia, vt Sanctus Lucas ait. Eiusmodi explicatio seminis in diuersa loca decidentis tolerabilis est nec pœnitenda; verùm ab expositione ipsius Christi suprà fusè descripta ne latum quidem vnguem (vt aiunt) discedendum esse censeo. *Cant. 2.*

CAPVT X.

De virtute patientiæ de qua habet Christus apud S. Lucam, vbi de semine disserit.

Luc. 8
Vt agricola seminis, ita Christianus Verbi Dei fructum cum patientia debet expectare.

QVOD autem Christus in fine expositionis parabolæ adiecit: *In patientia*, non temerè, sed significantissimè adiecit (inquit Bottbachius conformiter ad Stapletonium,) quemadmodum enim agricola de semine suo in terram iacto nunquam fructum refert, nisi magnâ vsus fuerit patientia, nisi multos labores perferat, per frigus & tempestates, per æstum & calores, multùm diuque messem expectet: vnde Dauid in Psalmis: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Sic cor bonum adeóque optimum ex verbo Dei accepto nunquam fructum referet nisi magna cum patientia & animi fortitudine. Hinc Sanctus Iacobus ait: *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum, &c. temporaneum,* hoc est primi temporis fructum ante generalem maturitatem; & *serotinum*, id est fructum permaturum: sic & nos tanquam agricolæ debemus cum magna patientia fructum temporaneum gratiæ & fructum serotinum gloriæ expectare: vel fructum temporaneum gloriæ animæ quæ statim post mortem redditur, & serotinum eiusdem gloriæ tum animæ, tum corporis in die vniuersalis iudicij. Dum igitur hîc de patientia loquimur, id non est intelligendum de illa patientia quæ in impijs ad aliqua patranda facinora reperitur, quam Sanctus Augustinus reproborum patientiam vocat, qui plerumque, vt delicijs ac bonis fruantur temporalibus, quamplurimas aduersitates & molestias sustinent, illa enim ex eodem Sancto Augustino potiùs duritia, quàm patientia nuncupari debet, & nullam aliam præter æternam damnationem consequitur mercedem. Sed hoc est intelligendum de vera & Christiana patientia, quâ propter Deum omnia toleramus aduersa quæ nobis accidunt, atque pro virtute & æternis bonis consequendis. De hac igitur particulare Caput cum sui Sectionibus, tanquam totius parabolæ coronidem conficiendum, non tamen extrà propositum, iudicauimus.

Psalm. 125.

Iacob. 5.

Lib. de patientia.

SECTIO

SECTIO I.

Patientiæ descriptio, & quomodo omnes complectitur virtutes.

PRIVSQVAM de patientiæ virtute sermonem instituamus, operæ-pretium est, vt magis illa nobis innotescat, eam iuxtà Philosophos & Theologos describere, & primò ex Tertulliano, qui illam viuis coloribus depingens summam illi tribuit inter omnes calamitatum procellas constantiam ac tranquillitatem: *Age*, inquit, *& effigiem imaginemque eius comprehendamus, vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color quasi securus & innoxius, motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus, cæterùm amictus circùm pectora candidus & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur, sedet enim in throno spiritus eius mitissimè & mansuetissimè, qui non turbine glomeratur, non nubilo lucet, sed est terrenæ serenitatis, apertus, & simplex quem tertiò vidit Helias, nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet*: Hæc ille. Pulcherrima est hęc patientiæ effigies & sereno Cœlo micantibus astrorum luminibus, ne minima quidem nubecula circunfusis præferenda. Hæc descriptio quodammodo conuenit cum ea quanquam breuiori quam tradit Cicero: *Patientia*, inquit, *est virtus contumeliarum & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans.* Et licet ipse Cicero æterna bona non nouerit, attamen ad nostrum Christianum sensum videtur patientiam apprimę describere, & quasi conformiter illi descriptioni quam de eadem virtute in medium adfert Sanctus Augustinus, ait enim patientiam esse virtutem quâ mala equo animo toleramus, & ista definitio maximè conuenit cum illa quam habet Sanctus Hieronymus: *Patientia*, inquit, *est omnium iniuriarum & passionum tolerantia, quam si quis habuerit, bona omnia in se continet*, hoc est omnes virtutes & perfectiones. In summa si patientia presśè ac propriè accipiatur non simpliciter pro actu illius, sed etiam pro habitu ac omni constantia, firmitate, ac robore aduersùs quascumque tribulationes & labores, rectè describitur, singularis quædam virtus inter Morales, quæ ob peculiarem honesti rationem, magno robore, firmitate & constantia moderatur animi

Patientiæ descriptio.

Lib. de patientia, cap. 15.

Lib. 1. Rhet.

Tom. 4. lib. de patient. c. 2.

ægritudinem ex rerum aduersitate consurgentem, negligentiam excutit, consuetudini prauæ resistit, tentationes vel ex cupiditate, vel ex voluptate natas repellit, operi virtutis quod verbum docet, incumbit.

Illa autem est, quæ comites habet omnes alias virtutes, sicut quælibet virtus ipsam habet comitem patientiam, & vix aliqua sine ipsa reperiri & florere vnquam potest, & illa seclusa nullam vim, nullum robur reliquæ habent virtutes, atque ita vna virtus cùm sit, est omnium virtutum cumulus, atque ferè omnibus miscetur. Hinc Prudentius in Psychomachia:

Omnibus vna comes virtutibus associatur
Auxiliumque suum fortis patientia miscet,
Virtus nam vidua est quam non patientia format.

Istud hâc similitudine patefiet. Sicut absque pane, nullo cibo vesci potes, seu carne, seu pisce, seu oleribus, & similibus huiusmodi, nam omnes illi cibi sunt vtplurimum absque pane insipidi, at cum pane optimè palato sapiunt, & alendo corpori salutaria fiunt, sicque panis ad humanam vitam sustentandam necessarius est, vt vnà cum cæteris cibis comedatur; ita necesse est ad vitæ spiritalis conseruationem, vt patientia cæterarum virtutum socia sit ac comes, quælibet enim virtus, vt exerceatur nonnullas pati potest difficultates & labores, quæ adhibita patientia superantur, imò etiam delectant, ipsaque virtus vt iucundissima, sic facillima efficitur. Sic si eleemosynam largiaris, si Deum aut Sanctos exores, si ieiunes aut bonum aliquod aliud pręstes, semper est adhibenda patientia tanquam necessaria, vt omnia rectè & completè fiant, sintque Deo grata & ęternæ
Epist. 119. vitæ meritoria bona illa opera. Hinc fit vt Sanctus Petrus Damianus ipsam virtutem Reginam vocet: *Cùm assiduè*, inquit: *videamini diuinis insistere paginis, mirum est quomodo vobis adhuc ignota sit patientia, Regina virtutum:* Si ita sit, rectè dicimus ipsam esse perfectionem & complementum omnium aliarum virtutum, earumque comitem, sicut illius indiuiduæ comites sunt.

Si autem de quibusdam virtutibus exemplum dare velimus, & quomodo ipsam comitem habeant patientiam, erit à Theologis inchoandum. Et primò, quod spectat ad fidem quæ est prima Christianismi virtus ipsi patientiæ virtuti debetur; nam Sancta mulier Iudith in re virtutum benè docta, adhortans Proceres ad patientiam, calamitosæ obsidionis vrbis Bethuliæ ab Holoferne & suo exercitu, patientiæ elogia breui commemorat, illi ascribens virtutes omnes, quæ maximè floruerunt in sanctioribus Hebręæ Gentis Patriarchis, & potissimùm Abraham, Isaac, Iacob, & Moyse, & pręcipuè fidei

Patientia omnes complectitur virtutes.

Iudith 8.

meminit, dum ait: *Omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles, quasi eorum fides à patientia in eorum aduersis extiterit.* Et posteà concludit: *Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* Quod autem de fide dicimus iuxtà sanctæ illius mulieris verba, est de spe, charitate, oratione, pœnitentia, & alijs virtutibus dicendum. Audiatur Tertull. [a] qui libro de patientia explicans, illud Apostoli: manent fides, spes, charitas, hæc habet: *Fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam patientia comitatur.* Ecce quomodo patientia ex sententia Tertulliani est illustris Theologalium virtutum Trinitas, nam patientia vna cùm sit, quasi trina virtus est. Est enim fides, quia fidem munit (vt ait idem Tertull.) est spes, quia hominis patientia expectat promissam fœlicitatem, ne desperet impatientiâ desiderij; est charitas, quia charitatem adiuuat (vt ait ille:) ipsa etiam patientia orationis vices gerit, nam vt rursus ait idem Tertull. eodem libro: *Patientia petitiones commendat, deprecationes affirmat;* Et alibi dixerat: *Per patientiam misericordiæ matrem*, ac si patientia efficacissimè misericordiam impetret, & munificentissimè dona tribuat, ea liberalitate qua solet pia aliqua mater esse in suos filios munifica & valdè liberalis. Et est quod etiam præclarè docet Sanctus Isidorus: *Qui aduersa patienter tolerat*, inquit, *Deum sibi citiùs placat.* Quibus verbis ostendit per illam virtutem Deum citò nostras preces exaudire, vt liquidò patet de bono latrone in Cruce pendente, citò enim est exaudita eius deprecatio, quia patienter tormenta perferebat: & sicut Christus est exauditus pro sua reuerentia, ita latro ille exauditus est pro sua patientia. Vnde Sapiens: *Patientia linietur Princeps.* Si itaque patienter tribulationes feramus, patiẽter Deus nostras audiet orationes, nobisque compatietur, si illum quanquam iratum patientiâ nostrâ placare studeamus. Æquum est etiam vt ille patienter ferat aliorum in se peccamina, qui sua cupit à Deo exaudiri precamina. Præterea ait Antiochus: *Pœnitentia indiga admodum est patientia, citrà cuius operam perfici nequiquam possit. Patientia pœnitentiam perficit, & eam velut indice ostentat præinsigni patientiâ redimitam.* His verbis ostendit quàm cognata & comes sit patientia pœnitentiæ, cùm ipsius perfectio & consummatio existat. De singulis alijs virtutibus idem esto iudicium, & quia longum nimis esset illas omnes sigillatim recensere, in medium proponemus solùm Sancti Zenonis sententiam, tanquam ad nostrum propositum valdè aptam, Sermone de Patientia;

[a] Lib. de patient. c. 12.
b 1. Cor. 13.
Cap. 5.
Ibidem.
Cap. 13.
Cap. 3.
Lib. 1. Solil. cap. 4.
Prouerb. 25.
Hom. 78.

Profectò, inquit, *sola patientia est, ad quam prorsus res omnis spectat, dubium quippe cùm non sit spem, fidem, iustitiam, humilitatem, castitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omnesque virtutes constare non posse sine eruditione & fræno. Est enim (nempe patientia) matura semper, humilis, cauta, prudens, prouida, omni necessitate contenta, quauis tribulationum tempestate tranquilla.* Neque modo hîc ait castitatem constare patientiâ, sed infrà sic subdit alloquens patientiam: *Tu virginitati præstas ne flos eius vllo morbo, vllo tempore deflorescat.* In quo ostendit patientiam planè perficere virginitatem & castitatem, imò esse omnium virtutum perfectionem & consummationem.

SECTIO II.

Confirmantur Prædicta auctoritate Sacræ Scripturæ, & quorundam Sanctorum Patrum.

Iacobi 1. *Quæ de patiētia dicuntur ex S Scriptura, & SS. Patribus cōfirmātur.*

QVÆ suprà-dicta sunt præcedenti Sectione, clarissimè confirmant Scriptura, & nonnulli Sancti Patres, & primò occurrit nobis S. Iacobus, qui postquàm ad patientiam est exhortatus his verbis: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ, (hoc est tentatio tribulatioque) patientiā operatur;* hoc est animum vestrum obdurat, instruit, munit, roburque illi addit, ad ardua quæque superanda. Subdit: *Patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri* (hoc est in Christianismo consummati) in nullo deficientes. Opus dicitur habere perfectum, quia nulla virtus est animum hominis perficiens, quam eminenter non complectatur, quamque comitem non habeat, vt supra-dictum est, ac si omnes virtutes quodammodo esset, vel omnium virtutum perfectio consummatioque existeret. Vnde loco horum verborum: *Opus perfectum habeat,* Syriacè habetur: *Opus consummatum.* Redditur autem tale opus per patiētiam consummatum, absolutum, & perfectum, dum omnes virtutes annexas habet. Hinc præclarè ait Didacus Gaza in hunc locum Sancti Iacobi: *Vt,* inquit, *nihil fieri potest omni ex parte perfectum & absolutum sine multa cura & meditatione, assiduo instantique labore; ita sine patientia, quæ vna instando perseuerandoque operis perfectionem assequitur.* Et quemadmodum si quis pingendi peritus imaginem diu multumque elaborauerit, vt quamuis absolutissi-

Gaza in Iacob.

mam reddat, dicimus patientiam artificis esse magis quàm artem quæ illam perficit; Sic in actionibus virtutum dici potest patientiam habere opus perfectum, id est extremam operi manum & perfectionis laudem adhibere. Hoc sibi velle videtur Ecclesiasticus: *Fili in mansuetudine opera tua perfice,* id est morâ, quiete, patientiâ; nam qui nimis festinus & concitatus est, moræque ac laboris impatiens, nihil vnquam perfectum efficiet. Itaque mansuetudine quadam atque patientia conandum est vniuscuiusque virtutis perfectionem assequi, & illius actiones omnibus suis numeris absolutas reddere, adeóque oportebit in virtutes non simul omnes, sed sigillatim comparandas incumbere: nam vt prudenter S. Zeno ait, sermone de patientia, patientia non tam in multiplicandis virtutibus quàm in finiendis laudem ponit. Sic fiet vt paulatim perfectior quis euadat in omni genere virtutis. Quod S. Iacobus significat, dum subdit: *Vt sitis perfecti, & integri.* Hactenus Gaza. Sed quid intelligit S. Iacobus per illam perfectionem, & integritatem à virtute patientiæ emanatam & productam? mihi videtur id esse intelligendum eo modo quo Lyricus dixit: *Integer vitæ, scelerisque purus.* Et sic S. Iacobus docet apertè nos posse integritatem vitæ, atque morum perfectionem per patientiæ virtutem acquirere & adipisci; non enim multum differunt perfectio & integritas, nam in perfectionis definitione ingreditur integritas tanquam genus, vnde sic definitur, perfectio est integritas quædam eorum quæ ad rem aliquam constituendam efficiant: perfectum autem definitur cui nihil deest. Et sic verba S. Iacobi: *In nullo deficientes,* Græcè exponuntur, ita vt nihil vobis desit: quasi diceret, absque patientia enim in multis deficietis. Sed quemadmodum de patientia dicitur quòd opus perfectum habet, nónne dici quoque potest & debet de aliis virtutibus? nónne & reliquæ virtutes opus perfectum habent? neque enim essent virtutes, nisi haberent opus perfectum. Quid peculiare est in patientia ob quod dicitur habere opus perfectum? Et quid est hoc opus perfectum quod ipsa virtus habet, & quod non habent cæteræ virtutes? Nulla dari melior responsio potest, quàm illa quæ à S. Zenone supra citato datur, quòd patientiæ opus non sit tantùm multiplicare virtutes, sed illas ponere, consummare, & perficere; ac si patientiæ opus sit consummatio & perfectio virtutum: hoc itaque habet peculiare patientia, quod simili modo non habent virtutes reliquæ. Suffragatur S. Gregorius explicans illud S. Lucæ: *In patientia vestra possidebitis animas vestras,* sic inquiens; *Quid enim est animas possidere, nisi perfectè in omnibus viuere, cunctisque mentis motibus quasi ex arce virtutis dominari?* In quo satis liquidò patet, hos præclaros effe-

[Margin: Eccles. 3. — 5 Moral. — Luc. 21.]

ctus à patientia pendere, sicq; illam esse virtutum multiplicationem, sanctitatis perfectionem, & meritorum exaggerationem. Idem S. Gregorius explicans eadem verba, ait: *Per patientiam possidemus animas nostras, quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus, &c. sumus autem homines rationales; in hoc igitur possidemus nos ipsos quòd secundùm rationem gubernamur, virtutesque exercemus, quarum perfectio & consummatio gubernaculum est patientiæ.* Videtur ergo S. Gregorius docere, hominem absque virtute patientiæ non esse verè hominem, cùm patientiæ gubernaculo non regatur, & multa rationi non cõsentanea operetur. Vnde sic argumentari licebit, qui non possidet animã non est homo; sed qui non habet patiẽtiam non possidet animam verè rationalem, ergo qui non habet patientiam non est homo, id est, non viuit vt homo, quia irrationabiliter viuit. Et hinc, vt aiunt nonnulli alij, impatiens animam non possidet, sed possidetur à vitio iræ & vindictæ, ac consequenter à Sathana. Non multum dissimilem habet verborum Christi explicationem S. Thomas. *Ideò,* inquit, *dicitur homo suam animam possidere, in quantum radicitùs euellit passiones aduersitatum quibus anima inquietatur.* Ex sententia igitur S. Thomæ in eo sensu patientia opus perfectum habet, quòd pacatam & quietam reddit animam ab omnibus iis, quæ illi possent esse impedimento quominùs perfectè operetur, auulsis scilicet & radicitùs ablatis impedimentis quæ bonorum operum fructibus obesse possent: at verò passiones animum nostrum inquietantes radicitùs euellere, quatenùs animam nostram possidere valeamus, est habere dominium illius, & illi subjicere appetitum & iram; facientes quod dixit Dominus ad Caïm: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Dominium quod propriè homini congruit, vt Gregorius annotare videtur, non est illud quod acquiritur per vires corporis, quia fortior Elephante, Rinocerote, Leone, &c. creandus fuisset, sed per vires rationis & mentis, propria enim eius fortitudo est per rationem & mentem dirigentem, ordinantem, comprimentem. Vnde benè superiùs diximus in eo se verè hominem rationalem ostendere, animam suam & omnes eius affectus possidentem: *Bene ergo,* inquit S. Gregorius, [a] *dixit Salomon,* [b] *melior est patiens, viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium; minor enim victoria est vrbes expugnare, quàm suos affectus & appetitum, aut impetum spiritus sui moderari: ut qui per patientiam suas passiones & malos affectus expugnat, animum proprium superat, & semetipsum sibimet subÿcit, quænam victoria potest ipsi comparari? quæ fortitudo similis est? quæ possessio rei alicuius nobilior, quàm sic per patientiam animam suam posside-*

Hom. 15. in Euang.

a 2.q.136.art.2. in respons. ad 2. arg.

3.p.pastoralis.

a Loco cit.

b Prou. 16.

re? Videndus est S. Thomas, qui ex professo demonstrat actum precipuum fortitudinis esse patientiam. Ideoque amicus ille Iob aptè eam fortitudini copulauit, dicens: *Vbi est fortitudo tua, patientia tua?* Hæc doctrina est etiam ipsorum Gentilium & Philosophorum ore decantata: *Fortior est*, inquit Mantuanus, *qui se, quàm qui fortissima vincit oppida, nec virtus altior ire potest.* Et idem: *Ardua res vicisse alios, victoria maior est animi fluctus composuisse sui.* Exemplum habemus de Aristippo, vt dicitur in Policrato, qui cuidam maledicenti sibi respondit: *Vt tu linguæ tuæ, sic ego aurium mearum Dominus sum.* Ibi etiam dicitur quòd Xenophon de se maledicenti respondit: *Tu didicisti mala dicere, & ego maledicta contemnere.* Sic penè infinita reperiuntur de patientia Philosophorum Gentilium exempla. Certissimum est igitur veram fortitudinem maximè in patientia consistere, vt in sequenti Sectione ostendemus.

2.2. q. 123. art. 6.

Iob 4.

In cap. 16. Ecclesiast.

SECTIO III.

Verè illi animo fortes dicuntur, qui in aduersis constantiâ & patientiâ sunt præditi, vt David & Iob.

EX recondita Theologia discimus, veram fortitudinem non consistere in eo quod est occidere, percutere, ferire, vulnerare, prosternere, sed in firma, constanti, inuictaque patientia, prout longo sermone docet S. Ambrosius [a]. Et idem docuerat cœlestis sponsus, explicans eorum fortitudinem qui verè fortes dici possunt: [b] *Collum tuum sicut turris David, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Missâ prioris partis expositione, est solùm ad propositum nostrum posterior pars explicanda. Mille clypei, id est innumeri, nam millenarius numerus pro quasi infinito ponitur (inquit Theodoretus in hunc locum) & familiare est sacris litteris (inquit B. Greg. Nyss.) per hunc numerum magnam multitudinem significare. Sed ad quidnam tot tantique clypei de quibus loquitur sacer sponsus? alludere videtur ad morem quorundam Imperatorum, Regum, & Principum qui, vt refert Rabbi Selemoh in Cantica, solebant priscis illis temporibus suspendere ex aliqua eminenti turri scuta, clypeos, pharetras, iacula, gladios, malleos, & alia diuersa bellica instrumenta ad ostentationem, & vt terrorem inimicis incuterent, his enim solebant milites muniti ad pugnam: voluit ergo cœlestis sponsus simi-

Fortitudo in quo consistat.

a Lib. 1. offic. à capite 35. vsque ad 41.

b Cant. 4.

Hom. 7. in Cant.

liter ostendere in fortalitio suo arma esse innumera, ad armandum & muniendum omnes suos fortes, sed quos fortes? illos quos paulò ante sponsus vocauerat fortissimos Israël: Israël enim, vt S. Hieronymus docet, significat fortem Dei, aut fortem in Deum, id est supremâ fortitudine præstantem, talem enim se exhibuit Iacob quando vocatus est Israël. Hi fortes, hoc est Ecclesiæ fideles, non armantur sagittis quibus transfigant, lanceis quibus confodiant, gladiis quibus iugulent, malleis quibus feriant & contundant, &c. sed clypeis duntaxat, quibus sagittas & ictus contrà se missos euitent, & ab eis se protegant; licet eis habere quò se defendant, non quò offendant. Et hi clypei patientiam denotant, quâ quis fortiter sustinet ictus ab aliis illatos, & plus valet, quàm mille clypei. Et de facto cœlestis sponsus non vnius clypei solùm meminit, quo quidem se munire debeant Ecclesiæ fortes, videlicet fideles, sed multorum, vt nobis indicet quemlibet fortem debere omni ex parte patientiâ muniri. Hoc patientiæ clypeo munitus erat Dauid, quem Spiritus Sanctus in scripturis Principem fortium describit, cùm à Saüle acrem & à filio duram & impiam persecutionem fuisset passus. Hoc itidem fortis ille Athleta Iob clypeo munitus fuit, cui cum omnium Dæmonum agmine bellum fuit indictum: sed quemadmodum in omnibus virtutibus fuit perfectissimus, ita tanta tamque singulari patientiâ floruit, atque huius virtutis character tam altè in eius mente sculptus fuit, vt meritò adamanti sit comparandus. Lapis adamas tanta est duritie præditus, vt frangi non possit dum percutitur: ita Iob tanquam verus adamas, licet variis calamitatibus, pressuris, ærumnisque percussus fuerit, obteri tamen non potuit, sed omnes percutientium ictus sine vlla læsione tulit, & quò plus fuit percussus, eò clariorem præbuit virtutem ac fortitudinem: & in hoc etiam adamante durior ac fortior extitit, nam hirci sanguine emolliri ac frangi adamantem ferunt, at nunquam vllo modo ac medio ne tantillum quidem frangi aut conteri potuit. Hinc illud S. Chrysostomi in catena Græca Iob, vbi de illo loquens ait: *Immutatus strenuè constitit*: Et paucis interiectis: *Neque est vlla apud mortales calamitas, quam non hic quouis solidior adamante sustinuerit, famem, & egestatem, & morbum, & orbitatem filiorum.* Et idem in Genesim: *Beatus Iob,* inquit, *ille pugil pietatis, Athleta Orbis, acceptis innumeris à Diabolo telis, vulnus non accepit, sed sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit, & à tantis fluctibus non solùm non est submersus, sed & præualuit.* Hæc ille. *Et ideo,* ait Clemens Alexandrinus, *est ipse Iob nobis præclarum patientiæ exemplar propositus, pudore afficiens eum qui tentauerat, benedicens ei qui firmauerat, dicens, sit nomen Domini benedictum.*

Lib. qq. in Genes. cap. 32.

Loco cit. Cant.

Hom. 23. in Genes.

Lib. 4 Strom.

benedictum. Olim quæ Antiqui ad Posterorum memoriam transmitti vellent solebant seu litteris seu characteribus columnis inscribere: sic filij Seth duabus illis columnis æneâ vnâ contra aquæ vim, lateritiâ alterâ contra ignem, disciplinas ad posteros transmiserunt, vt tradit Iosephus arma legimus à Simone columnis insculpta seu superposita in fortitudinis signum. Sed nobilior nobis columna, ac qualibet marmoreâ diuturnior relicta est in qua insculptus Iob veræ fortitudinis character, perfecta virtutis forma & simulachrum; dum enim eius certamina legimus, eius inflexibilem animum omnique aduersitate superiorem, tanquam in erecta columna fortitudinis characterem & virtutum omnium formam habemus. Id eleganter refert Dydimus in catena Græca dum ait: *Verùm illius potestati rem omnem permisit, idque ad omnium nostrûm vtilitatem, vt Iobus character formaque fortitudinis tanquam in columna relinqueretur insculptus, essetque meta virtutis non solùm illius ætatis hominibus, verumetiam posteris*. Adhuc in hac columna sculptus loquitur, & omnes ad patientiam vocat, Cœli rectum iter indicat hæc columna, non minùs ac illa ignis & nubis quæ olim Hebræis Terræ Promissæ viam monstrabat. Pulcherrimum itaque fortitudinis & patientiæ simulachrum, imago, exemplar, ac forma fuit Iobus: vnde insignis eius patientia in prouerbium abiit, Iobi mihi patientia necessaria hac in re est, hîc Iobi patientiâ opus esset, & similes ferè apud omnes frequentissimæ loquendi formulæ, cùm singularem patientiam significare volunt, & virum infractæ patientiæ, ingentisque fortitudinis indigitare intendunt. Diuinæ etiam Litteræ Iobi patientiam & imitationem in exemplum perpetuò memorabile mirificè & clarissimè proponunt, vt patet in libro Tobiæ. Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi (Tobiæ) vt Posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & Sancti Iob. Hi ergo qui aduersis tribulationibus & calamitatibus premuntur, oculos in hæc exemplaria conjiciant, vt tantam eorum fortitudinem imitantes, cunctis malis mentibus inconcussis occurrant. Præiuit Iob vt nos sequeremur, ita Tobias, & nonnulli alij; & tantam in aduersis fortitudinem ostenderunt etiam in veteri testamento & ante gratiæ tempus, vt pudore suffundi debeamus in lege gratiæ, si multò minoribus pugnis succumbamus, cùm longè maioribus præsidiis muniamur. Denique sicut miles qui inermis ad bellum pergit, mortis se exponit periculo, & sine armis inglorius occumbit, qui armis munitus victoriam sperare poterat; ita & in spiritali militia accedit, qui patientiâ caret, ad certamen sine armis properat hostium victima futurus, non victor; vt rectè animaduertit B. Laurentius Iustinianus: *Æqualis periculi est*,

Lib. 4. cap. 5. & lib. 1. Mach.

In cap. 1. Iob.

Tob. 2.

De patientia cap. 1.

inquit, *accedere sine armis ad bellum, & absque patientia ad spiritualem subiectionis obedientiæque properare conflictum; ille corpus, iste tempus animamque amittit.* His verbis eorum arguit impatientiam qui nequidem vnius verbuli puncturam ferre queunt, contra id quod docet S. Nilus in Parænesi: *In omnibus in quibus iniuriâ afficeris ad patientiam confugito, & super iniuriantes nocumentum deuoluetur; en videmus Iobum non vnico clypeo munitum, sed multis, hoc est multa ac maxima patientia & animi fortitudine, ad vitandos & declinandos tot calamitatum ictus.* Et proindè sedulò venit à nobis imitandus, & cum animorum alacritate. Nam vt ait Poëta Lucanus: *Gaudet patientia duris.* Ipsi Iobo & cuicumque patienti optimè conuenit quod refert Typotius de Theodoberto Austriæ Rege, qui victricem patientiam repræsentabat in aqua, in qua fax accensa iniecta extinguitur, cum hac inscriptione: *Omnia vincit.* Omnes quippè calamitatum & anxietatum faces accensæ in patientiæ aqua iniectæ extinguuntur, hoc est ipsa patientia illas omnes vincit & superat. Vnde Apostolus docet omnes tentationes esse ferendas cum multa patientia, & posteà addit: *In tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, &c.* Quasi diceret esse necesse multâ patientiâ, vt his rebus multis occurramus, illasque pro viribus declinemus. Hinc S. Gregor. ait: *Fortitudo nonnisi in aduersitate ostenditur, tantò enim quisque se ad fortitudinem profecisse veriùs demonstrat, quantò mala robustiùs tolerat.* Vide ea quæ de eodem Iobo diximus in Tractatu de Angelis malis, Capite 6. Sect. 2.

Lib. 9. — *Lib. 2. Symb. fol. 36.* — *2. Cor. 6.* — *5. Moral. cap. 17*

SECTIO IV.

De miranda Christi patientia.

Mira Christi patientia.

PRÆ reliquis Christus Redemptor noster patientiæ clypeo fuit munitus, est enim fortitudo Patris, qui venit in fortitudine tanquam Dominus fortis & potens in prælio, vt ait scriptura. Sed quid egit? percussitne, vulnerauit, prostrauit, & occidit inimicos? minimè gentium, quibus ergo armis se muniuit? solâ patientiâ eâque multâ, quâ quidem tanquam mille clypeis fuit armatus; patientia inquam, cùm ab inimicis comprehensus fuit, patientia, cùm fuit consputus, colaphisatus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, mortuus, &c. De qua quidem admirabili patientia prædixerat Isaias: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmu-*

Isai. 53.

tescet, & non aperiet os suum. Quibus quidem nihil illustrius dici potuit ad insignem Christi patientiam exprimendam; Sicut enim cùm ad macellum ouis ducitur mactanda, non reluctatur, sed valdè patiens consistit; ita Christus summâ patientiâ & propriâ voluntate quin & voluptate mortem oppetiit; *Oblatus est enim quia ipse voluit.* Et quemadmodum agnus quem crudelis tonsor non superfluâ tantùm spoliat lanâ, verumetiam deglubit & lacerat, silet tamen, neque sibi iniuriam aliquam inferri conqueritur; ita & Christus instar mansuetissimi agni licet per summam crudelitatem non tantùm vestibus nudatus sit, verumetiam crudelissimè laceratus, tacuit tamen, neque vllam doloris vocem, summis licet in cruciatibus, testem edidit; sed in his omnibus victúsne remansit, an victor? infirmúsne fuit an fortis? *Vides eius fortitudinem*, inquit Chrysost. *pendens in cruce obscurabat solem, contremiscere faciebat terram, & lapides concuti.* Et nihilominus, vt refert S. Petrus, *cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*: Quinimò pro transgressoribus rogabat, ne perirent, prout Esaïas prędixerat. O verè mansuetissimum & patientissimum agnum! Præclarè itaque & verissimè iam antea de eo dixerat S. Ioannes Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Agnus quidem non modò ob innocentiam & candorem, qui nullâ peccati maculâ fœdatus omnium maculas abluit; verum-etiam propter insignem eius patientiam & mansuetudinem. Suffragatur Tertullianus, libro de patientia, vbi de ipso Christo tam multa & tam acerba perpesso sub ipsum ex hac vita exitum sermonem instituens, ait: *Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat, quo patiendi inexplebilem auiditatem aptè significauit, quam & Ieremias prædixerat, saturabitur opprobriis.* Solent nonnulli qui sibi instare mortem norunt, voluptati largiùs indulgere, præsertim in conuiuiis & compotationibus. Vnde nata illa improborum vox: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Vt de Megarensibus Diogenes, dixit ad taxandam eorum ingluuiem, Megarenses obsonant, quasi crastinâ die morituri. Idque nonnullis Christianis olim accommodatum memorat Tertullianus [a]. Seneca [b] etiam post lautioris epuli hilaritatem refert quoque è vino somnoque surgentes conuiuas versum illum Maronis intonare,

Serm. de Mansuet. tom. 5. | 1. Petr. 2. | Isai. 53. | Ioan. 1. | Thren. 3. | Sap. 2.

a In Apolog.
b Epistola 60.

> *Namque vt supremam falsa inter gaudia noctem*
> *Egerimus nosti.*

Dicere volentes totam noctem inter falsa gaudia, & quidem tanquam supremam peregisse & transiuisse. Christus verò morti proximus non alias habuit potiores delicias, aut maiorem voluptatem, quàm laborum & patientiæ, his nimirum epulis ad saturitatem ex-

pleri exoptabat, atque, vt loquitur Tertull. saginari voluptate patientiæ discessurus volebat; neque enim ex hoc mundo vnde instare sibi profectionem videbat, aliquid iucundius aut gratius reportare se posse existimabat. Id verò magis ex eo æstimandum est, quòd cœlestes illum deliciæ, & magnificum Dei epulum manebat expectabatque. Porrò qui se lautè & opiparè exceptum iri sperant, integram solent seruare famem & per summam inediam ad futuram se parare ingluuiem; at Christus è conuerso, cùm enim conuiuium magnificum & gloriæ epulum sibi cum suis commune instaret, vt ipse aiebat referente S.Luca: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater Regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo;* saginari tamen voluptate patientiæ antea voluit, & laborum atque anxietatum cupedias adamauit. Quid de illo diceremus qui Regio excipiendus conuiuio sese cibo aliquo priùs ad satietatem expleret, nisi præ aliis omnibus eo delectari? Quantùm ergo Christum multiplex laborum patientia oblectaret facile est dictu, cùm instante gloriæ conuiuio saginari tamen voluptate patientiæ discessurus voluerit: sciebat profectò in tam lauto, splendido, ac verè Regio vitæ æternæ conuiuio sibi defuturum hoc cibi genus, videlicet laborum & dolorum, quo quidem ampliùs vesci sibi non liceret; & propterea non mirum si, vt ait Tertullianus, voluptate patientiæ, tanquam cibo quo multùm delectabatur, saginari voluit, priusquàm ad magnificum illud conuiuium æternum perueniret. Et certè quamuis mira viuens fecerit, non tamen tantam in cunctis suis actionibus virtutem & fortitudinem demonstrauit, quantam cùm patientet acerbam mortem sustinuit. Vnde Diabolus, qui vix cognouerat illum esse Dei virtutem, dùm virtutes operabatur, veriùs cognouit illum quando infractam ipsius patientiam attendit. Miratur etiam Tertullianus quomodo Iudæi tanta conspecta patientia non cognouerint ipsum esse Deum, & Pharisæos alloquens ait: *Hinc vel maximè, ô Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret*, hoc est, nullus inter homines reperiri posset, qui cum tanta patientia & mansuetudine tot opprobria, iniurias, improperia, calumnias, dolores, & mortem acerbissimam pati valeret, & lubenti animo vellet, sicut ipse Christus Dominus; mirum itaque, ô Iudæi, quomodo ista conspicientes, ipsum esse Deum non confessi fueritis. Hinc est quòd Apostolus, vt in patientia & tolerantia fideles Christi solidaret, illis proposuit exemplum ipsius Christi, ait enim: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ, atque in dextera*

Luc. 22. — Heb. 12.

sedis Dei sedet. Alludit Apostolus ad pictores, qui vt ex prototypo imaginem exprimant, necesse est sæpe prototypum ipsum sui exemplar intueantur & respiciant. Ita (inquit Apost.) patientiæ exemplar vobis propono, (Christum scilicet crucifixum) vt in illud assiduè intuentes, eius constantiam & patientiam in vobis exprimere & imitari studeatis. Ad hoc propositum S. August. *Causa*, inquit, *patiendi capiti fuit, vt corpori præberet exemplum.* Et paulò post ait: *Intueamur caput nostrum, vt eius exemplo commoniti dicamus, si ille, quid nos?* Quasi dicat, si ille qui peccatum non fecit, &c. tot ludibria, tot alapas, tot flagella, & denique mortem pertulit, quid nos qui tot peccata commisimus, tolerare debemus? Id docet B. Petrus; *Christo igitur*, inquit, *passo in carne & vos eadem cogitatione armamini.* Vocat S. Petrus hanc cogitationem passionis Christi armaturam, quâ facili negotio poterimus quibuscumque tentamentis ad impatientiam impellentibus resistere, vt quemadmodum (ex Tertull. sup.) in patientia Christus agnoscebatur, ita in patientia vnusquisque nostrum Christianus cognoscatur. Subdit deinde S. Paulus: *Recogitate enim qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes.* Cui consonat illud Apocalypsis: *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis quæ ventura est in Orbem vniuersum tentare habitantes in terra.* Primus qui hanc Christi & potissimùm in Cruce patientiam est imitatus fuit bonus latro, vt rectè obseruat S. Bernardus, qui ait ipsum Latronem cùm adeuntem in Regnum per tormenta Christum vidisset, peruenisse ipsum quoque compendiosa via ad Regni fœlicitatem, iustum enim supplicium sceleribus repensum honestauit decore patientiæ, & illucente sibi cœlesti sole agnouit quantum bonum quamque fructuosum esset excipere patienter præsentem cruciatum; sicque, vt ait quidam alius celebertimus Doctor, ipse latro patientiam viam vitæ, Regni viam, viam Ciuitatis habitaculi agnouit, & adamauit.

In Psal. 34. — *1. Epist. 4.* — *Loco cit.* — *Apoc. 3.* — *Serm. 1. in Ramis Palm.*

SECTIO V.

Voluit Christus vt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & alij, patientiâ in aduersis munirentur.

QVEMADMODVM autem hoc armorum genere hoc est clypeis patientiæ munitus fuit Christus, & cum bonus latro est

Apostoli, Martyres, &c.

patiẽtiæ clypeo muniti erant. imitatus; ita fortes Israël & validos duces, quos exercitui suo præposuit, munire voluit: *Ecce, inquit, ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Supra audiuimus ex S. Ioanne Baptista ipsum esse agnum Dei, & vt prophetauerat Esaïas, ipsum quasi ouem ad occisionem ductam non aperuisse os suum, &c. Igitur satis ostendit ex allata S. Matthæi sententia se velle vt Apostoli, sui ad imitationem, tanquam oues & agni incederent, & in subeundis quampluribus tormentis & opprobriis suam patientiam patefacerent. Dum ergo ait illis; *Ecce ego mitto vos, &c.* vult dicere, non humanæ naturæ beneficium tollo, sed ouilis patientiæ opus iniungo, cùm cœperint vos lupi vellicare, nolite resistere aut vociferari, quia nisi vos spoliati fueritis, alij non vestientur; id est, nisi vos mortui fueritis, alij non viuent; nec timeatis hanc vellicationem præsentem, cùm enim ætas resurrectionis aduenerit, alia super vos lana immortalitatis nascetur; & ne miremini si agnis & ouibus vos comparo, necesse est enim vt tùm agnorum, tùm ouium patientiam in iniuriis aliisque aduersis ferendis exhibeatis. Et forsitan huc respiciebat Apostolus, dùm dicebat: *Signa Apostolatus mei in omni patientia.* Hæc enim verorum Apostolorum arma sunt, quibus Christus fortes suos muniuit.

Matth. 10.

2. Cor. 12.

His eisdem muniuit Martyres, qui supremum fortitudinis gradum tenuerunt, quos nulla Imperatorum potentia, nulla carnificum crudelitas, nullum pœnarum genus potuit vel leuiter à suo mouere instituto. Quàm fortis esset turris illa, quam nulla ventorum procella aut fluminum rapidi incursus, immò & totius maris irruptio posset vel leuiter mouere! tales erant Martyres contra quos totus egit mundus, omnisque Principum potentia, & potuerunt in eis carnes ab ossibus separare, & corpora membratim discindere, & ossa omnia comminuere: nec tamen potuerunt à Christo in quo firmi perstabant vel latum vnguem separare; & dicere poterant cum S. Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Et quæ erant eorum arma? mille clypei; si comprehendebantur, patientia; si carceribus includebantur, patientia; si verberibus afficiebantur, patientia; si exules mittebantur, patientia; si ad mortem ducebantur, patientia. Ad hoc propositum recolenda sunt, quæ ex Demosthene retulit Sanctus Augustinus, qui rogatus quidnam necessarium primò esset oratori: Respondit pronuntiatio; quid secundò, pronuntiatio; quid tertiò, pronuntiatio. Idipsum Cœlestis Sponsus loco laudato Canticorum dicere videtur, fortis vir (vt fuerunt Martyres) armis eget plurimis, est enim congrediendum cum varijs inimicorum ge-

Epistola 57. ad Dioscorum.

neribus; quodnam primum armorum genus desumendum? Patientiæ clypeus; secundum? clypeus; tertium? clypeus; & si millies quęras, millies idipsum respondebit. Et propterea mille clypei dicuntur positi ad omnem armaturam viri fortis, & qui inter fortes viros Israël annumeratur, quique victor euadit, non arcus tendendo, non sagittas mittendo, non lanceas vibrando, sed in patientia. O quàm mira est illa vis fortium Israël! ô quàm mira est hæc Sophia (cantat Ecclesia in Prosa quadam Apostolorum) *O quàm noua Cœli via! vincit qui occiditur.* Sanctus Chrysostomus in sermone vt benedicamus maledicentibus, qui incipit: *Ingemiscenti mihi, &c.* Ostendit diuersam esse rationem fortitudinis inter fortes Dei, seu fortes Israël, ac fortes mundi: hi namque tanto fortiores reputantur, quantò minus sustinent, maiora vulnera infligunt, maiorem hostium numerum occidunt, vt in Olympicis illę fortior censebatur qui alterum deiiciebat, & in terram prosternebat; qui autem percutiebatur aut cadebat, debilior ac infirmior iudicabatur; at in stadio fortium Dei ille fortior est qui validiores ictus sustinet; non fortis est Nero qui occidit Petrum & Paulum, sed fortes sunt Petrus & Paulus mortem sustinentes: non fortis Dacianus qui Vincentium mactauit, sed Vincentius qui patienter iacuit occisus; quod nec Dacianus ipse negauit, qui admiratus eius constantiam cœpit clamare, victi sumus. Quod egregiè ostendit Sanctus Augustinus: *Quomodo victus tu qui stas, qui vulneras, qui percutis? potiùs victus videtur Vincentius qui cadit, vulneratur, percutitur, & occiditur.* Verè Vincentius fortis est Israël, qui vincit munitus clypeis, hoc est multâ patientiâ, tot tantáque tormentorum genera patienter sustinens, cuius vim & fortitudinem ipsimet tortores confessi sunt. Hi ergo fortes ore pleno, non qui iniurianti colaphum impingunt; sed qui percussi in vna maxilla, aliam præbent: hi fortes, non qui auferenti pallium, vitam auferunt; sed qui auferenti pallium, etiam & tunicam tradunt: hi fortes, qui nullis commouentur aduersis, non gladiis, non lanceis, non ipsa denique morte, & eò fortiores extiterunt semper, quò maiorem tenuerunt patientiam. Legis vitas Martyrum? quomodo B. Stephanus pro lapidantibus intercessit? B. Cyprianus carnifici dedit omne quod habebat; B. Ignatius à decem militibus passus, quantò illi maiores inferebant iniurias, tantò ipse maiora præstabat beneficia, quibus crudeliores reddebantur. Quocircà Trajanus Imperator, qui suâ sententiâ causam dedit martyrio ipsius, dixit, nulla gens pro Deo suo tanta tolerat, atque Christiana. Vitas item legis Sanctorum, qui varias inimicorum offensas, iniurias, opprobria, verbera, & alia id genus patientissimè sustinuerunt? Quæ-

Tom. 5.

Serm. 12. & 13. de Sanctis.

Quinam sint verè fortes.

ro abs te an iudices illos infirmos & debiles, an fortes? Certum est te dicturum illos extitisse fortissimos Israël, hoc est fortes Dei, & supremâ fortitudine præstantes, vt anteà ex S. Hieronymo diximus.

Hieroglyphus fidei & patiētiæ canis trunco alligatus.

Fol. 146.

Non mirum itaque si Ioãnes Iustus, Marchio Montis-Ferrati vltimus XIII. vt fidem & patientiam ab omnibus colendam & sectandam ostenderet in cunctis aduersis, repræsentauit canem trunco arboris alligatum, vt refert Boodt libro symbolorum diuersorum Principum, cum hac inscriptione, fide & patientiâ. Si enim de fide sermo sit, nullus vnquam dubitare poterit quin canis sit homini animal fidelissimum, & qui sæpe aduersùs latrones & Domini sui inimicos pro eo pugnauerit. Legimus quendam olim canem in Epyro, agnitum in Conuentu percussorem Domini sui, latratu & laniatu accusasse, vt scelus fateri coactus fuerit. Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere, præliati contrà resistentes. Canis Iasone Lycio interfecto cibum capere noluit, inediâque consumptus est. Alij corpora dominorum suorum occisorum deserere nolentes mœstos edebant vlulatus, quo aliquando factum est vt cùm quidam cani propè corpus Domini sui vlulanti semperque demoranti cibum obiecisset, illo accepto ad os defuncti tulerit. Quod ad canis patientiam attinet, non minùs præcedentibus exemplis dùm inediam patiendo ac excubias ad Domini corpus agendo pertulit, quàm Hieroglypho ipso confirmatur; in dies enim catenis alligatus seruitutem ita æquo animo fert, vt propterea nihil de fide seu fidelitate ipsius decedat: vbi etiam aduersùs Dominum si quid deliquerit, castigationem & verbera ita fert patienter, vt quamprimùm Dominum blandientem perceperit, statim iniuriæ acceptæ immemor etiam adblandiatur. Nostro æuo contigisse narratur (inquit Boodt) crudelem Dominum vt canis sui in se fidelitatem & patientiam ostenderet ad se vocatum gladio pedes omnes amputasse, ac gementem & iacentem canem abiecto gladio ad se vocasse, qui ad Dominum repens caudâ illi adblanditus fuisse acceptæ cladis immemor, magna adstantium commiseratione, & in facinoris authorem odio, dicitur. Huius animalis exemplo, (inquit idem Boodt) hic Princeps supranominatus Marchio fidem & patientiam sibi colendam rectè & prudenter proposuit, illa enim vinculum est quo Reipublicæ status connectitur & conseruatur; hæc, modus & ratio quâ incommoda feruntur, donec occasio & opportunitas rei benè & tutò gerendæ se offerat. Hoc etiam duplici titulo, fidei videlicet, & patientiæ, canis potest esse Martyrum symbolum, cùm tantâ in Deum fide, ac patientiæ clypeo muniti quoscumque cruciatus & tormenta passi sint. O verè summa fortitudo!

Hoc eodem armorum genere, hoc est clypeorum multæ patientiæ armati fuere tot viri fortissimi, non solùm Martyres, verumetiam Confessores, Virgines, & alij, vt eorum exempla in medium proferre esset lectorum & auditorum ipsa abuti patientia. Non pigebit tamen referre quæ de S. Bernardino Senensi sacri nostri instituti habet Surius de vitis Sanctorum. Cùm ille per Senensis vrbis plateas iret, petulantes pueri à tergo insequentes illudebant, inque eius nudos pedes per apertum calcem lapillos subindè iaciebant: ille ne semel quidem respiciens pergebat itinere suo; Socius autem indignè ferens, non animaduertis (inquit) proteruitatem puerorum? Cui Bernardinus: *Faciant sanè quod volent, materiam, frater, isti nobis præbent vnde sempiternæ gloriæ coronas prætexamus, dùm enim molesti iniuriosique nobis sunt, patientiæ nobis occasionem suppeditant qua possidebimus animas nostras, & cœlorum regna promerebimur.* Mens. Maij.

SECTIO VI.

Patientiæ clypeo ad Christi imitationem potissimùm muniri debemus, si gloriæ coronam assequi exoptemus.

CHRISTI Domini exemplo atque Sanctorum Apostolorum, Martyrum, &c. facilè poterimus nos omnium tribulationum iaculis opponere: ideo sæpe reuocanda sunt in memoriam eorum gesta, & præcipuè incredibilis illorum patientia in sustinendis quibuscumque calamitatibus. Vnde Gregorius in quadam Homilia: *Facta*, inquit, *prudentum Patrum consideremus, & non erunt grauia quæ toleramus.* Ferunt nonnulli aprum habere vnum latus ita fortissimum, vt vix possit quacumque hasta vel gladio perfodi; quod quidem latus propter huiusmodi duritiem vocatur clypeus apri: Hoc cùm naturali quodam instinctu cognoscat aper, solet hanc corporis partem cœteris fortiorem venatorum iaculis objicere. Ita patientia cùm sit fortissima virtus, & tanquam clypeus, immò vt multi clypei, debet ad imitationem Christi, & Sanctorum quibusque afflictionibus opponi. Vnde huiusmodi virtus cuidam gemmæ, quæ alectora dicitur, ab Alberto Magno comparatur, quam si quis secum deferat, inuictus efficitur in certamine: ita si qui patientiæ clypeo sint muniti, nullomodo vinci poterunt, sed ab omnibus hostium telis inuulnera-

biles efficientur, ferientur quidem, sed non lædentur; oppugnabuntur, non expugnabuntur; impellentur, sed non labentur. Et propre-
Hom 31. in 1 ad Cor.
reà S. Chrysostomus vocat patientiam scutum inexpugnabile, ac firmam turrim omnia mala repellentem. Milites olim inter Athenienses authore Plutarcho diligenter curabant ne clypeum dimitterent aut desererent: dum itaque è prælio redirent, suumque clypeum referrent, ense licet amisso, omnes congratulabantur, ac statim eodem clypeo tanquam diademate supra caput imposito maximo cum iubilo coronabantur. Cui consuetudini alludere videtur Psaltes Re-
Psal 5.
gius: *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Sic haud dubiè coronabimur & nos patientiæ laureâ, Sanctorum virorum instar qui nos præcesserunt, ac maxima cum iubilatione ab omnibus his sanctis & cœlicolis admittemur & recipiemur, si in huiusce vitæ militia hunc patientiæ clypeum non amittamus, nosque semper tales in rebus aduersis præbeamus, vt nulla rerum temporalium iactura
Lib. 1. Symbol. fol. 114.
à nostræ mentis statu ac tranquillitate dimoueamur. Id nobis innuere voluit Carolus rex Neapoli dux Calabriæ, referente Typo-
Symbolum patientiæ.
tio, dum in eiusdem virtutis symbolum depingi iussit serram rupem per medium secantem, in cuius rupis fastigio crucem & super eam rosam repræsentauit. Quo symbolo hieroglyphicè designare voluit in omnibus difficultatibus & ærumnis adhibendam esse patientiam; per illam enim serram secantem rupem, huius virtutis constantiam & fortitudinem, quæ rupes etiam hoc est quascumque difficultates rupe duriores vincit & domat, repræsentauit. Sed quid per crucem & rosam supereminentem, nisi easdem difficultates & ærumnas, quæ altissimè in florem germinant, hoc est æternam fœlicitatem rosâ odoratiorem & suauiorem? Hinc in inscriptione habetur, *In patientia suauitas.* Solet rosa crescere & colligi inter spinas, ita fœlicitas ex tribulationum spinis: iuxta illud quod in actibus Apostolorum ha-
Act. 14.
betur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Cœlorum.* Quando autem dicimus ex patientia in aduersis & tribulationibus nos fœlicitatis rosas easque perpetuas & immarcescibiles colligere, id intelligimus modò in patientia perseueremus; non enim satis est pati, sed necesse est perseuerare, sine enim perseuerantia victoriæ præmium & fœlicitatis rosas non assequitur patientia: ideò Christus perseuerantiam Apostolis commendat in patiendo: Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, id est, coronabitur.
Epist 129.
Vnde S. Bernardus: *Perseuerantia,* inquit, *meretur viris gloriam, coronam virtutibus, vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, propugnaculum sanctitatis.* Tolle perseuerantiam, neque obsequium mercedem ha-

bet neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo. Hinc in Apocalypsi habetur: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Non sufficit inimicos primo secundove conflictu vincere, nisi adsit perseuerantia, vt qui eos debellat victoriam & trophæum referat: ita non est satis laborem, vel cruciatum, vel tentationem semel iterumque superare, si tandem succumbas, nec rursus te erigas, reportesque victoriam. Si itaque victoriam reportare cupis, vt in æternum saluus fias, perseuera in conflictu vsque in finem. Suffragatur S. Paulus ad Hebræos: *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromißionem;* Hoc est, vt finem ad quem conditi estis reportetis, & ad vitam perueniatis æternam, maximè vobis est necessaria patientia. Tot enim tentationibus & difficultatibus vita Christiana referta est, vt nisi clypeo patientiæ homo se muniat, nullomodò possit gloriæ coronam sibi comparare. Ideò optimè S. Cyprianus libro de bono patientiæ: *Neque accipi potest*, ait, *dolorum & paßionum corona, nisi præcedat in dolore & paßione patientia.* Cui suffragatur S. Hieronymus in quadam Epistola, vbi docet ita esse necessariam patientiæ virtutem, vt sine ipsa nullus Sanctorum coronatus fuerit: fuit enim semper in Ecclesia pressura, non defuerunt persecutiones & tribulationes, ob quas tolerandas summoperè requisita fuit patientia. Verba itaque S. Hieronymi hæc sunt: *Quis Sanctorum sine patientia fuit coronatus? à cunabulis enim Ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens.* Et clariùs adhuc S. Gregorius: *Nemo Sanctorum*, inquit, *ad cœlestem gloriam nisi patientiam seruando peruenit.*

Apoc. 2.

Hebr. 10.

Hom. 7. lib. 1. in Ezech.

CAPVT XI.

De Anima separata.

Quare anima discessum à corpore abhorreat.

CERTISSIMVM est animam rationalem non solere discessum à corpore affectare, quia est eius substantialis forma, cum eo totum substantiale constituens, videlicet hominem; vnde ipsi homines mortem refugiunt, & exhorrent talem separationem, quoniam sensitiuus appetitus resistit, vel quia cognitio quam de futura vita habent obscura est & valdè imperfecta, sicut eius status est dubius; vel quia tandem retinentur in hac vita amore rerum præsentium & sensibilium voluptatum, & futurum Dei iudicium reformidant: Attamen velint nolint: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, vt ait Hebr. 9.

Apostolus, *post hoc autem, iudicium.* Ideò postquam de ipsius animæ essentia, facultatibus, proprietatibus, & aliis quæ eius statum vel in gratia vel in peccato, &c. in vita præsenti concernunt, satis fusè diximus; superest vt de eius statu post mortem differamus, non enim ipsa corpore soluta interit, aut extinguitur, sed cùm eam esse immortalem suprà probauerimus, ostenderimusque id fide nobis constare; certissimum est illam superstitem permanere, viuere, intelligere, cognoscere, atque proficisci, in regionem ignotam, vbi sunt aliæ leges, alij ciues, alij mores, alia iudicia & cogitationes, alia rerum æstimatio, vbi nihil est aurum, facetiæ non oblectant, vbi doctrina humana est ignorantia, corporum pulchritudo est deformitas, &c.

SECTIO I.

Quam mutationem subeat anima rationalis à corpore separata.

QVÆSTIO est an per separationem mutetur anima secundùm suam existentiam; item secundùm facultates, habitus etiam ante acquisitos, & species intellectiles?

Anima per separationem non amittit propriã existentiam vel subsistẽtiam, & cur.

Primò dicimus illam non mutari quoad existentiam, seu subsistentiam, remanet enim propria vi subsistens quemadmodum subsistebat in corpore, quamuis tamen amittat reuerà modum positiuum quo actu informabat corpus, sed hoc accidentarium est ad existentiam ipsius animæ, quæ semper animæ ex se conuenit. Hic autem non disputamus an anima separatà retineat appetitum seu inclinationem naturalem ad vnionem cum corpore (id enim tenent plures;) sed multùm mihi placent hi qui docent illam appetere statum vnionis cum corpore immortali, sicut talis vnio fiet in Resurrectione in nouissimo die; illis enim satis probabile non est, ipsam animam appetere vnionem cum corpore caduco & mortali, in quo impeditur à suis perfectioribus operationibus. Istud ergo Scholasticis discutiendum relinquo; ad alia pergamus.

Anima post separationem amittit facultates organicas, non tamẽ facultates spirituales.

Dicimus secundò animam separatam amittere quasdam facultates, easque illam non comitari, nempe eas quæ sunt organicæ, pendentque à corpore in quo subiectiuè esse debent. Quare deperdit anima vim nutritiuam, augmentatiuam, generatiuam, sensusque omnes cum appetitu sentiente; retinet autem proprias facultates spiritũ-

les, nempe intellectum, voluntatem, memoriam, & facultatem motricem quâ extra corpus se se mouere potest, nempe quia hæ facultates insunt essentiæ ipsius animæ rationalis, nec dependent à corpore, & sunt spiritales, ideóque extingui non possunt quoad entitatem, sicut anima ipsa corruptioni haud est obnoxia; licet quoad modum operandi varientur, aliter enim operatur anima separata, quàm cùm est corpori coniuncta.

Dicimus tertiò habitus intellectus & voluntatis quos anima acquisiuit in corpore reuerà permanere in anima separata quantum ex se est. Et ita docent S. Thomas & Scotus. Et ratio est, quia huiusmodi qualitates sunt spirituales, & à corpore independentes, ergo manentibus suis subiectis, non est quod pereant. Deinde nec est vlla causa qua naturaliter corrumpantur: nec prætereà corrumpi possunt ad corruptionem subiecti, cùm sint in ipsa anima. Vnde S. Augustinus: *Discamus in terris quorum scientia nobiscum perseueret in Cælis.* Et vltra illos scientiarum habitus quos animæ corporibus vnitæ retinent, infusis denuò aliis, à Deo exornantur nisi inferorum pœnis addicantur.

1. p. q. 89 a. 5. in 4 dist. 45. q. 1.

Habitus intellect. & voluntatis quos anima in corpore acquisiuit, per se manent in statu separationis.

Dixi quantum est ex natura animæ, non quod de facto erit, nam si anima beata fuerit, non manebunt in ea habitus imperfectionum, vt (verbi gratia) habitus erroris, & opinionis, quoniam in tali statu nulla est imperfectio, & res clarè intuebitur: si verò damnata sit, nullum habitum supernaturalem retinebit: fortè tamen retinebit habitus naturales, sed ad confusionem suam. An verò remaneant in beatis fides, spes, &c. Theologorum est discutere. Illud duntaxat aduertendum est, cùm dicimus manere scientias id debere intelligi quoad entitatem & secundùm se, reuerà enim non manent secundùm eundem modum, nempe quia non conuertetur in eo statu anima ad phantasmata, quo pacto intelligendum est quod docet S. Thomas, scientiam in altera vita destrui, putà quoad modum, vt ipse explicat.

Habitus defectuosi in corpore acquisiti non manent in statu separationis.

Habitus naturales forte manent in damnatis non tamen supernaturales.

1. p. q. 89. art. 5. & 6.

Quomodo in anima separata maneant scientiæ acquisitæ.

Dicimus quartò remansuras etiam species intellectiles in anima separata, quas sibi in hac vita comparauit, eò quòd illæ sint incorruptibiles, quemadmodum & habitus intellectus & voluntatis, nec pendent in conseruari à phantasmatibus, sicut nec ista à speciebus externis: & eodem modo possunt informare intellectum separatum sicut coniunctum, & sic intellectus eisdem informatus poterit habere actualem notitiam, vt priùs ante separationem, vt clarè elicitur ex Arist. lib. 1. de anima, vbi docet quòd si anima non potest habere operationem separatam, nec esse. Quod si contingeret aliquas species corrumpi post separationem id fieret ex ordinatione Dei, non

In anima separata manent operationes intellectiles acquisitæ in corpore.

1. de anima.

autem ex ordine naturali, non secùs atque habitus mali aut imperfecti in beatis mentibus corrumperentur per diuinam ordinationem, quæ nihil imperfectum pati vult in beatitudine supernaturali, sicut de facto habitus supernaturales non manent in damnatis, vt omnes tenent.

Species rerum naturaliumquas de nouo habet anima separata non sunt infusæ à Deo, sed ipsa anima per intellectum agentem præsentibus, obiectis sibi producit.

Mouetur hoc loco quæstiuncula, quomodo anima separata species intellectiles debeat acquirere, quibus res ipsas cognoscat. Pro responsione, communis sententia est, in eo statu intellectum non posse species intellectiles producere, cùm non determinetur per phantasmata vt in corpore: docet ergo Sanctus Thomas animam habere duplicem modum cognoscendi, sicut habet duplicem modum essendi, scilicet in corpore, & extra corpus; nam in corpore cognocit per conuersionem ad phantasmata, quia tunc habet modum essendi formarum materialium; at verò extra corpus habet modum essendi substantiarum separatarum & spiritualium, ideoque intelligit per conuersionem ad intellectilia actu seu simpliciter, sicut intelligentiæ; sic enim modus operandi sequitur modum essendi, cognoscere autem per conuersionem ad intelligibilia actu simpliciter, est cognoscere per species infusas à Deo auctore totius naturæ, quibus substantiæ separatæ sunt actu intelligibiles simpliciter, quomodo Angeli eas habent à primo sui ortu, cùm enim animæ ipsæ separatæ nequeant species illas à rebus corporeis acquirere, neque etiam à spiritualibus obiectis, quia nullæ ab eis effluunt; relinquitur vt à Deo infusas habeant, quibus res ipsas spirituales, vt Angelos cognoscant. Intelligit igitur anima separata tum per species quas hinc defert, tum per eas quas ei confert Deus, nec in eo statu ope corporis indiget ampliùs, sicut indigebat dum ipsum corpus informabat. Notanter autem diximus animam ipsam separatam intelligere tum per species quas hinc defert, tum per eas quas ei Deus infundit, vt ipsos etiam pueros in vteris maternis vel paulò-post eorum natiuitatem morientes comprehendamus, quia si nondum hauserunt rerum species quibus intelligunt, sufficit ad intelligendum quòd ipsas à Deo recipiant, sicut Angeli à suæ creationis instanti eas receperunt. Quia autem in ipsis animabus separatis species siue hinc delatæ, siue à Deo infusæ, longè sunt puriores, & subtiliores quàm in præsenti vita, proptereà quòd è medio tolluntur sensuum corporeorum impedimenta, & nulla fit ampliùs conuersio ad phantasmata; ideo etiam promptiori & subtiliori modo intelligunt.

In 4. dist. 45. q. 2.

Hæc doctrina igitur communis est, & à multis tenetur. Attamen Doctor Subtilis, & eius interpretes docet intellectum agentem animæ separatæ simul cum obiecto sensibili puta lapide, vel alio quo-

libet sibi proportionaliter præsente posse speciem intellectilem illius obiecti in intellectu possibili causare, & sic acquirere naturaliter notitiam abstractiuam talis obiecti prius ignoti, & de quo in præsenti vita speciem non hauserat, illudque etiam in sua absentia per illam speciem intelligere. Confirmatur, quia intellectus agens, est causa actiua sufficiens speciei intelligibilis, & potest illam abstrahere perinde ac à phantasmate, nihil enim est in phantasmate propter quod sufficiat ad causandum speciem intellectilem, quod eminentiùs non extet in obiecto cuius est phantasma, intellectus autem possibilis est sufficienter receptiuus: Ergo poterit sic habere notitiam abstractiuam obiecti priùs ignoti. Poterit quoque habere alicuius obiecti notitiam intuitiuam, nam causæ illius sunt: Obiectum in actuali existentia præsens, & intellectus agens & possibilis: sed hæc omnia concurrunt simul in anima separata, &c. Prætereà, nimiam distantiam obiecti impedire cognitionem spiritus creati, ex eo constat quod Angeli in terram descendisse ad quædam exploranda leguntur, vt etiam docent Sanctus Augustinus, & S. Gregor. ergo necesse est species ab eis acquiri, quia si nihil facerent, non est cur eorum præsentia requiratur. Et quod de Angelis dicitur, idem de animabus separatis dici potest. Deinde (aiunt aliqui) quod ipsæ animæ separatæ, non solùm vniuersalia, sed etiam & particularia cognoscant, nam in corpore inclusæ coguntur corporalia per quinque solùm sensus, velut per exiguas quinque fenestras limitatè cognoscere, ab his verò liberæ patente oculo intellectuali, neque ampliùs ocellis vel fenestris sensualibus circũdatæ, latius, longiùs, & profundiùs res animaduertunt & contemplantur, neque ampliùs illis egent, quæ in corpore inclusæ necessaria habebant; non secùs quàm is qui est in profunda spelunca inclusus, vel muris altissimis vndequaque circum-cinctus quandiu quidem intra est, eget foraminibus quibus, si quid intueri velit, acies ad obiectum extendatur, videt autem per ea limitatè & circumscriptè, & necessariò foraminibus illis vel fenestris eius rei gratia eget; postquàm autem illinc exijt, his minimè eget ampliùs, cùm nullo medio visus coarctetur, & tunc quæ ante partim vel vix videbat, perfectè ab vndequaque perspicit.

Lib. de cura pro mortuis cap. 13.

12. Moral. cap. 13.

Ex his igitur etiam sequitur actus intellectus & voluntatis in anima à corpore seiuncta remanere, immò & actus memoriæ, vt probari potest, tum ex eo quòd retineat rerum species per quas potest earum rerum ad libitum recordari: tum etiam constat exemplo aliàs à nobis allato de diuite epulone, qui in inferis fratrum suorum recordabatur, vt iam Cap. 4. Sect. 10. ostensum est.

Remanent in anima separata actus memoriæ rerum in corpore gestarum.

At obijcies Apostolum, qui ad Corinthios scribens, ait scientiam

1. Cor 13.

destruendam post mortem. Respondent Theologi cum S. Thoma id intelligi quoad ministerium sensuum; vel ipsum loqui de scientia sumpta pro cognitione obscura.

SECTIO II.

Cognoscit-ne se anima separata, aliasque substantias separatas, & quomodo?

SI anima in corpore existens conceptum habet sui, substantiarum separatarum, & Dei Opt. Max. vt reuera habet, profectò eadem anima separata cognitionem habebit sui & aliarum substantiarum separatarum. Et certè de re ipsa non ambigitur, sed maximè de modo quo anima separata intelligat.

Quomodo anima separata cognoscat seipsam, & suos actus internos.

Respondemus ergo probabile esse animam cognoscere seipsam suosque actus internos intuitiuè & quidditatiuè, in statu separationis, quoniam tunc nihil est quod animam impediat; & prætereà ipsa naturaliter desiderat se perfectè cognoscere, ac proinde replendus est & satiandus talis appetitus, in eo videlicet statu, in quo à corpore non impeditur, maximè cùm illius essentia sit cognoscibilis ab intellectu creato & proinde ab humano.

Per quid autem anima se cognoscat controuersum est.

1. p. 89. art. 2. & de veritate, q. 19. art. 1. & 2.

Per quid anima separata cognoscat seipsam?

Sanctus Thomas docet animam se cognoscere per suam essentiam, non per speciem. Huius sententiæ fundamentum petitur ex diuerso modo quo in hac vita, & in altera intelligit, in hac enim se conuertendo ad phantasmata res speculatur; in altera autem se conuertendo ad ea quæ sunt secundùm se intelligibilia; quare per suam propriam essentiam seipsam intelligit absque vlla specie, cùm sibi ipsi præsentissima sit, vt aliàs de Angelis diximus. Alij tamen putant animam separatam cognoscere se ipsam, suosque actus, & potentias, per proprias species à Deo infusas, non minùs quàm alia extra se. Ex his opinionibus probabiliorem seligas.

Eodem modo anima separata suas proprias facultates naturales, quo seipsam cognoscit.

Nota autem ipsam animam separatam eodem modo suas proprias facultates naturales cognoscere, quo seipsam intelligit, quia ab ea naturali modo pullulant, nec ab ea realiter distinguuntur, sed solùm formaliter, vt suo loco diximus. Et quod de facultatibus diximus, possumus quoque de earum actibus internis dicere, cùm sint immanentes.

Quæritur etiam quomodo anima separata cognoscat Deum naturali

turali cognitione? naturali inquam, quia certum est animam separatam beatifica & supernaturali cognitione cognoscere Deum per essentiam ipsius supplentem vices speciei. Dicendum ergo animam separatam naturaliter loquendo per se ipsam cognitam tanquam per effectum, cognoscere Deum vt causam, quia cùm euidenter se tunc cognoscat esse creaturam producibilem & productam à creatore, hunc cognoscit, licet obscurè, sicut à creatura rationali potest naturaliter cognosci. Adde quòd anima rationalis eò faciliùs cognoscit Deum, quòd sit ipsius viua imago.

Quomodo anima separata cognoscat Deum naturali cognitione.

Angeli autem, & animæ cæteræ rationales cum suis actibus & proprietatibus, cognoscuntur ab anima separata, & potissimùm (vt verisimile est) per species infusas, si aliquas ad hunc effectum de nouo non acquirant, hic enim status id requirit, vt cum ipsis possit in communi societate viuere; non verò ab ea cognoscuntur per suam substantiam, quia illa non est medium sufficiens, quo ad talem Angelorum & animarum notitiam deducatur, & potissimùm si sermo sit de Angelis, qui sunt superioris cuiusdam naturæ & perfectionis. Si autem anima separata per species infusas cognoscat tum Angelos, tum alias animas, dicendum est quoque eam cognoscere substantias singulares materiales & corporeas, quas nimirum priùs in hac vita cognouit unt, idque per proprias species intellectiles; docuimus enim suprà ipsam separatam animam eas rerum species retinere quas in hac vita aquisierat: & vlteriùs, iuxta Scoti doctrinam suprà allatam Sect. præcedente, posse aliquas de nouo sibi producere, quibus ipsas res cognoscat, aut etiam, vt communiter docent alij, Deum ad hunc effectum aliquas eius intellectui infundere; dico, aliquas, non enim tenetur Deus species omnium singularium infundere iuxta ordinariam eius prouidentiam, & legem, licet enim singularia alterius vitæ vt Angelos, per species infusas à Deo tunc supplente imperfectionem animæ, cognoscat, non est tamen simpliciter necessaria cognitio omnium singularium inferiorum, nisi Deus peculiari priuilegio ea ipsi reuelet: immò nec tenetur Deus ordinariè eam largiri animæ beatæ, quanquam de facto ei largiatur ad cognitionem multorum singularium materialium, prò ratione status beatitudinis, ad plenum gaudium ipsius animæ beatæ, & propter bonum hominum hic manentium.

Anima separata plures res materiales post separationem cognoscit, quã in corpore, non tamen omnes.

Aduerte porrò aliquos existimare infundi animæ separatæ omnes species intellectiles & imagines rerum sensibilium tum in genere, tum in specie, & ipsam animam posse per imaginem vnius speciei infimæ cognoscere quælibet eius indiuidua, vt per imaginem seu speciem impressam hominis omnes singulares homines cum

suis externis actionibus: sed hoc est vt illi dicunt, intelligendum, si Deus id singulari priuilegio præstet.

An anima separata possit cognoscere, quæ supernaturaliter fiunt.

Quærunt autem nonnulli an anima separata possit cognoscere omnia quæ supernaturaliter fiunt: Et respondent aliqua solùm non verò omnia posse assequi. Ad Scholasticos autem hanc resoluendam difficultatem remittimus.

SECTIO III.

Possit-ne anima à corpore separata facultate aliquâ motrice ei indita, loco moueri.

Anima separata potest seipsam localiter mouere.

QVÆRIMVS an præter facultatem motricem ad motum progressiuum homini insitam, & ab anima, vt à principio ortam, sit alia quędam intimior animæ vis quæ superstes in ipsa maneat post eius excessum à corpore? adeò vt per illam vim motricem anima à corpore separata localiter moueri possit. Quidam asserunt, alij negant; sed his contradicimus, illis suffragamur; sustinemus enim animam rationalem à corpore separatam naturali virtute moueri posse secundùm locum, putà à terra in cœlum.

Probatur primò, natura non deest in necessarijs; sed necessarium est vt anima, cùm corpus relinquit, localiter moueatur, debet enim aliò se conferre: ergo cùm id naturaliter animæ debitum sit, debuit natura ei suppeditare naturale instrumentum motus localis, nempè facultatem illam motricem. Et sanè per absurdum videretur animam spiritualem adeò fore stupidam & infœlicem naturâ, vt quo in loco poneretur, etsi nullâ vi alienâ inibi detineretur, ex eo nunquam se posset extrahere, immò ex ipso corpore (instante licet morte) nequaquam egredi posset.

Probatur secundò; difficiliùs est se & corpus mouere, quàm se solam, sed potens est se simul cùm corpore mouere, quando illi est vnita: ergo meliùs & velociùs poterit se sine grauitate corporis mouere. Et potest dari exemplum de anima Christi quæ à suo corpore in Cruce separata, descendit ad Inferos, vt fert articulus fidei: at hoc alijs etiam animabus competere potest: ergo, &c.

Probatur tertiò: omne quod se mouet, siue animatum sit, siue non, potest aliquid secum mouere, vt patet experientiâ & inductione: ergo hoc non est denegandum animæ, nam si ei denegaretur, hoc esset vel ratione perfectionis eius, vel imperfectionis; non primum,

quia Angelus est perfectior, & tamen id minimè ei denegatur: nec secundum, cùm conueniat corpori quanquam imperfectiori.

Probatur quartò: quia, corpora gloriosa mouebuntur, iuxta illud: *Volabunt & non deficient*: at talis motus non erit nisi ab anima.

Probatur denique: quia animæ defunctorum apparent cum corporibus assumptis, Deo id aliquo bono fine permittente, vt sequenti Capite Sect. 2. fusè ostendemus: ergo, &c.

Multa tamen contra hanc sententiam obijciuntur.

Primum; nullum indiuisibile moueri potest, ex Philosopho; atqui anima rationalis est indiuisibilis & expers quantitatis: ergo non poterit moueri localiter. Prætereà omnis motus est diuisibilis, vt idem docet Aristoteles; tum ratione temporis, cùm spatij & mobilis, anima autem non est diuisibilis: ergo nec mobilis. Denique ex 8. Phys. docetur omne mobile esse diuiduum. 6. Physic. Loco cit. 8. Physic.

Hæc argumenta facilem habent explicatum. Ad primum: Respond. Aristotelem loqui de indiuisibilibus quantitatiuis siue punctis in continuo existentibus, quæ reuerà non mouentur nisi ad motum continui. Adde quod puncta nullum spatium loci obtinent, anima autem potest esse præsens toti alicui spatio; vnde dispar erit ratio animæ, & puncti.

Ad secundum & tertium, Respondemus ibi sermonem esse de motu physico corporum naturalium, non autem de motu substantiarum separatarum.

Obijcitur secundò: Ex S. Luca, Lazarus portatur in sinum Abrahæ ab Angelis. Et idem refert S. Gregorius de anima Marcelli: ergo ipsæ animæ non se mouent, sed solùm mouentur. Resp. ipsæ se mouent, siue in cœlum siue in purgatorium, vel infernum eant; tamen deportari dicuntur, quia si in cœlum eant, honorantur comitatu Angelorum, vt passim in vitis Sanctorum legitur: si in infernum, à Dæmonibus vt captiuæ ducuntur. Luc. 16. Lib. 1. Dialog. cap. 9.

Obijcitur tertiò: Quod non est in loco non potest localiter moueri; sed anima rationalis non est in loco, est enim purè spiritalis. Respondemus animam non esse in loco circumscriptiuè, sed definitiuè, ideoque suo modo moueri posse, non secùs atque Angeli mouentur, è cœlis in terras, vt in Tractatu de Angelis, Cap. 7. ostensum est.

Instabis animam non occupare locum: ergo non esse in loco; & per consequens non posse moueri ad locum. Respondemus aliud esse occupare locum, aliud esse in loco, nam esse in loco significat tantum determinari aliquo spatio, aut aliquid esse præsens secundùm substantiam toti alicui spatio: At occupare locum est ita esse

in loco, vt sit impedimentum quominùs aliud corpus in eodem loco esse possit; & illud quidem commune est rebus spiritualibus nempè esse in loco, & in singulis partibus loci: hoc verò proprium rebus corporeis, reuerà enim occupare locum est implere spatium, & impedire quominùs aliud corpus sit in eodem loco. Itaque quòd duo corpora nequeant esse simul, id non petitur ex parte loci, sed ex parte rerum locatarum, quæ simul esse nequeunt in eodem loco si sint corporeæ, ne detur dimensionum penetratio. Dicendum ergo animam rationalem esse in loco, licet non occupet locum; non est autem necesse ad mutationem localem vt occupetur locus, sed satis est esse loco certo determinatum, vt est ipsa anima rationalis.

Quomodo differant esse in loco, & occupare locum.

Quomodo anima rationalis sit in loco.

Obijcitur quartò: Omnis forma substantialis per se est immobilis, nec aliter mouetur quàm cum composito: ergo anima rationalis, non poterit moueri extra corpus. Respondemus antecedens verum esse de anima rationali quandiu corpore est inclusa, non autem vbi ab eo migrauit.

Obijcitur quintò: Si anima moueretur ad locum, posset modò corpus ingredi, modò rursùs egredi & in varia corpora commigrare: hoc autem absurdum est, sic enim daretur Metempsychosis Pythagorica. Respondemus animas extra corpora egressas, esse destinatas & addictas certis locis, velint nolint, ideoque facultatem motricē illarum non posse quemlibet motum exequi, sed eum duntaxat quo in Cœlum pergant si beatitudinem fuerint promeritæ, vel in Tartarum si æternam damnationem, vel in locum medium, si solam purgationem. Quòd si contingeret Dei permissu, & iusta aliqua ratione, animam separatam corpus aliquod vel proprium vel alienum subingredi & viuis apparere, non informaret tamen illud corpus, sed solùm seipsam collocaret in eodem spatio in quo essent corpora, vel in aliquo minori spatio intra corpora contento: & sic non esset Metempsychosis Pythagorica, quia illa vnio non est formæ cum materia, sed locati cum locante, quam tamen vnionem dicimus interim non repugnare statui animæ separatæ.

Anima separata à corpore non potest pro libito pergere quò vult.

Anima separata non potest se rursum corpori vnire.

Sed difficultas est an etiam ipsa anima separata possit mouere alia à se. Responsio est affirmatiua; nam si in corpore existens id præstare possit, verbi gratiâ imprimere impulsum lapidi, eumque à se longè proijcere, multò faciliùs & velociùs id separata efficiet. Et hoc confirmatur ex pluribus apparitionibus authoritate grauissimorum hominum certis, è quibus constat animas post mortem, & seipsas & secum aërea corpora in quibus loquebantur, deportasse.

Anima separata potest alia à se mouere localiter.

CAPVT XII.

De locis in quibus Animæ separatæ detinentur.

QVONIAM postremâ Sectione Capitis præcedentis ostendimus facultatem motricem inesse animæ sicut in Angelis post eius separationem à corpore, quâ quidem potest localiter moueri & & aliquò se conferre; ideò nunc videndum in quæ loca præsertim animæ ipsæ separatæ se conferant, & in quibus detineantur in statu retributionis, pœnæ vel præmij, & extra statum merendi vel demerendi.

SECTIO I.

Quinque sunt Animarum separatarum receptacula.

DOCENT omnes Theologi ex veritate Christiana quinque esse animarum separatarum receptacula, quatuor videlicet in terræ, visceribus, & vltimum in Cœlo Empyreo.

Primus locus est Lymbus Patrum, terræ superficiei præ aliis subterraneis locis proximior, vbi antiqui Patres in Dei gratia decedentes ante Christi aduentum detinebantur, & alio nomine sinus Abrahæ à Christo dictus est, quia quotquot in ipsum locum descendebant, fidei Abrahæ & aliarum eius virtutum imitatores, & sectatores fuerant; nullam autem ibi pœnam sentiebant, & solùm erant à plena & perfecta Dei visione vt in Cœlo est, retardati. Cùm autem Christi anima corpore soluta diuino tamen vnita supposito ad inferna descendit, eos omnes liberauit, & postea secum in cœlum quod suâ passione aperuit; ipsos perduxit: Iuxta illud Pauli: [a] *Ascendens in cœlum, captiuam duxit captiuitatem.* Iste locus seu receptaculum colligitur ex Genesi, [b] vbi Iacob ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Vbi per infernum non potest intelligi locus damnatorum, quia de tam sanctis viris Iacob & Iosepho non decet ita cogitare: nec potest intelligi cœlum, quia illud non erat tunc per Christum reseratum: & deinde in cœlum ascenditur, non descenditur, &

Luc. 16.

Animarum receptacula subterranea fusè explicantur.

[a] *Ad Ephes. 4.*

[b] Gen. 37.

Probatur Lymbus Patrum. tamen de descensu hîc mentio fit: & propterea Scriptura semper cœlum inferno opponit, tanquam supremum infimo, vt in Psalmis: *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades*: Et apud Esaïam: *Dixisti in cœlum conscendam*: Et apud S. Matthæum: *Et tu Capharnaüm nunquid vsque in cœlum exaltaberis?* Nec potest intelligi purgatorium, quia Iacob videtur loqui de loco permanente, in quo sancti veteris testamenti vsque ad Christi mortem detinebantur, qui propterea lymbus Patrum vocatur. Colligitur etiam ex descensu Christi ad inferos. Vnde vt ait Concilium Toletanum tertium, *Eduxit sanctos veteris testamenti*; iuxta præallegatam S. Pauli ad Ephesios sententiam. De hoc etiam receptaculo fit mentio apud Ecclesiasticum: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & visitabo omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Et apud Zachariam: *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

Psal. 134. Esai. 14. Matth. 11. Conc. Tolet. 3. c. 3. Ecclesiast. 24. Zach. 9.

Secundus locus dicitur Lymbus puerorum, in quem illi infantes qui baptizati non fuêre, descendunt. Et colligitur ex Ioannis Euangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum.* Quibus verbis statuitur pœna damni hoc est priuatio claræ visionis & fruitionis Dei contra non baptizatos. Quia igitur illi paruuli qui baptizati non fuere, peccato originali ob primorum parentum peccatum remanent infecti & non purgati, ideò hac diuina visione & fruitione priuantur, absque eo tamen quod sensus pœnam subeant, quia illa cõuersioni ad creaturam correspondet: at illi nunquam ad creaturas sese conuerterunt, & per consequens quamuis ex communi Theologorum sententia, sint in inferno hoc est in loco aliquo subterraneo & inferiori, quia tamen hic locus aliis superior est, ignis purgatorij & inferni, ad eos non peruenit. De hoc paruulorum lymbo eruditè admodùm differit Catharinus Politus libro de statu futuro puerorum.

Ioan. 3.

Probatur Purgatorium contra Hæreticos. Tertius locus est Purgatorium in quo recipiuntur animæ, quæ ex suis corporibus discedentes non plenè diuinæ iustitiæ offensæ satisfecerunt, quamuis earum culpæ remissæ fuerint, nec placet Dei misericordiæ sine pœna aliqua & castigatione inter sacra consortia admittere. Nec tamen Iustitia in æternum damnare vult, quia è præsenti vita in gratia migrarunt. Et idcircò locum quendam illis assignari par est, in quo ex Christi meritis à sordibus eluantur & purgentur. Et quamuis talis expurgatio possit fieri vbicumque Deo placuerit, locus tamen pro ea à Theologis assignatus est inter Lymbum puerorum, & Infernum damnatorum: Ita vt ex S. Gregorio ignis purgatorius ab igne inferni non differat, nisi quia ille transitorius est,

hic verò perpetuus. Pro animabus igitur in Purgatorio retentis preces apud Deum fundunt Christiani, vt à peccatis subleuentur & liberentur; non verò pro illis quæ in inferno torquentur, quia in illo nulla est redemptio; sicut nec pro Beatis & Fœlicibus orant, quia nihil ampliùs desiderant quod non obtineant, nisi vt corpore à morte suscitato gaudeant. Ad huius Purgatorij probandum locum maximè conuincit auctoritas Christi; *Est peccatum in Spiritum Sanctum quod non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Matth. 12. Hic enim loquendi modus arguit aliqua peccata in futuro sœculo remitti, vt etiam apud S. Matthæum: *Non exibit è carcere donec nouissimum quadrantem exoluerit.* Matt. 15. Sic in Epistola 1. ad Corinthios saluus quis dicitur, *quasi per ignem.* 1. Cor. 3. Et in primitiua Ecclesia baptizabantur pro mortuis baptismo pœnitentiæ, hoc est ieiuniorum & macerationum corporis, vt eis prodessent. 1. Cor. 15. Et apud Iob: *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Iob. 14. Non desunt quamplura sacræ scripturæ testimonia à multis relata pro huius Catholicæ veritatis confirmatione, quæ velim consulas.

Eâ ratione orandum esse pro mortuis sanctè statuit Ecclesia Catholica, iuxta Machabæorum de Resurrectionis spe sententiam; *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Machab. 12. Hos autem Machabæorum libros docet S. August. Ecclesiam recipere, vt patet in suis libris de Ciuitate Dei, vbi etiam præfatam Machabæorum sententiam in medium adducit, & eam quoque sancti Pauli de his qui baptizabantur pro mortuis, vt apertè nobis declararet sanctam Ecclesiam suo tempore pro defunctis iuxta prædicta scripturæ loca exorasse. Aug. 18. de Ciuit. Dei c. 3. & lib. 16.

Idem S. Augustinus: *Neque enim* (inquit) *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia quæ etiam nunc est regnum Christi, alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi.* Lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9. Et infrà, *cur enim ista fiunt nisi quia fideles etiam defuncti membra eius sunt?* Et idem vlteriùs postquam docuit preces Ecclesiæ pro quibusdam defunctis fidelibus exaudiri, addit: Lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 24. *Licet qui in Christo renati non adeò ita malè vixerint in corpore, vt tali misericordiâ habeantur indigni, nec ijdem sic benè vt inueniantur tali misericordiâ non egere! tales tamen constat ante iudicij diem per pœnas temporales quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus ignis supplicijs non tradendos.* Et tandem in sermonibus de verbis Apostoli. Serm. 32. de verb. Apostoli. *Orationibus* (inquit) *Sanctæ Ecclesiæ & sacrificiò salutari & eleemosynis quæ pro eorum animabus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum ijs misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerint.* Hoc enim à maioribus traditum vniuersa ob-

seruat Ecclesia. Has solùm sancti Augustini auctoritates in medium hîc attulimus, quia hæretici huius Doctoris Ecclesiæ maioris faciunt doctrinam quàm aliorum. Videantur aliorum Patrum authoritates apud Coccium, &c.

Hæc etiam inuiolabilis veritas confirmari potest ex consuetudine Iudæorum, qui solebant pro mortuis deprecari, vt patet ex libro Mahazor vbi Hazan id est minister, habet orationem pro defunctis quæ Hascaba nuncupatur. Et vsque in hodiernum diem orant Iudæi pro defunctis, quem morem non acceperunt à Christianis quia illos exosos habent, sed à suis prędecessoribus & antiquis Rabbinis.

Probatur infernus damnatorum.

Quartus locus seu receptaculum est Infernus damnatorum, multis donatus nominibus, vt scelerum Carcer perpetuus, Gehenna, Perditio, Luteus seu Lacus perditionis, Lutum fœcis, Vmbra mortis, Tartarus, Orcus, Auernus, &c. Vbi cruciatum ignis æternum esse malis paratum docent scripturæ: Primùm quidem Dæmonibus, & posteà illis qui eis adhærent vt in extremo iudicio dicet Christus, dum in illum locum mittet impios & reprobos, *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius!* Et rursus, *illic erit fletus & stridor dentium*: Hinc apud S. Lucam conquerebatur diues epulo sepultus in inferno quòd in eius flamma cruciaretur. Et vltrà hanc ignis pœnam ipsos Dęmones & animas dirè cruciantem, ipsi Dei visione & gloriâ, quam suis delictis àmiserunt, perpetuò priuantur. De hoc damnatorum receptaculo intelliguntur multa Sacræ Scripturæ loca, vt apud Numeros: [a] *Descenderuntque viui in infernum.* Et Propheta Esaias [b]; Inter pœnas eius ponit tineam, putredinem, & vermes: Et alibi [c] *Ignem deuorantem*: Et alio item in loco [d]: *Vermem semper rodentem, & ignem in extinguibilem.* Sed inter cœtera quæ de hoc damnatorum loco recenset, expressiùs de illo loqui anteà videtur, *Præparata est ab Heri Tophet profunda & dilatata; nutrimenta eius ignis & ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Non desunt alia scripturæ loca, atque etiam innumera Sanctorum Patrum testimonia, quibus constat quàm sit horrendus ille inferni locus. Consule probatissimos auctores qui de hoc receptaculo sicut de reliquis eruditè admodùm & diffusè disserunt, nec-non de pœnis quas in eodem subeunt damnati.

Math. 25.

Luc. 16.

a Num. 10.
b Isaia 14.
c Isai. 32.
d Isai. 66.

Isai. 30.

Regni Cœlorum varia nomina explicantur.

Quintus tandem & postremus animarum separatarum locus est Cælum Empyreum, qui alio nomine dicitur Paradisus, allusione factâ ad Paradisum terrestrem dictum, voluptatis locum & hortum varijs arboribus & plantis consitum & cultum versùs Orientem, in quem translatus fuit homo primus à Deo creatus, à quo ob peccatum rursùs fuit extrusus, nec patuit regressus, Cherubino cum gladio flammeo illum

illum prohibente. Sicut ergo locus ille terrestris valdè amœnus erat & propterea Paradisus dictus, ita Cœlum Empyreum, & locus Angelorum ac aliorum Beatorum hoc eodem donatur nomine, nam ibi suprema est voluptas & æterna fœlicitas, quæ in Diuina visione & fruitione consistit. Vocatur etiam Regnum Cœlorum, Regnum Patris Æterni, vbi illa quæ suis electis & amicis præparauit tanta sunt, vt dicat Apostolus, ex Isaia: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Hunc ergo locum Deus ordinauit pro æterna mansione Angelorum, ac piorum hominum, in quo illi mercedem recipient in perpetuum, pro laboribus assumptis in excolenda vinea animæ à Deo plantata, atque agro eiusdem, in quem supremus Agricola & sator diuinum suum semen in præsenti vita iacit, vt vberrimos gratiæ & gloriæ fructus is ager referat. De hoc fœlicitatis loco Christus apud Ioannem loquitur Apostolis: *Vado parare vobis locum.* Et apud Matthæum: *Quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Et iterùm ibidem: *Quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et iterùm: *Et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* De eodem loco sermonem instituet Christus in iudicio vniuersali dum etiam referente S. Matthæo dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Et anteà dicebat apud eundem S. Matthæum: *Thesaurisate vobis thesauros in cœlo.* Quare Concilium Florentinum in decreto vnionis definit animas à peccatis sufficienter purgatis mox in cœlum recipi, ibique Deum ipsum clarè intueri. Cùm igitur hæc ita sint, fusiùs de illo Beatorum habitaculo quàm de aliis receptaculis est dicendum.

1. Cor. 2. *Ioan. 14.* *Matth. 5.* *Matth. 25.* *Matth. 6.* *Concil. Flor.*

SECTIO II.

Vtrum quandoque defunctorum animæ viuis apparere potuerint, & de facto apparuerint.

HÆc quæstio est de posse & de facto, & in vtroque sensu illam proponimus. Hæretici Magdeburgenses & quidam alij, vt refert Canisius, negant tales apparitiones aut esse posse aut de facto fieri, easque dicunt fabulas esse & meras præstigias ad decipiendum viuos confictas: At Catholici nunquàm in dubium reuocarunt ipsas defunctorum animas viuis potuisse apparere, immò & quandoque de facto siue de Cœlo, siue de Inferno, locisve aliis apparuisse, non quidem spontè & sua voluntate aut potestate naturali, vel tanquam er-

Canis. lib. 5. de Maria Deip. cap. 21.

Animæ defunctorum quandoq; Dei dispensatione è suis receptaculis exeunt, & hominibus apparent.

rabundas & vagas multoque minus potentia artis necromanticæ (non enim fas est illas animas impiæ artis potestati subiacere) sed ex singulari Dei consilio, dispensatione, voluntate, & extraordinaria virtute, qua etenim vi & potentia animas de nihilo creauit, & corporibus immersit, aurea præsentis vitæ luce per aliquod tempus perfuncturas, eâdem potest post hanc vitam conseruare; & hinc inde pro sua voluntate quandoque transferre. Quinimo & Ethnici fidei luce destituti mortuorum apparitiones posse fieri semper existimarunt. Et referente Abulensi super Leuiticum hanc ob causam prima die mensis Februarij solemne fuit Gentilibus annua festa facere, quæ vocabantur purificationes pro animabus defunctorum ne viuos apparitionibus perterrefacerent: & ab his purgationibus dictus est mensis Februarius, nam Februa Græcè, purgatio Latinè est.

Abul. super Leuit. cap. 16. q. 15.

Quod autem nonnullæ defunctorum animæ quandoque de facto viuis apparuerint, est dicendum, & primò hac sectione de apparitionibus quibusdam in veteri testamento factis.

Primum autem testimonium sit de vera animæ Samuelis iam demortui apparitione, in primo enim Regum libro legimus ipsam Sauli apparuisse, & futura illi prædixisse: & quamuis non desint qui negent illam fuisse veram Samuelis animam, sed Dæmonem in eius forma, tamen opinio contraria communior, probabilior, & tutior est, eam enim tenent Iosephus [a], Iustinus [b], Basilius, Ambrosius, &c. Imo S. Augustinus de cura pro mortuis agenda, cùm enim ibi de veris mortuorum apparitionibus loqueretur, inducit in huius veritatis approbationem Samuelis apparitionem, dicens: *Nam Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædixit.*

1. Reg. 28.

a Lib. 6. antiq. Iudaic. cap. 15. b In Dialogo cum Tryphone. c Lib. de cura pro mortuis agenda cap. 15. tom. 4.

Samuelem vere apparuisse Sauli fusè ostenditur.

Et pro hac sententia non desunt rationes validissimæ. Prima quia scriptura perpetuò vocat Samuelem eum qui Sauli apparuit, *Cum vidisset* (inquit) *mulier Samuelem.* Item, *dixit Samuel ad Saul*: *Præterea, intellexit ergo Saul quòd Samuel esset.* At certè non diceret scriptura intellexit, sed putauit vel cogitauit si id verum non esset.

Eccl. 46.

Secunda ratio quia Ecclesiasticus ipsius Samuelis laudes recensens inter alia meminit, quòd mortuus prophetauerit & annunciauerit Sauli Regi quæ ventura erant, nimirum sequenti die eum cum filiis moriturum, exercitum dissipandum, Dauidem regnaturum, &c. At quænam laus esset Samuelis si non ipse, sed Dæmon aliquis in eius forma apparens futura prædixisset? An Diabolus futura illa scire poterat? Et hoc est argumentum propter quod S. August. loco citato asserit verè fuisse Samuelem, illum qui apparuit cuius testimonij non meminerat, cùm scriberet ad Simplicianum, Et illum se-

Lib. 2. quæstionum q. 3. tom. 4.

quuntur multi recentiores, vt Lyranus, Dionysius Chartusianus, Galatinus, & alij, nec sanctus Thomas contradicit, nam in prima suæ summæ parte hæc habet: *Si authoritas libri Ecclesiastici recipiatur, dicendum est quod verè Samuel apparuit Sauli:* At certè authoritas libri illius sacro-sancta est & irrefragabilis, & præsertim nostris temporibus, etiamsi inter canonicas scripturas apud Hebræos non computetur, quoniam liber non est Hebraicè conscriptus. *S. Thom. 1. p. q. 89. art. 8. ad 2.*

At, qui oppositam tenent sententiam objiciunt. Primò non esse credibile Samuelem subiectum fuisse Pythonissæ, nec etiam spontè venisse, quia multum arti magicæ fauisset, eamque confirmasset. At respondent alij ipsum Samuelem non venisse iussu Pythonissæ aut virtute diabolica sed iussu Dei, & potiùs impediuisse quàm confirmasse artem magicam, eius enim apparitio præuenit incantationem & eius effectum; id quod intelligi potest ex perturbatione mulieris quæ turbata est cùm vidit Samuelem apparuisse antequam euocaretur, atque à Deo elusa est mulier, elusus Sathan præueniente Deo virtute propria machinationem Diabolicam. Videatur S. Thomas in secunda parte 2. partis. *S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 5. ad 4.*

Secundò objiciunt illum qui apparuit passum fuisse vt Saul eum adoraret, Samuel autem id non permisisset, & ideo potius Dęmon aliquis adorationis cupidus apparebat. Respondemus illam adorationem non fuisse latriam, sed reuerentiam quandam humanam debitam animæ Samuelis, nam sic paulò ante in primo libro Regum Dauid adorauit Saulem, & in eodem libro Abigail Dauidem. Et in tertio Regum Nathan etiam Dauidem adorasse dicitur. Vel dicendum cum Galatino non dici in sacro textu Saulem adorasse Samuelem, sed solùm quòd adorauit, nempe Deum tunc, & non Samuelem; at primum præstat. *1 Reg. 24.* *1. Reg. 25.* *3. Reg. 1.* *Galat. lib. 6. cap. 8.*

Tertiò objiciũt quia dixit Sauli, cras tu & filij tui mecum eritis, hoc est in Lymbo patrum & sinu Abrahę, sed si verus hic Samuel ostensus esset, nullo modo (inquiunt) Regem consortem sui meriti post mortẽ diceret, & illum cum eo in sinum Abrahæ descensurum. Et id facilè conjiciunt aliqui ex eo quòd gladio se interemerit, & ex arrogantia exhorruerit à suis inimicis illudi, timuitq; ab eis maiori supplicio affici. Hoc autem peccatum finale cum eius salute directè pugnat; ergo potius dicendum est Dæmonem in forma Samuelis apparuisse. Respondemus illud: *Mecum eritis*, non significare in sinu Abrahæ eritis, sed mecum eritis sub terra, idest mortui eritis, quemadmodũ & ego.

Aliud habemus testimonium de Mosis anima, quæ in assumpto corpore, vt narrat S. Matthęus apparuit Christo & Apostolis in trãsfiguratione è limbo patrum vbi erat reuocata & aducta, ipsiq; Chri- *Matth 17.*

sto amicè & familiariter cum Helia (qui nondum est mortuus) conuersata est, certum est autem ipsum Moysem iam ante multas annorum centurias fuisse defunctum, vt satis constat ex Deuteronomio vbi sic habetur; *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab, &c.* Deum autem Angelorum ministerio id fuisse executum docet Epiphanius. Rursus in libro Iosue dilucidè eiusdem Moysi mors exprimitur: *Moyses seruus meus mortuus est, surge & transi Iordanem, &c.* Et hoc idem ex multis aliis scripturæ locis colligitur. Fateor quidem à plerisque dubitatum esse an in ipsa Christi transfiguratione in corpore assumpto, vel alieno, vel proprio apparuerit; verùm siue hoc, siue illud asseramus, non tollitur apparitionis veritas, nam nos minimè de hominibus in proprio corpore, sed de animabus ipsis defunctorum hic perquirimus, an viuis appareant.

Deut. 34. Moysis & aliorum post mortem apparitio ostenditur. Lib. 1. contra hæreses tom. 1. q 9. Iosue 1.

Aliud extat testimonium in libro Machabæorum, vbi sanctum Prophetam Hieremiam ætate & gloria mirabilem & sanctũ Oniam sacerdotem apparuisse Iudæ Machabęo legimus. Nec est quod dicāt aliqui hũc librum non esse Canonicum, quia à S. Augustino, & multis aliis sanctis patribus, imo à tota Ecclesia inter sacræ scripturæ Canonicos libros annumeratur. Nec hic agimus cum hæreticis sed cum Catholicis.

2. Machab. 15.

SECTIO III.

Aliæ quædam apparitiones tum Christi tum aliorum in nouo testamento factæ, in Euangelio & à probatissimis authoribus referuntur.

SVNT qui inter noui Testamenti apparitiones etiam annumerant eā de qua habet S. Matthęus, qui recēsens miracula quę in Christi Passione patrata sunt, dicit, *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam Ciuitatem & apparuerunt multis.* S. Augustinus,[a] Euthimius, Theophylactus, & S. Thomas,[b] & quidam alij existimant illam fuisse propriè mortuorum apparitionē, ita vt surrexerint vt apparuerint hominibus, & deinde ad loca vnde exierāt, reuersi sint. Alij autem SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Origenes, Epiphanius, & nonnulli alij contrà existimāt verā fuisse resurrectionē in vitam immortalē & æternam atq; adeo ad loca vnde surrexerāt nō rediisse, sed cœlũ cum Christo conscēdisse. Non desunt etiā qui asseuerēt Christũ Dominũ secũdùm quod homo est, instar defunctorum

Matth. 28. Apparitiones Christi, & aliorum sanctorum noui testamenti ex variis historiis fide dignis. a Epistola 99. b 3. p. q 53. art. 3. ad 2.

aliorũ aliquando post gloriosam suam in Cœlos Ascẽsionem ad nos prǽsentialiter descẽdisse, siue ad breue tẽpus locum illum conuexi vltimi Cœli Empyrei in quo destinatam à Patre sedem habet, deseruerit, siue non, vt multi autumant, tum ad fouendam fidem, tum ad accendendam charitatem, & spem eorum firmandam quibus apparere dignatus est. Et probatur hæc sententia ex ipsa Christi apparitione S. Paulo in Damascum eunti, cui dixit, *Saüle*, &c. vt in Actis habetur: vnde dixit ad eum Ananias: *Dominus Iesus Christus qui apparuit tibi in via qua veniebas.* Huius apparitionis meminit idem S. Paulus in 1. ad Corinthios, vbi postquam enumerauit alias Christi apparitiones factas Apostolis, subdit: *Nouissimè autem tanquam abortiuo visus est mihi.* Docent etiam SS. Patres ipsum Christum Sanctissimæ Virgini Matri suæ post suam Resurrectionem & in Cœlos Ascensionem pluries apparuisse, & potissimùm tempore Assumptionis eiusdem Virginis in Cœlum, & cum ingenti Angelorum exercitu occurrisse: Et ita docet Nicephorus tractans de ijs qui morti Beatissimę Virginis adfuerunt, qui sic ait, *Deinde cœlitùs Filius eius cum innumerabili Angelorum exercitu descendit, animam illius sanctam prorsus & diuinam assumpturus, &c.* Ita Petrus Canisius, Thomas à Villa-noua, & alij nonnulli. Sic Abdias Apostolorum discipulus Babyloniæ Episcopus [a], Egesippus, S. Ambrosius, Antonius, Sanderus, Ioachimus Perionius, Cordubensis, Soto, & plures alij referunt eundem Christum B. Petro Romam fugienti, & aliò migrare volenti apparuisse, & cùm à S. Petro interrogaretur, *Domine quo vadis*: Respondisse, *venio Romam iterum crucifigi.* Hunc autem locum propè Romam vidi anno Iubilæi 1625. Huius historiæ meminit Innocentius III. cuidam viro nobili scribens. Et profectò nisi multæ esset authoritatis, à tanto viro Sanctissimoque Pontifice non adduceretur.

Act. 9.

1. Cor. 15.

Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 21.

a *Lib. 1. Hist. Apostolica in vita B. Petri.*

b *Lib. 3. de excidio Hierosolym. c. 2.*

Innoc. 3 in C. per venerabilem Tit. qui filij sunt, &c.

Item illustres sunt eiusdem Christi apparitiones B. Carpo, vt author est S. Dionysius, B. Martino adhuc Catechumeno pallij dissecti parte induti, Iosepho cuidam, Constantino Magno in somnis, Sancto Antonio, Sanctæ Brigidæ seu Brigittæ, B. Catharinæ Senensi, & alijs, vt ex multis scriptoribus ab Alphonso Mendoza [d] relatis constat.

c *In Epist. ad Demophilum Monachum.*

d *qu. 5. Schol. num. 17.*

Habemus autem grauissimorum authorum testimonia de regressu animarum defunctorum ex omnibus receptaculis, atque de earum apparitione viuentibus; si tamen Lymbum puerorum excipiamus, è quo nullos vnquam egredi docent Patres, quoniam neque gloriâ potiuntur cuius illecebrâ ad virtutis studium nos excitent, neque pœnam subeunt, cuius terrore nos à peccatis cohibeant, neque tan-

Ex Lymbo infantũ nullus est animarum reditus.

E cœlo reditus animarum.

dem nostris suffragijs indigent. Quòd de cœlo redeant animæ beatæ, & viuentibus quandoque appareant, refert S. Augustinus [a] dum ait S. Felicem Nolanum Episcopum Nolanis apparuisse & subuenisse, cùm à Barbaris vehementer oppugnarentur; & affirmat S. August. hoc non certis rumoribus sed certissimis testibus sibi cõstare. Et idem [b] tradit sibi S. Hieronymum apparuisse, & pluribus horis gloriosam sancti animam secum fuisse conuersatam, & ob hanc causam idem S. Augustinus [c] hanc profert sententiam nimiæ impudentiæ esse negare animas interdum ad nos redire Deo iubente vel permittente. Dum autem apparent, id præstant vt nos de sua gloria certos reddant si beatæ sint, & auxilium ac opem nobis ferant, nec-non ad beatam vitam quâ fruuntur bonis operibus & virtutum exercitijs aspirare & tendere nos moueant, ita vt nonnisi in nostrum commodum vtilitatem & salutem appareant. Sulpitius [d] de vita S. Martini refert ipsum sanctum cùm adhuc apud viuos ageret testari solitum frequenter sibi Beatissimam Virginem, SS. Apostolos Petrum & Paulum, S. Agnetam, & Teclam apparere solitos. Dionysius Chartusianus [e] refert S. Dionysium Areopagitam protestatum esse vidisse se eosdem Apostolos Petrum & Paulum post eorum mortem simul Romam ingredientes & apparentes multis. S. etiam Ambrosius [f] tradit Anacholium apparuisse protestantem se perpetuo laborum suorum pręmio iam potiri. Idem S. Ambrosius valde celebrem quoque apparitionem SS. Geruasij, Protasij, & Agnetis Virginis refert. Eusebius quoque Cæsariensis [g] refert celebrem S. Potamienæ Origenis discipulæ apparitionem Basilidi post tertium sui Martyrij diem, cuius quidem capiti coronam imposuisse tradit. Refert quoque Nicephorus [h] Beatam Virginem, & Beatum Ioannem Euangelistam S. Gregorio Neocæsariensi apparuisse, & [i] SS. Apostolos Petrum & Paulum Constantino pariter apparuisse. Quamplures alias apparitiones Beatissimæ Virginis, Apostolorum, & aliorum ciuium cœlestium ex grauissimis authoribus refert supra nominatus Alphonsus Mendoſa [k]. Et demùm apparitionibus pleni sunt libri antiquorum & recentiorum.

a *Lib. 1 de cura pro mortuis agenda c. 15.*
b *August. Epist. 205.*
c *Lib. de cura pro mort. c. 15.*
d *Lib 3. Dialog. 2.*
e *In 3. dist. 23. qu. 6.*
f *Epist. 56. ad Sacerdotes.*
g *Lib. 6. Hist. Eccles. c. 5.*
h *Lib 5. Hist. Eccles. c. 17.*
i *Lib. 7. c. 33.*
k *Eadem qu. num. 13.*

Apparitiones Sanctorum defunctorum in somnis, non erant fallaces & illusoriæ.

Aduertendum porrò harum apparitionum quasdam in somnis & secundùm apparentiam factas, non fallaciter & illusoriè, cùm diuinæ essent, ac pręter totam naturæ vim per Dei potentiam contingerent, plures verò earum vigilantibus hominibus verè ac realiter factæ sunt, vt in supracitatis authoribus videre licet.

Ex Lymbo Patrum animæ quandoque redeunt.

Quòd ex Lymbo Patrum apparuerint animæ, satis suprà probatum est de Danielis & Mosis animabus, & alijs in Machabæorum libris. Quòd etiam ex Purgatorio quandoque redeant quamplura

etiam exempla de earum apparitione & ab illo loco aduentu, apud Sanctum Gregorium in Dialogis, & alios Authores, eo quòd aut nostris indigent præsidijs, aut nos suis admonitionibus & exemplis. Sanctus ergo Gregorius [a] scribit animam Paschasij Diaconi qui vixerat tempore Symmachi Papæ circa annum Domini 100. apparuisse Sancto Germano Capuano Episcopo, ac vt pro se oraret, petijsse, vt à Purgatorij tormentis liberaretur. Idem Sanctus Gregorius [b], refert de alijs apparitionibus animarum missas petentium.

Quod ad Infernum spectat, an etiam de eo redeant quandoque animæ, Soto [c], & à Victoria [d] negatiuam tenent partem, & existimant nunquam ad nos venire, eo quòd sint perpetuò carceri mancipatæ, nec possint etiam (inquit à Victoria) *Dæmonibus adiuuantibus inde exire:* Et non est credendum illas hanc licentiam à Deo habere, maximè cùm legamus Historiam de diuite illo Epulone apud Sanctum Lucam, qui nec ad fratres quidem liberandos ne venirent in locum illum tormentorum, permissus est peruenire. His tamen non obstantibus alij dicunt cum Abulensi [e], & Sancto Thoma illas etiam animas in Inferno iam detentas interdum viuis apparuisse, vt eis per pœnas suas terrorem incuterent, quas aut visibiliter ostendunt, aut credibiliter referunt. Et istud multis exemplis probat Author libri de Proprietatibus Apum (inquit Bellarminus [f]). Et idem probatur ex illa apparitione celeberrimi cuiusdam Doctoris Parisiensis in vita Sancti Brunonis apud Surium & alios, cùm enim ad eius funus triduò celebrandum magnus esset populi concursus, accidit, vt ad illa verba. *Responde mihi*, prima die se accusatum, secunda iudicatum, tertia condemnatum ore proprio defunctus exclamauerit. Credibile est ergo animam illam mox à morte in infernum descendisse, sed tamen ex inferno ter redijsse & apparuisse, Deo ita volente, vt hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum. Et de facto Sanctus Bruno inter alios rei nouitate ac certæ damnationis sententia perculsus, cum sex alijs familiaribus mundo renuntians Chartusianæ Religionis Institutor fuit.

a *Lib. 4. ca. 40.*
b *Eodem lib. 4. cap. 55.*
c *In 4. dist. 45 qu. 1. art. 4. ad 1.*
d *Relectione de arte mag. num. 17.*
Luc. 16.
e *In Matth. 25. qu. 753.*
f *In 4. d. 45. qu. 1. art. 1. q. 3.*
g *De Purgat. lib. 2 cap. 8.*
Animæ damnatorũ quandoque redeunt.

SECTIO IV.

Vtrum ipsæ animæ secundùm veram earum substantiam ac realem præsentiam apparuerint, an solùm Angeli earum vice & nomine, Deo ita disponente, præsertim si sanctæ sint.

PETRVS Canisius [a], & Mathias Felisius in elucidatione primi præcepti probabiliorem existimant illam sententiã, quòd huiusmodi apparitiones ministerio Angelorum fiant, quamuis ipsis Sanctis ascribantur, & ad id existimandum inducuntur ex eo quod Sanctus Augustinus in alterutram propendere visus est, nam libro de Spiritu & Anima, de his apparitionibus loquens, hæc habet: *Vtrum ista fiant per eorum præsentiam, aut per Angelos suscipientes eorum personam affirmare non audeo:* Et alibi [c]: *Res* (inquit) *ista altior est quàm vt à me possit attingi, & ideo quid horum duorum sit, an verò fortassis vtrumque sit vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personas Martyrum, diffinire non audeo, malo à scientibus ista perquirere.* Et idem [d] sequenti Capite simili modo in dubium reuocat an ista fiant Dei nutu per Angelicas potestates in honorem Sanctorum ad vtilitatem hominum, nec-ne? Cùm autem nihil certi hac in resoluenda quæstione apud Sanctum Augustinum reperiamus, liberum nobis erit quam maluerimus partem eligere, & ideo cum grauissimis Authoribus aliam eligo partem tanquam verisimiliorem & probabiliorem, & dico verisimiliter credendum animas defunctorum interdum apparere secundùm earum substantias verasque earum præsentias, ita vt loco moueantur in quo sunt apud aliam vitam, vt viuis appareant: Verbi gratiâ locum Cœli, si in Cœlo sunt, aut Purgatorij si in Purgatorio, vel etiam Inferni, si in Inferno ad breue tempus & statim redituræ, deserant. Hæc doctrina est Abulensis [e], & Sancti Thomæ [f], qui contendunt per hoc quod animæ siue beatorum, siue damnatorum è suis receptaculis aliquando exeant, non minui aut augeri eorum pœnam aut gloriam. Sed verba S. Thomæ sunt notatu digna: *Secundùm hoc* (inquit) *locus animæ cedit in pœnam vel præmium, quod anima afficiatur ex hoc quod tali loco deputatur, vel gaudendo, vel dolendo: hoc autem gaudium, siue hic dolor de hoc quod talibus*

a Lib. 5. de Maria Deipara cap. 21. Felisius.

b Lib. de Spiritu & anima c. 29. tom. 3

c Lib de cura pro mortuis agenda c. 16.

d Cap. 17

Ipsas animas realiter in propria substantia redire, latè ostenditur.

e In Matth. c. 25. qu. 508. & qu. 712.

f In 4. dist. 45. qu. 1. art. 1. & alibi.

talibus locis deputatur, manet in anima etiam quando extra loca prædicta fuerit; sicut Pontifici cùm datur pro honore, vt in Cathedra sedeat in Ecclesia, non minuitur eius gloria quando à Cathedra recedit, quia etiamsi actu ibi non sedeat, locus tamen ille sibi deputatus est. Hæc S. Thomas, quæ plurima animaduersione digna sunt. Mihi autem est apparentissima ratio quòd licet S. Augustinus supra citatus contrarium dicere videatur, tamen minimè credendum est, voluisse S. Augustinum quòd à quiete turbentur, aut vacare desinant Deo animæ beatæ, ex eo quod cœlo delapsæ ad viuos nonnunquam veniant; cùm enim perfecta earum quies & beatitudo in Dei visione consistat, illa autem visio nihilo fiat minor ex eo quod appareant, fit ex hac parte nihil obstare quin appareant ipsæ præsentia sua.

Deinde hæc assertio conformior est sacræ scripturæ, historiis, ac rationi: scripturæ quidem, nam supra ostendimus Samuelem & Moysem verè & secundùm eorum substantiam & realem pręsentiam apparuisse, nam communiter scripturæ verba vt sonant & iacent, intelligi à nobis debent quandiu nihil absurdi ex tali intelligentia sequitur, at dicendo animas verè & realiter apparere nihil absurdi inde sequitur, ergo, &c.

Eadem assertio est pariter historiis supra allatis conformior quibus ostensum est beatam Virginem, vel sanctos Petrum & Paulum, Ioannem Baptistam, & alios beatos quandoque apparuisse. Et denique conformior est rectæ rationi, nam si nihil incommodi sequatur ex eo quod Angeli ad nos veniant, & interdum verè appareant, quantumuis semper videant faciem Patris qui in cœlis est, nullum quoque sequitur absurdum vel incommodum quòd beatorum animæ loco patriæ in quo sunt, moueantur ad terram, & ex peculiari dispensatione viuis appareant, cùm de illis & Angelis videatur esse par ratio. Cur verò tam rarò appareant, videatur S. Athanasius[a].

Confirmatur hæc ratio ex eo quòd supra diximus & probauimus motum localem non repugnare animis separatis, imò virtutem illam habere naturalem, vt etiam probat Abulensis[b] super Matthęum; nec de Palude, & Soto contrarium docent, quidquid dicat Durandus[c]. Et ratio est quia alioqui eodem loco quo contingit eam de corpore egredi, deberet perpetuò hærere & alligata permanere tanquam truncus per totam æternitatem immobilis, quod non parum diuinæ prouidentiæ derogat, quæ singulis rebus suas dedit naturales virtutes & facultates quibus commodè possint vitam agere. Præclarè ergo docet Abulensis[d] mouere se posse animam & assumere corpus, vt in eo appareat, & in eo debitas operationes exerceat, non tamen quodcumque corpus, sicut Angeli, quibus (vt notant viri per-

a *Tom. 4. q. 11. 13. & 33.*

b *Super Matth. 20. cap. 25. & 772.*

c *In 3. dist. 22. q. 3.*

d *In Matth. 25. q. 773.*

celebres) non quodlibet corpus eis ad motum localem obedit, sed illud quod fuerit debitæ quantitatis & proportionis. Aut recurrendum est ad diuinam potentiam, nam cùm secundùm illam fiant tales animarum apparitiones, congruum etiam esse videtur, vt secundùm eandem vis, & facultas prꝗstetur animabus, vt assumere corpora aliqua valeant, in quibus moueantur, & loquantur, sicut contigit animabus Samuëlis, & Moysi de quibus supradictum est; Et S. Thomas [a] videtur colligere hanc facultatem animabus Beatis ex virtute gloriæ conferri, per quam possint mirabiliter apparere viuentibus cùm voluerint, licet tamen id non præstent, nisi ex speciali Dei prouidentia, & dispositione, aut in earum honorem, aut in nostram vtilitatem & salutem; vt nos de proprio suo statu moneant & adhortentur, vt per bona opera nostra ad similia præmia, quibus potiuntur, peruenire contendamus, sicut si aliquando contingat damnatorum animas mortalibus apparere eosque alloqui, id non fit nisi etiam Deo volente & disponente, vt certiores nos reddant de rebus siue ad earum, siue ad nostri statum attinentibus, & vt caueamus, & nobis ipsis consulamus, & pœnitentiam agamus, ne aliquando ad tam miseram earum sortem deueniamus.

a In 4. dist. 45. q. 1. art. 1.

Notat tamen Gregorius Tholosanus [b] illas animas dum redeunt, non apparere in proprio suo corpore, sed in ea materia corpori assimilata, & ea figura quam Deus permiserit, nulla enim anima reditura est in corpus proprium donec resurrectio eius aduenerit. At objicitur id quod habet vates Regius: [c] *Spiritus vadens & non rediens.* Respondent Euthimius, Iacobus de Valentia, Titelmannus, & alij in hunc locum hanc itionem vel lapsum, & reditionem non de morte corporali intelligi, sed de morte gratiæ cùm quis peccat, cùm enim spiritus per se moritur per peccatum, ad Deum per se & propria virtute redire nequit; sed solùm mediante, iuuante, & operante Dei gratia; vel vt Cassiodorus ibi notat, spiritus dicitur non rediens post mortem, quia non redit ad informandum proprium corpus vt antea, redibit autem in proprium corpus in die Resurrectionis.

b Comment. lib. 8. art. mirab. lib. 1. cap. 16.

Non redeunt animæ propriis corporibus indutæ.

c Psal. 77.

Monent autem SS. Patres esse cauendum à deceptione Dæmonum, & prꝗsertim S. Chrysostomus, [d] & S. Augustinus [e] qui docent Dæmones animas defunctorum simulare, vel parentum, vel cognatorum, vel amicorum quos homines dilexerunt, & à quibus se dilectos esse persuasum habuerunt, vt eis lubentiùs & promptiùs credant, dum aliqua mendacia & superstitiones eis ingerunt, multaque falsa confingunt dogmata, pluresque errores spargunt, sicque multos sæpe-sæpius decipiunt. Hinc fit vt non quibusuis apparitionibus credendum sit, sed: *Oportet probare spiritus si ex Deo sint*, quia vt

d Homil. 29 in Matth.

e Lib. 10. de Ciu. Dei cap. 11.

Dæmones vt homines decipiant, aliquando apparere animas mortuorum simulantes.

1. Ioan. 4.

ait Apostolus, *Sathan transfigurat se in Angelum lucis*, & sic apparet hominibus, vt credatur spiritus bonus vel Angelus sanctus, quo sic facilius decipiat, & ad aliqua perniciosa inducat: sæpe etiam se bonum fingens ea facit, proponit, vel dicit quæ bonis Angelis congruunt, vt per hęc aliena, sibi authoritatem concilict, paulatimque ad sua ducat & malum quod intendit, perficiat; solet etiam malus spiritus multa vera prędicere (inquit S. Gregorius) vt ad extremum possit animam aliqua falsitate & errore illaqueare, & ideo magna & necessaria vigilantia opus est, vix enim potest quis omnes eius mortiferos dolos euadere, nisi cum Deus sua speciali gratia regat & tueatur. Et certè qui à Deo reguntur, & lumine diuinitùs infuso discretionem spirituum habent, quales fuerunt S. Antonius, S. Martinus, & plures alij, iis facile est discernere bonum Angelum à malo, simplicibus verò & in rebus spiritualibus parum exercitatis adeò est difficile, vt nisi humiliter ad Deum confugiant, vix dolos eius euadere poterunt. 2. Cor. 11.

Sed quęres quibus indiciis discernuntur mali Spiritus à bonis. Sunt nonnulli qui existimant illos Spiritus malignos discerni posse à bonis, quia ab his nil nisi bonum potest proficisci, ab illis non nisi malum, & se se malos exhibere dum grauem de mortalibus sumunt vindictam, aut cęteris molesti sunt & terrorem incutiunt. Verùm id non est certum indicium, quia & boni Spiritus terrent, & grauissima de hominibus interdum Dei iussu supplicia sumunt, sicut duo isti decori iuuenes grauissimum de Heliodoro sumpserunt supplicium, ex vtraque parte eum flagellantes, vt in libro 2. Machabęorum dicitur. Non desunt tamen indicia nonnulla quibus mali Spiritus à bonis discernuntur; Primò, quia vt ait S. Athanasius in vita S. Antonij, Cassianus, & alij plures, ex scriptura & apparentia, omnis spiritus homini apparens initio terrorem incutit, cùm in statu non sit cum spiritibus conuersandi, sicut nec spiritus cum illo saltem communiter loquendo. In hoc autem differt bonus à malo quòd bonus semper ante recessum consolationem ipsi homini prębet illumque mira voluptate & animi tranquillitate perfundit, malus verò ipsum perterritum, turbatum, delusum, ac desolatum relinquit. Vnde Archangelus Gabriel aiebat Virgini: *Noli timere Maria*: & Angeli mulieribus: *Nolite timere vos*. Vide Sect. 11. Cap. 17. Tractatus de Angelis.

Quibus indiciis mali Spiritus à bonis valeant discerni.

2. Machab. 3.

Luc. 1.

Matth. 28.

Marc. 16.

Secundò, si spiritus apparens aliquid dicat aut pręcipiat quod sit Scripturæ sacræ, Conciliis, Traditionibus Ecclesiæ, aut honestati ac bonis moribus dissonum, aut etiam aliquid superstitiosum & indebitum cultum redolens, certissimum est ipsum esse malum spiritum.

Tertiò, si spiritus recedat dum ille cui apparet, rebus sacris, & quæ

ſolent Dæmones fugere, vtitur, veluti ſunt lignum crucis, aqua benedicta, agnus Dei, ſanctæ reliquiæ, &c. vel ſimilem rerum vſum diſſuadeat, indubitanter malus eſt ſpiritus.

Quartò, ſi vox ſpiritus terribilis ſit aut inſolita, aut inarticulata ſeu incompoſita, veriſimile eſt apparitionem eſſe mali ſpiritus, licet indicium illud non adeo ſit certum.

Quintò, ſi is cui apparet ſpiritus aliquis ſentiat in ſe ex eiuſmodi apparitione affectum aliquem bonum, & plus ſolitò ſe ad amorem Dei vſque ad verum ſui contemptum excitari, nec-non ad veras virtutes humilitatem, patientiam, iniuriarum tolerantiam, perfectam obedientiam, &c. inflammari, indicium eſt apparitionis boni ſpiritus: ſi verò è contra ſe ſentiat minùs in Dei amore promptum, & in bonis operibus exequendis virtutibuſque exercendis tepidiorem imò potius ad aliquid curioſum, aut ſuperſtitioſum, virtutique contrarium ſe ſentiat inclinari, indicium eſt apparitionis mali ſpiritus.

Poſtremò ſi ſpiritus apparens cauſam & prætextum malum ſuæ apparitionis in medium adferat, vel friuola & curioſa reuelet & feſutiat, indicium eſt mali ſpiritus. Alia poſſunt adferri indicia, ſed illa mihi potiſſima videntur.

CAPVT XIII.

De Fœlicitate.

SECTIO I.

Omnes fœlicitatem appetunt, & quotuplex ſit.

OMNIBVS & ſingulis mortalibus etiam in vita præſenti, & ante ſeparationem animæ à corpore ineſt naturalis quędã propenſio & inclinatio, ſeu innatus appetitus ad fœlicitatem, vt docent omnes Theologi cum S. Thoma [a]; quod eſt intelligendum in communi & in genere. Quod pręclarè oſtendit S. Aug. refellens dictum circulatoris cuiuſdam qui in publico emporio in eminenti loco poſitus dixit, *Veſtras omnium qui hic adeſtis cogitationes penetro, cordis veſtri abſcondita mihi patent, nam quotquot huc confluxiſtis ad vendendum & emendum, deſideratis vilius emere, & carius vendere. Satius,* inquit, *& melius dixiſſet, omnes beatitudinem appetitis.*

Hæc autem fœlicitas duplex eſt, obiectiua vna, formalis altera: fœlicitas obiectiua eſt ipſum obiectum, ſeu res ipſa in cuius poſſeſſione ſumus Beati.

[a] 1. p. q. 2. art. 1. ad 1. & alibi.

Fœlicitas obiectiua, & formalis quid?

Fœlicitas formalis est ipsa adeptio, possessio, siue fruitio Beatitudinis obiectiuæ, siue vt alij aiunt est, res illa qua ipsam rem quæ est fœlicitas obiectiua, tenemus & apprehendimus. De priori fœlicitate hac sectione sermonem instituimus: ad faciliorem autem huius & dicendorum intelligentiam est aduertendum fœlicitatem illam obiectiuam nonnullas habere conditiones.

Prima est, vt omnia ad eam referantur, ipsa verò ad nihil aliud, quæ conditio ex eo oritur quòd Beatitudo debeat esse aliquid vltimum, non esset autem aliquid vltimum nisi ad ipsam omnia referrentur. Conditiones beatitudinis obiectiuæ.

Secunda, vt illa obiectiua fœlicitas sit aliquid excellentissimum, vndequaque perfectum & multò nobiliùs ijs quæ ad ipsam reuocantur. Videretur enim ineptum si res nobilior ad ignobiliorem reuocaretur, quare cùm fœlicitas sit id ad quod cæteræ res referuntur, necessum est eam ipsis esse absolutè pręstantiorem.

Tertia est, vt Beatitudo obiectiua ita expleat hominis appetitum, vt ea obtenta nihil ampliùs homo desideret. Quæ conditio ex eo oritur, quod Beatitudo sit bonum absolutissimum, sibi sufficiens, & nullius rei indigens. Acquisito autem summo bono conquiescit appetitus, ac penitùs satiatur, quandoquidem nihil possit suprà summum bonum appeti.

Quarta est, vt Beatitudo obiectiua possit ab omnibus hominibus obtineri, natura enim omnes homines capaces fecit Beatitudinis, eisque ingenerauit illius appetitum, vt docet Aristoteles.

Aduerte autem fœlicitatem reipsâ non differre ab vltimo fine, itavt vltimus finis sit etiam Beatitudo, & quod est Beatitudo sit quoque vltimus finis. Accidentalibus tamen quibusdam rationibus differunt; tum quia finis appellatur quatenus est id cuius possessione efficimur Beati; tum quia finis appellatur vltimus respectu quarumcumque rerum quæ natura suâ ad illum properant; at verò appellatur fœlicitas respectu earum duntaxat rerum quæ capaces sunt Beatitudinis. Cap. 2. lib. 1. Ethic.

SECTIO II.

In quo consistat Beatitudo obiectiua.

NONNVLLI vt Epicuri sectatores illam in delicijs & voluptatibus corporis reposuerunt: Et huius farinæ quoque fuit impius

Mahometus cum sua secta, alij in dignitatibus, honoribus, gloria, auctoritate, &c. Alij in bonis corporis, in sanitate, robore, pulchritudine, ornamentis humani corporis, &c. Et tot de hac re fuerunt antiquorum opiniones quot fermè capita, vsque adeò vt Marcus Varro ducentas octoginta sectas & opiniones Priscorum commemoret (vt S. August. refert) Sed facilè illi omnes refelluntur.

Lib. 19. de Ciuit. Dei.

Beatitudo obiectiua nō consistit in voluptatib⁹, aut alijs bonis corporis vel fortunæ.

Primò, quia fœlicitas non debet animæ nocere, & esse peccandi occasio, aliàs esset fugienda & non appetenda: vt docet Aristoteles; atqui ista omnia in quibus fœlicitatem consistere voluerunt animæ nocent, & sæpe-sepiùs occasio sunt peccatorum: ergo, &c.

Secundò, fœlicitas est per se expetenda; Et ita debet esse perfecta vndequaque, vt explere appetitum valeat, ita vt in ea conquiescat, & eâ obtentâ nihil ampliùs desideret: at ista omnia supradicta per se non sunt expetenda, sed propter vsum; neque sunt vndequaque perfecta, & denique appetitum non satiant & explent, sed potiùs irritant, &c. Ergò, &c.

Tertiò, debet fœlicitas esse firma, constans, perpetua, & nunquam deficere, si enim amitti potest, fœlicitas non est; at præfata illa mutationibus & varijs inconstantijs sunt obnoxia, atque tandem deficiunt, Ergò, &c.

Beatitudo nō est sita in actione secundùm virtutem, vel contemplatione substantiarum separatarum.

Reperio nonnullos qui de beatitudine paulò meliùs loquuntur, & in rebus præstantioribus eam constituunt, vt Zeno in virtutibus & virtutum actionibus; Alij in inquisitione veritatis & actuali consideratione rerum separatarum, aut etiam contemplatione rerum sublimium, vt Aristoteles & quidam alij; Reliqui tandem in alijs animi dotibus. Et ita de reliquis Ethnicis; Et quamuis honestiùs & modo perfectiori quàm supradicti sermonem de fœlicitate instituant, in hoc tamen errant quòd in rebus accidentarijs mutationi obnoxijs, & quæ non plenè appetitum explent & quæ ad aliud referuntur, quibusque possunt abuti homines, ipsam consistere volunt fœlicitatem.

Ecclesiast. 1.
1. Ioan. 2.

Itaque fœlicitas obiectiua in nullo bono creato, finito & mundano stare potest, ob rationes suprà dictas & alias quæ adferri possent, quoniam ex Ecclesiaste illa omnia sunt vanitas, *Vanitas vanitatum* (inquit) *& omnia vanitas*, Et ex S. Ioanne, *Transit mundus & concupiscentia eius.* Et iterùm: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt.* Item adhuc: *Ecce totus mundus in maligno positus est*: Et alibi passim. Vera igitur beatitudo obiectiua in nulla re creata consistit, Superest ergò vt dicamus illam consistere in bono suprà humanam cogitationem perfectissimo & omnium cumulatissimo, infinito, & increato, putà in Deo Opt. Max. atque eius visione, & fruitio-

ne, cùm in illo sit omnium bonorum firma & stabilis aggregatio, sine alicuius vel modici mali mixtione, aut ablationis timore, immò sit fons omnium particularium bonitatum, & rerum omnium superessentia, & supercausa, non quidem in præsenti sæculo in quo solùm per fidem & in ænigmate illum videmus, sed in altero, videlicet in Cœlo Empyreo, vbi Beati illum facie ad faciem conspiciunt per lumen gloriæ quod est supernaturalis ordinis qualitas eorum intellectum eleuans, & ipsi essentiæ diuinæ illum intimè vniens. Solus Deus est obiectiua hominis beatitudo.

Probatur ex Scriptura, videlicet ex Psalmista Regio, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*: Et Christus Dominus apud S. Ioannem; *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* *Psal. 16.* *Ioan. 17.*

Probatur quoque ex Sanctis Patribus, S. Augustino videlicet, & alijs, habet enim ille libro de spiritu & littera: *Quid hoc bono melius* (inquit) *quid hâc fœlicitate fœlicius, viuere Deo, viuere de Deo?* Et in libris de Ciuitate Dei: *Ibi tota virtus erit videre quod amas, & summa fœlicitas amare quod videas, & ibi beata vitâ in fonte bibitur, vbi veritatis visio clarissimè aperitur.* Et super Ioannem, *Deus tibi totum est; si sitis, aqua tibi est; si esuris, tibi panis est; si in tenebris es, lumen tibi est, si nudus es, immortalitatis tibi vestis est!* Idem libro de Spiritu & Anima eos acriter reprehendit qui in rebus perituris fœlicitatem quærunt: *Cur ergo* (inquit) *per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? ama bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit, desidera simplex bonum quod est omne bonum & satis est. Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? ibi est quicquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut Sol; si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei. Quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale, potestate vtique non natura: si delectat longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, & æterna sanitas, quia in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino; si satietas, satiabor* (ait Psaltes Regius) *cùm apparuerit gloria tua; si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei; si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo: si qualibet munda voluptas, torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus: si sapientia, erunt omnes docibiles Dei, quia ipsa sapientia ostendit eis seipsam: si amicitia, diligent Deum plusquam seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & Deus illos plusquam illi seipsos, quia illi illum & se & inuicem per illum, & ille illos per seipsum: si concordia, oībus illic erit vna voluntas, quia illis non erit nisi sola voluntas Dei: si potestas, introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt suæ voluntatis, vt Deus suæ.* Hęc S. August. Et idem alibi: *Da mihi* *S. Aug. lib. de Spir. & litt.* *Serm. 19.* *Cap. 64.* *Matth. 22.* *1. Cor. 15.* *Psal. 16.* *Psal. 35.* *Lib. 13. Confess. cap. 8.*

Lib. 3. de Consol.

te Deus meus, redde mihi te, omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Boëtius de Consolatione videtur paucis verbis hæc omnia supra-dicta comprehendere, quando beatitudinem definiendo ait: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Denique supra-dicta assertio probatur ex eo quod in Deo reperiantur omnes conditiones requisitæ ad obiectiuam fœlicitatem, vt patebit rem attentiùs consideranti. De quibus præcedenti Sectione diximus.

SECTIO III.

De fœlicitate formali, & in quo consistat.

Beatitudo formalis est adeptio & possessio Dei.

FOELICITATI obiectiuæ respondet formalis fœlicitas, vt actio obiecto. Quemadmodum igitur obiectiua est ipse Deus quatenùs diuino quodam modo à nobis tenetur & possidetur; ita formalis est illius obiecti adeptio & possessio. Non loquimur autem de formali fœlicitate huius viæ, quæ est valdè imperfecta, & maximè consistit in actibus fidei, spei, & charitatis: sed de supernaturali in patria, qua ipsi Beati in cœlo formaliter & intrinsecè per aliquid sibi inhærens sunt fœlices, & hinc fœlicitatis formalis nomine donatur. Et sicut obiectiua fœlicitas, est aliquid increatum & infinitum, cùm ipsa Deus sit, ita formalis est aliquid finitum & creatum in eximia aliqua animi operatione consistens. Probatur, quia quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur; atqui recipiens est creatum videlicet ipse Beatus qui recipit beatitudinem formalem: ergo etiam id quod recipitur, erit aliquid creatum, quod autem recipitur est ipsa fœlicitas formalis: ergo formalis fœlicitas erit aliquid creatum, & cùm non sit substantia, erit necessariò accidens.

In quo autem ipsa consistat, est aperiendum. Certum est illam non esse substantiam ipsius Beati, vel potentiam, aut in habitu consistere: superest ergo vt dicamus illam in operatione esse positam. Quòd non sit Beati substantia, satis apparet, nam talis per essentiam soli Deo conuenit, sua enim beatitudo est sua substantia, & illud esse cuius beatitudo, est sua substantia est solus Deus. Tum quia iam creatura manens non posset esse misera, quia non potest carere suâ substantiâ: ergo nec posset carere suâ beatitudine. Et quod dicimus de beatis

beatis hominibus, idem dicendum est de Angelis. Confirmatur, nam creatura non potest mereri suam entitatem substantialem, sed tamen potest mereri suam beatitudinem; ergo beatitudo non est essentia vel substantia ipsius rei beatæ. Maior probatur, substantia enim supponitur merito, vt principium radicale remotum.

Potentia etiam animæ non potest esse beatitudo, nam per potentiam non attingitur obiectum beatificum actualiter vltimatè, sed solùm potentialiter, hoc est, facultas est in potentia ad attingendum mediante sua operatione. Deindè quia manente semper potentia creaturæ, maneret eius beatitudo, & sic non posset esse misera, nam potentia est idem cum substantia rei, nec ab ea distinguitur nisi formaliter, vt probauimus Sectione ij. capitis 4. huius tractatus. Vel saltem non potest esse misera sine ipsa. Prætereà potentia de se est indifferens ad beatitudinem, vel miseriam; ergo debet per alterum determinari. Postremò beatitudo nec potest consistere in habitu, quia habitus refertur ad actiones, vt ad aliquid nobilius, & obiectum beatificum attingi non potest per habitum, nec immediatè, nec vltimatè. Et exinde sequeretur dormientes beatos esse, quod tamen negat Aristoteles, immò in Metaphysica ait quòd si Deus otiosus maneret, nihilque operaretur, nunquam foret beatus. Denique habitus non habet rationem optimi, quæ tamen conditio ad fœlicitatem requiritur.

Beatitudo formalis non est essentia animæ, vel potentia aut habitus, sed vitalis quædā eiusdem operatio

Text. 5. lib. 2. Metaph.

Restat ergo vt dicamus beatitudinem ipsam in operatione seu actione vitali animi sitam esse, eaque præstantissima & perfectissima, attingente obiectum & ex consequenti immanente, quæ videlicet in ipso beato remaneat, & qua formaliter denominetur beatus, quia talis actio est longè perfectior transeunte. Et hæc assertio communis est apud omnes Doctores illamque amplectuntur S. Thomas [a], & Doctor subtilis [b].

a 1.2.q.3 art 7.
b 4.sent.dist. 49 q.2.

SECTIO IV.

An beatitudo consistat per se in actu intellectus, vel voluntatis.

ANSAM huic quæstioni prębuit Doctor subtilis, qui resoluit aduersùs S. Thomam ipsam principaliter & essentialiter in actu voluntatis videlicet in amore, fruitione, & summa delectatione consistere. Ideò enim beati vltimatè & perfectissimè dicuntur tales, quia

4. Sent.dist.49. q.4.

Beatitudinē consistere principaliter in amore & fruitione fusè ostenditur.

amore ardentissimo Deo clarè viso copulantur, eiusque essentia cum summa delectatione fruuntur. Ita vt ex eius sententia visio sit tantùm conditio quędam ad formalem beatitudinem prærequisita, & non ipsamet beatitudo.

Multis autem rationibus probatur eius sententia.

Primò, amor ardentissimus quo beati Deum prosequuntur, & fruitio eiusdem quæ in voluntate subiectiuè sistunt, intimiùs, nobiliùs, & perfectiùs naturam intellectualem coniungunt & vniunt cum obiecto beatifico quod est ipse Deus, quàm visio. Habēt enim rationem finis vltimi, vel magis appropinquant vltimo fini, quàm ipsa visio: Ergo sequitur exindè beatitudinem potiùs in his voluntatis actibus consistere, quàm in actu intellectus. Confirmatur hæc ratio, nam amor, iuxta omnes Philosophos & Theologos, habet vim vnitiuam, & pręterea tendit immediatè in ipsum obiectum beatificum, quilibet enim beatus vult videre Deum, vt ipsum diligat, non autem vult diligere vt eum videat, vt docet S. Anselmus dicens quòd esset ordo peruersus si quis vellet amare vt intelligeret; ergo vt ordo benè seruetur debet intelligere vt amet, & iste ordo naturalis erit. Amor ergo supponit visionem, & sic non potest referri ad eam, vt ad finem, sed contrà visio essentialiter ordinatur ad amorem & fruitionem, & ad vtrumque refertur, vt ad finem vltimum & summam voluntatis perfectionem & eius vitam, vt doctissimi docent Theologi. Et sic voluntas est vltimatè per amorem & fruitionem beatificabilis. Et credit quidam celeberrimus auctor quòd si poneretur sola visio, & diù tardaret amor, voluntas grauiter ferret & torqueretur quandiù Deo suo ad quem inclinatur, amore non vniretur, & quo magis visio cresceret, eò magis cruciaretur.

Lib. de summo bono.

Secundò, beatitudo consistit in possessione perfecta summi boni, sed ista possessio non potest intelligi in solo actu intellectus, nam bonum, est obiectum voluntatis; Ergò in voluntate talis possessio consummatur & perficitur, non verò in actu intellectus. Et licet per intellectum fiat aliqualis possessio, quia obiectum est in intelligente, longè maior tamen fit per voluntatem. Vnde S. Ioannes: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Confirmatur ex Aristotele in Ethicis qui docet fœlicitatem consistere in actu nobilissimæ virtutis; sed quæ virtus est nobilior charitate & Dei amore? Charitas enim ipsa inter alias virtutes excellit, vt habet S. Paulus scribens ad Corinthios: *Si habuero Prophetiam & omnem scientiam* (hoc est diuinam & humanam) *& nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et subdit, *Fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Quod S. Augustinus de virtutibus Theologicis itidem fa-

1. Ioan. 4

Arist. in Ethic.

1. Cor. 13.

tetur dicẽs, quòd in donis Dei nullum eſt maius charitate, nec æquale, quod eſt intelligendum non ſolùm in via, ſed etiam in patria.

Hoc ſuppoſito fundamento ſic ex mente Doctoris ſubtilis argui poteſt. Charitas in via eſt perfectior fide & ſpe; ergo charitas in patria ei correſpondens & ſuccedens qua Deo fruuntur beati, eſt perfectior viſione quæ reſpondet fidei, & tentione quæ reſpondet ſpei. Antecedens patet ex Apoſtolo loco citato. Conſequentia probatur, vt virtutes ſe habent in via ſecundùm perfectionem vel imperfectionem earum eſſentialem, ſic ſe habent proportionaliter in patria; ſed in via ſe habent per exceſſum, quoniam verbi cauſa charitas ex Apoſtolo alias excedit; ergo & in patria.

Deindè fides & ſpes in via attingunt Deum non quidem perfectè, ſed tantùm vt ex his habeatur cognitio & adeptio boni; ſed charitas perfectiori modo attingit Deum, vt videlicet in eo ſiſtat; ergo multo adhuc perfectiori modo illum attingit in patria, vt in eo & ſiſtat & quieſcat.

Si autem in contrarium dicat quis, in ſtatu Eccleſiæ militantis credentes denominari fideles à fide tanquam à prima virtute Theologica, & ſic diſtingui ab infidelibus; hoc nihil officit cõcluſioni Scoticæ. Nam etiamſi fides ipſa in ordine executionis ſit prima virtus, non colligitur tamen quòd ſit pręcipua, nam vt dictum eſt, iuxta Apoſtoli mentem, charitas primatum tenet, adeò quòd fides vt ſit perfecta & meritoria debet operari per charitatem, vt per formam. Sic in ſtatu patriæ quamuis viſio quæ fidei viæ correſpondet, ſit in ordine prima actio beatifica, non exinde colligitur vt ſit excellentior ipſa charitate vel amore & fruitione, nam licet intellectus ſit prior in executione, attamen voluntas eſt prior perfectione. Et ita de earum actibus dicendum. Et hoc eſt quod habet S. Auguſt.[a] *Summa merces eſt vt ipſo fruamur.* Et iterùm in libris de Trinitate[b], *Solo illo illuſtrari perfruiq; ſufficiet.* Quod etiam pręclarè docet S. Bernardus[c] dum ait: *De communi fœlicitate qua animæ beata requie fruuntur, &c.* Quibus verbis oſtendit beatam ſanctorum in cœlo vitam à fruitione denominari.

a lib. 1. de doctr. Christ. cap. 6.
b De Trinitate cap. 27.
c Serm. de Feſto Sanctorum.

Deinde actus primus intellectus ſe habet vt diſpoſitiuus ad ſecundum perfectiuum, ſcilicet voluntatis. Et quia perfectiuus ſe habet vt forma & finis, ideò potior & nobilior eſt diſpoſitiuo, qui ſe habet vt efficiens & materia. Finis namque eſt cauſa cauſarum, & eſt qui mouet efficientem ad ſui conſecutionem, & licet ſit vltimus in executione, eſt tamen primus in intentione, & ideò nobiliſſimus.

Ariſtoteles 1. Phyſic.

Prætereà voluntas eſt appetitus totius naturæ, quo ſatiato ſatiantur omnes potentiæ, & vnitæ Deo perfectè quieſcunt, qui tunc eſt omnia in omnibus; viſio autem eſt actus partialis; ergo natura non

quiescit in visione; & per consequens non est vera beatitudo, præcipuè vltimatè & essentialiter, nisi In voluntate amante, & fruente; tunc enim satiatur eius appetitus, Deus siquidem, vt ait Psaltes Regius: *Tunc in bonis replet desiderium suum.* Probatur ex S. Augustino: *Appetitus inhiantis* (id est anxiè desiderantis) *fit amor fruentis*; sed in visione nondum est amor fruentis; ergo adhuc manet appetitus inhiantis. Maior & minor patent; Consequentia probatur, quia non est terminus desiderij consequutus; ergo voluntas semper hiat, & anxiè desiderat. Et hoc etiam ampliùs constat ex eodem S. Augustino: *Creauit*, inquit, *Deus hominem vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur.* Eccè B. Augustinus mirificè distinguit grâdus quibus anima in hac vita ordinatur ad Deum, & attingit eum in alia, dum illum amando possidet, & possidendo eodem fruitur. Et hoc magis confirmat lib. 1. de Doctr. Christiana vbi ait: *Summa hæc est merces, vt fruamur Deo.*

Psal. 102.

4. Trinit. cap. vlt.

S. Aug.

August. lib. 1. de Doctr. Christiana cap. 32.

Insuper inter Angelorum choros talis est ordo, quòd in prima Hierarchia priorem locum teneant Seraphini, & secundum Cherubini; atqui Seraphini sic vocitantur ab ardore & amore Dei, & Cherubini à scientia & cognitione; igitur in patria amor & charitas etiamsi ordine non antecedant scientiam, attamen vt constat, præstant dignitate. Ergo satis apparet in patria charitatem, amorem, & fruitionem, nec-non delectationem supereminere scientiæ, illamq; excedere, sicque beatitudinem potiùs in actu voluntatis quàm intellectus consistere.

Confirmari meliùs non potest quàm ex supra allata B. Pauli auctoritate, qua ostendit etiam in via charitatem cœteris virtutibus præferri; ergò multò magis in patria.

Denique assertio hæc Doctoris subtilis probari potest his omnibus rationibus quibus Capite 4. Sectione 9. huius tractatus probauimus voluntatem intellectui præstare.

Thomistæ qui contrariam tenent sententiam docentque fœlicitatem potiùs in actu intellectus, quàm voluntatis consistere multa aduersus Doctoris subtilis sententiam objiciunt.

Ioan. 17.

Soluuntur rationes quibus nitũtur Thomistæ probare beatitudinem consistere in sola visione.

S. Cyrill. in 17. cap. Ioannis.

Primò objiciunt auctoritatem Christi apud S. Ioannem: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: sed cognitio (ait Angelicus Doctor) pertinet ad intellectum, & vita æterna est beatitudo; igitur hac de causa magis in intellectu collocatur. Respõdemus obiectionem illam auctoritate S. Cyrilli Alexandrini sufficienter solui posse, dicit enim vitam æternam in sentẽtia S. Ioannis intelligi non pro beatitudine, sed pro fide ipsa, ita vt sensus sit: *Hæc est vita æterna*, hoc est, hęc est fides vera, *vt cognoscãt*

te Deum verum, id est quâ mediante ad te peruenitur Deũ verum. Et quòd hæc sit germana & vera istius loci interpretatio, alia auctoritate S. Ioan. comprobatur, ait enim ipse: *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Non dicit habebit, sed, habet, quod est tamen intelligendum iudicio quorundam grauissimorum virorum id est, habet meritum vitæ æternæ, quoniam sicut in visione non inest vita æterna præcisè, ita nec in fide, sed solùm virtualiter sit quomodocumque vita æterna, hîc non sumitur pro beatitudine; ideò auctoritas non satis benè probat, quia potest etiam intelligi pro fide viatoris, quâ mediante vitam consequitur æternam. Vel dicendum est cum S. Bonauentura & Richardo, quod clara Dei visio siue cognitio, in Sacris Litteris nuncupatur beatitudo, non quòd sit sola, & præcisè beatitudo, siue beatitudinis potior pars, sed quia per solam visionem animæ, huius status viatores à Beatis distinguũtur non enim (aiunt hi celeberrimi Doctores) comprehensores à viatoribus iustis per dilectionem distinguuntur, cùm Deus charitate eiusdem rationis vtrobique diligatur, dicente Paulo: *Charitas nunquam excidit*: sed different quia nos ambulamus per fidem, illi autem per speciem, id est per claram Dei visionem: ambulant nimirum ad fruitionem tanquam ad vltimum finem beatitudinis, in qua terminatiuè, vltimatè, formaliter, completiuè, & potiori modo consistit ipsamet beatitudo.

Ioan. 3.

S. Bonauent. & Rich. 4. sent. dist. 49.

Vbi suprà.

Secundò, obijciunt eiusdem Christi auctoritatem apud S. Matthæum: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Respond. Christum his verbis non proindè amorem & fruitionem excludere, nam ex ipsa clara visione illa infallibiliter sequuntur, vt probari etiam potest Ecclesiastici auctoritate: *Quibus apparuerit in visu, diligunt eam in visione & agnitione magnalium suorum.*

Matth. 5.

Ecclesiast. 1.

Tertiò obijciunt Sanctum Augustinum de Trinitate: *Visio est tota merces*; igitur in visione quæ spectat ad intellectum consistit beatitudo, quæ quidem visio immediatè succedit fidei. Respondet Seraphicus Doctor S. Bonauentura: *Visio est tota merces*; id est totum præmium beatificum. Propterea, quòd in patria à visione incipit status, quemadmodum hic status à fide initium sumit, indè tamen non sequitur visionem esse præcipuam beatitudinem. Et hac solutione facillimè quisque satisfacere potest quibuscumque auctoritatibus. Vel dicamus cum Doctore Subtili, visio est tota merces intellectus, non verò est tota merces hominis, quoniam sicut in ea non inest potissimè fruitio, ita nec completè beatitudo, sed in dilectione, quæ mediante voluntate & fruitione habetur. Vel dici potest, quod visio est tota merces, id est quasi tota merces, cùm in

S. August. 1. de Trinit. c. penult.

ea ſit initiatiuè beatitudo, ſicuti eſt completiuè, conſummatiuè, & formaliter in fruitione. Vel viſio eſt tota merces, id eſt in viſione eſt indubitata ſecuritas veræ mercedis laborum & meritorum hominum, de qua ampliùs non eſt dubitandum, cùm ſint in termino viæ, & iam in patria.

Ariſtot. lib. 0. Ethic. Quartò obijciunt, id quod habet Ariſtoteles in Ethicis, vbi probat fœlicitatem ſubſtantiarum ſeparatarum in ſpeculatione conſiſtere, & ex hoc concludit noſtram fœlicitatem conſiſtere in ſpeculatione. Reſp. Philoſophum loqui de fœlicitate eo modo quo ſuprà, quòd videlicet ſecundùm ordinem potentiarum intellectus & voluntatis fœlicitas primò & inchoatiuè in actu intellectus conſiſtit, non negat tamen illam quoque ex conſequenti in actu voluntatis completiuè conſiſtere. Deindè loquitur vt Philoſophus, Philoſophi enim pluris faciunt ſpeculationem & quamlibet intellectus actionem quàm voluntatis.

PR. Ethic. Quintò obijciunt eundem Philoſophum etiam in Ethicis: ***Beatitudo eſt bonum ſufficiens***; ſed bonum illud ſufficiens eſt viſio; iuxtà id quod aiebat Sanctus Philippus alloquens Chriſtum apud San- *Ioan. 14.* ctum Ioannem: ***Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*** Reſpond. dilectionem eſſe bonum magis ſufficiens quàm intellectionem, quia qui diligit aliis bonis minùs indiget. Ad probationem minoris ex dicto Sancti Philippi dicimus Apoſtoli verba eſſe intelligenda quantum ad inſtructionem fidei de Trinitate; hanc enim tunc completè non intellexerat, frequenter ſiquidem audierat ſermonem de Patre, & ideò concepit quod Patre ſibi oſtenſo ſufficienter caperet, & alij cum eo veritatem fidei de Trinitate: non autem loquebatur de viſione beata, quaſi illa per ſe ſufficeret ſine dilectione; ſicut apparet ex Chriſti reſponſione: ***Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me, Philippe, qui videt me, vidit & Patrem meum.*** Quaſi diceret, ſi iam me ſecundùm veritatem vidiſtis etiam perfecta viſione fidei, & Patrem meum ſimili viſione vidiſtis. Non verò intellexit quòd Apoſtoli vidiſſent eum viſione beatificâ; iam enim ſupponeret eos fuiſſe aut eſſe beatos.

Sextò & poſtremò obijciunt. Beatitudo debet conſiſtere in actu nobiliſſimo; ſed talis eſt actus intellectus: igitur, &c. Maior eſt euidens. Minor facilè probari poteſt, quoniam ille actus eſt nobiliſſimus quem diſponit nobilior habitus; at talis eſt habitus ipſius intel- *1. Metaphyſ. & 6. ac 10. Ethic.* lectus teſte Philoſopho, qui vult ſapientiam eſſe nobiliorem habitum, & meliorem omni habitu voluntatis: ergo, &c. Reſpondemus verum quidem eſſe ſapientiam eſſe nobiliorem inter acquiſitos habitus; ſed ex hoc non ſequi eſſe nobiliorem habitibus infuſis,

inter quos charitas primatum tenet, cuius actus est ipsa fruitio. Cùm autem hic de fœlicitate agimus, loquimur de habitibus infusis, & non acquisitis, & ideò non valet hac in re Philosophi auctoritas. Hæc autem ratio iam allata fuit Capite 4. huius Tractatus Sect. 9.

SECTIO V.

Quomodo fœlicitas ex vtriusque facultatis, intellectus videlicet & voluntatis actibus coalescat, & quid proinde sit?

DVÆ sunt huius Sectionis partes. Quoad priorem attinet, Seraphicus Doctor S. Bonauentura, Paludanus, Richardus, Marcilius, Major, cum quibusdam alijs existimant fœlicitatem indiscriminatim consistere in actibus vtriusque potentiæ, intellectus videlicet & voluntatis, sic beatos tres præsertim actiones circà Deũ in cœlo exercere, prima appellatur visio siue cognitio beatifica, quæ est actio intellectus, qua beatus lumine gloriæ illustratus, & quasi suprà seipsum suasque vires naturales eleuatus, diuinam essentiam, tres indiuiduæ Trinitatis personas, & omnia appropriata, attributa, atque perfectiones diuinas clarè ac distinctè cognoscit & contemplatur. Secunda actio est amor, qui est operatio voluntatis per quam ex summa consummataque charitate supernaturali quilibet beatus Deum diligit. Tertia quæ ex secunda consequitur, est fruitio cum summa delectatione quæ etiam est actio voluntatis per quam beatus ex Dei possessione & communi gaudio perfusus in Deo ipso tanquam in vltimo fine suauissimè & placidissimè conquiescit. Quod si aliqui delectationis non faciant mentionem, certum est tamen ipsam necessariò & infallibiliter fruitionem comitari, nec ab ea multum differre, & saltem ad eam consequi.

4. Sent. dist. 49 q. 4.

Sanctus Thomas & Scotus non videntur huic postremæ opinioni S. Bonauenturæ & aliorum dissentire, vterque enim fœlicitatem in vtraque facultate vult consistere, & solùm in eo differunt quòd prior velit præcipuè illam esse sitam in actu intellectus, & posterior in actu voluntatis. Hæc igitur tertia opinio ab alijs solùm differt quod velit quasi æqualiter illam in vtriusque facultatis actibus esse positam. Sed si vera dicere fas est, videtur veritati magis consona positio Scotica, quatenùs scilicet charitas in patria, est finis ipsius visionis; sicut etiam in via finis præcepti, est ipsamet charitas. Visio ita-

Licet beatitudo formalis includat actum intellectus, magis tamen principaliter dicit

actum voluntatis. que quæ est actio intellectus, est principium beatitudinis, charitas & fruitio quæ actus sunt voluntatis, sunt finis eiusdem; igitur sunt duæ causæ partiales beatitudinis vnam formalem totalem facientes. Et sic breui dicere possumus beatitudinem esse operationem intellectus quoad originem siue inchoatiuè seu initiatiuè; esse verò voluntatis operationem perfectiuè & completiuè, seu consummatiuè vt vocant, & quoad integrum suum statum. Et sic Thomistæ optimè concludunt iuxta sua fundamenta ipsam beatitudinem esse operationem intellectus primariam, quatenùs est principium & causa mediata. Scotistæ autem optimè determinant iuxta sua, esse voluntatis actionem immediatam, & ob id primariam dignitate ac præcipuam. Sicque tertia positio quæ est S. Bonauenturæ non videtur esse rejicienda, cùm ambæ supra-dictæ sententiæ benè intellectæ illud idem afferant. Et ita liquidò constat duos illos actus tali modo ad ipsam beatitudinem concurrere, vt vnus sine altero completè & perfectiuè beatitudinem in beato non gignat, cùm naturaliter vtriusque actus sit susceptibilis. Nec valet dicere cum quibusdam fœlicitatem consistere in vno optimo, & non in duobus, quoniam facilè possunt respondere suprà citati Doctores, quòd vtique in vno consistit obiectiuè, scilicet in diuina essentia, sed in duobus vnum formaliter facientibus, scilicet in intellectus & voluntatis operationibus. Sicque hæc tertia opinio quæ ambas priores conciliare videtur, non est reprobanda.

Probatur porrò hæc S. Bonauenturæ & aliorum sententia.

Primò, quia beatitudo huius vitæ consistit in actione intellectus nimirùm fidei, quia: *Sine fide impossibile est Deo placere,* (vt ait Apostolus) & in actione voluntatis nempe charitatis, quia: *Fides sine operibus,* (idest sine charitate vel operibus charitatis) *mortua est,* vt ait S. Iacobus; ergo beatitudo cœlestis in vtraque actione consistere debet.

Hebr. 11.

Iacobi 1.

Secundò probatur, quia possessio seu fruitio summi boni consistit in vnione quadam seu adhæsione cum summo bono Deo Opt. Max. Atqui non sola visio aut contemplatio, verum-etiam amor firmissimus est illius vnionis nexus. Confirmatur hæc ratio, quia quemadmodum contemplatio amorem excitat, sic amor excitatus contemplationem iuuat & promouet, nam quo magis bonum aliquod per contemplationem nobis innotescit, eo magis in illius amorem exardescimus, & quo magis aliquid amamus, eo frequentiùs de ipso cogitamus ac in ipsius contemplationem impensiùs incumbimus. Quòd si apud nos in præsenti vita id verum esse comperiamus, multò magis in patria.

Tertiò,

Tertiò, Beatitudo debet complecti omnem perfectionem ad quam anima in vita existens conspitabat, & quam à Deo summis votis ac precibus postulabat: atqui anima existens in via non tendebat in solam Dei visionem, nec solùm illam à Deo postulabat; sed etiam in amorem, non enim quærebat tantùm videre Deum, sed eum quoque amare: ergò multò magis id de patria est dicendum.

Quartò, Idem S. Bonauentura & alij eius sequaces hanc suam assertionem optima ratione probant. Beatitudo (inquiunt) consistere debet simul in visione, amore, & delectatione seu fruitione, quia beatitudo respondet tribus Theologicis virtutibus viæ nostræ, vnde pendet omne meritum vitæ æternæ: sed tres illæ virtutes sunt fides in intellectu cui respondet visio Dei; spes cui tentio, charitas cui fruitio in voluntate; ergo in his tribus actionibus simul consistit beatitudo. Suffragatur S. Augustinus: *Beatus habet quicquid vult & nihil mali vult:* Sed beatus rectè potest velle hæc tria; ergo in eis simul stat beatitudo. Confirmatur prædicta ratio, quia beatitudo consistit in matrimonio spirituali quod celebratur in ingressu patriæ inter Deum, & animam; sed in eo dantur tres dotes, visionis, amoris, & fruitionis cum summa delectatione; ergo in his omnibus consistit beatitudo. *Lib. 13. de Trinit. cap. 5. & 6.*

Hæ omnes præfatæ rationes magis ac magis quibusdam auctoritatibus firmantur. Et primò auctoritate S. Ambrosij qui constituit beatitudinem in contemplatione diuinitatis, & fructu bonæ operationis; sed operatio bona & iusta pertinet ad voluntatem; ergo essentia beatitudinis consistit in vtroque actu secundùm B. Ambrosium. *Lib. 1. offic. cap. 2.*

Secundò, Auctoritate B. Augustini, qui ponit beatitudinem in actu intellectus; sed in ratione dubitandi, eam in actu voluntatis constituit, & postea ait vtrumque actum ad fœlicitatem requiri, nam quando Christus tradet Regnum Deo patri, perducet credentes ad contemplationem Dei, vbi est finis omnium bonarum actionum, & requies sempiterna; atqui, vt supradictum est, bonæ actiones ad voluntatem pertinent; ergo docet requiri vtrumque actum. *Lib. 13. de Trinit. cap. 10.*

Tertiò, Accedit quoque auctoritas Clementinæ, quæ ponit lumen gloriæ ad videndum & fruendum Deo; at videre Deum, & eo frui sunt actus intellectus, & voluntatis simul. *Ad nostrum. De hæreticis.*

Quartò, Confirmatur etiam Extrauaganti Benedicti XII. vbi ita habetur, *animæ sanctæ plenè purgatæ ante finale iudicium sunt verè beatæ visione, & fruitione Dei.* *Benedictus xij.*

Postremò eadem est doctrina Concilij Tridentini in Catechismo *Concil. Trid.*

ad ea verba: *Credo vitam æternam*, vbi habet solidam beatitudinem id est cumulatam beatitudinis perfectionem consistere vt Deum videamus, & eius pulchritudine fruamur, qui totius bonitatis fons est & origo. Et profectò maximè in tali bonitatis fonte delectantur beati; iuxta id quod habet Psaltes Regius: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Et idem: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt videam voluptatem Domini in monte sancto eius.* Et Christus apud S. Matthæum: *Intra in gaudium Domini tui.* Et apud S. Ioannem: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Psal. 15. Psal. 26. Matth. 25. Ioan. 16.

Quoad posteriorem huius sectionis partem spectat, ex bene intellecta postrema S. Bonauenturæ, & aliorum sententia potest assignari beatitudinis definitio, & quoniam duplex cuiuscumque rei datur definitio, videlicet quid nominis, & quid rei. Primò definitionem quid nominis assignabimus. Beatitudo igitur dicitur à bono, & tuto, à bono, hoc est à Deo qui est bonus per essentiam, & bonum ipsum essentiale, & tutus hoc est, vndequaque firmus, stabilis, permanens, & inuariabilis: Et potest dici etiam beatitudo in anima beata quasi firmitas secura, existens obiectiuè in ipso Deo, in seipsa etiam quoad firmitatem quam habet ratione eiusdem, in id siquidem ita fixa & firma permanet, vt ab eodem nunquam diuelli possit. Dicitur etiam fœlicitas à fulciendo quoniam qui eam habet, eiusdem obiecto ita fulcitur, vt ab eo nunquam dimoueri possit, quoniam sicut ab eo esse habet, ita & bene esse totaliter habere dicitur, nam veram hanc beatitudinem habens habet quicquid vult (vt iam ex S. August. aliàs diximus) & nihil mali vult, vel nihil vltra vult, eo quia fulcitur indesinenter indeficienterque in hoc summo bono quo fruitur, & in quo satiatur.

Quid sit formalis beatitudo.

S. Aug. 10. de Trinit. cap. 1.

Secundò, quid rei videnda definitio beatitudinis, quæ triplex assignari potest, vna breuissima, quòd videlicet sit Dei visio, & eius fruitio: altera est Boëtij, & eiusdem interpretis: *Beatitudo* (inquit) *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Quaquidem definitione constat beatitudinem in Dei visione, amore, fruitione, & delectatione consistere, vt sit status perfectus & securus. Hæc autem Boëtij definitio de verbo ad verbum sic intelligi potest. Dicit enim esse statum, vt nobis innuat eius stabilitatem, permanentiam, & firmitatem, nam si his careret conditionibus, non esset vera beatitudo, sed apparens. Dicit prætereà esse bonorum omnium cumulum, & aggregationem, nam si multa, vel vnum deficeret, iam non esset perfecta & completa beatitudo, & beatus non haberet quidquid vellet, vt idem S. August. dicit; at habens ipsum Deum habet quicquid

Boët. 3. de consol. prosa. 2.

vult, quoniam in eo sunt omnia bona. Et hæc definitio Boëtij communiter ab omnibus vsurpatur.

Postrema beatitudinis definitio reliquis copiosior est, & magis videtur eius naturam & conditiones explanare, & præcisè beatitudini Christianæ competere. Beatitudo est summa & perfecta animæ satietas in visione, amore, tentione, & fruitione diuinæ essentiæ obiectiuè, formaliter autem in suis potentiis, residens, vltra quam nihil aliud desiderari potest, cùm in ea sit vltimata & consummata quies, atque gaudium sempiternum. In hac definitione primò dicitur beatitudo summa satietas re verâ & perfectâ, quoniam obiectum beatificum ita animam beatam explet, vt summè dicatur in eo quiescere. Quod non accidit in alio obiecto creato, nam talis obiecti satietas non est summa, completa, perfecta, & consummata. Hinc saluator noster de tali obiecto creato ait apud B. Ioannem sub metaphora aquæ: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* De obiecto autem increato sequitur: *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De eodem obiecto increato omnino satiante & explente habet Psaltes Regius: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vel clariùs: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Satiabor, supple in visione, hoc est in intellectus perceptione, in tentione, Hoc est memoriæ conseruantis, in fruitione ipsius voluntatis cum perfecta delectatione fruentis. Dicitur prætereà talis satietas esse in diuina essentia hoc est summa Deitate obiectiuè, quia ipsa est obiectum beatificum, formaliter autem in suis potentiis consistens, quia hæc summa satietas formaliter in tribus animæ potentiis consistit. Tum dicitur in eadem definitione nihil vltra beatitudinem desiderari posse, quoniam hoc obiecto ab anima comparato, in quo omnia inueniuntur bona, nihil extra ipsum desiderare valet. Item dicitur in ea esse æternam quietem, nam cor humanum continuò remanet inquietum donec inueniat illud in quo perfectè requiescat, iuxta id quod egregiè dicit S. Augustinus: *Domine inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et tandem dicitur gaudium sempiternum, quoniam non est fruitio vera sine gaudio, lætitia, & delectatione, qua summoperè in obiecto beatifico anima deletetur. Deinde gaudium illud dicitur sempiternum quia obiectum beatificans sempiternum est, & nunquam deficiet.

Ioan. 4. *Psal. 1.* *Psal. 16.* *Lib. 1. Confess. cap. 1.*

Si quis autem ostendere vellet hanc definitionem postremam cuncta ad veram definitionem requisita habere, posset dicere quòd satietas stat loco generis, & perfecta loco differentiæ, vt ostendatur fœlicitas de qua hic sermo habetur, differre à cunctis fœlicitatibus

apparentibus & imperfectis, quæ solùm pro aliquo temporis momento animam explent, vt sunt res creatæ, caducæ, & momentaneæ. Ista verò ad quam finaliter tendimus, satiat & implet appetitum in perpetuum. Et hactenus de definitionibus beatitudinis. An autem ipsa beatitudo sit ex se ipsa formaliter perpetua & necessaria disputant Theologi, sed quia hæc quæstio & eius resolutio non videtur ad nostrum præsens institutum pertinere, ideo illam missam facimus. Videantur noster Rada 4. parte Controuersiarum controu. 12. art. 6. & alij Scholástici.

SECTIO VI.

Tanta est fœlicitatis æternæ magnitudo & excellentia, vt percipi à viatoribus non valeat.

POSTQVAM aliquo modo iuxta Scholasticorum placita de æterna fœlicitate loquuti sumus, nunc paulò clariori stylo est de ea disserendum; & primò præsenti Sectione de eius excellentia & magnitudine. Ipsa ergo quocumque modo spectetur siue obiectiuè, siue formaliter, vel provt vtramque fœlicitatem, obiectiuam videlicet, & formalem simul complectitur, tanta est vt eius excellentiam dignè explicare haud valeamus. Sicut egregiè nobis constat ex eo quod refert S. Augustinus, ait enim quod eodem die & hora qua mortuus est S. Hieronymus volens componere tractatum de gloria beatorum (vt ipse sanctus August. refert) deliberauit de hac re consulere Hieronymum, nesciens ipsum è viuis migrasse, cúmque iam scribens salutationis exordium Hieronymo prænotasset, idem Hieronymus lumine ineffabili circunfusus mira odorum omnium fragrantia cellulam in qua stabat Augustinus est ingressus hora completorij, ac de eadem luce verba sequentia audiuit: *Augustine Augustine, quid quæris? putas-ne breui immittere vasculo mare totum? breui includere pugillo terrarum orbem? cœlum firmare ne vsitatos exerceat motus? quæ oculus nullus hominum videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, existimas te posse intelligere? infinitæ rei quis erit finis? immensa qua mensura metieris? potiùs totum mare in arctissimo clauderetur vasculo; potiùs terrarum orbem paruulus teneret pugillus: potiùs cœlum à motu continuo desisteret, quàm gaudiorum & gloriæ quibus beatorum animæ sine fine potiuntur,*

Tãta est beatitudinis excellentia & magnitudo, vt explicari non valeat.

Epist. ad Cyrillum quæ est 19. inter Epistolas Hieronymi.

minorem intelligeres particulam nisi, vti ego, experientia docerêre. Vnde Psalmista quasi balbutiendo explicare volens quàm inenarrabilis esset & ineffabilis gloria beatorum, non inueniens aliam similitudinem altiorem, eam comparauit deliciis lætantium omnium, cùm dixit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Vbi (vt notauit S. Aug.) non ait: *Sicut comedentium, sicut bibentium, sicut abundantium diuitiis, sicut nubentium, sicut saltantium, &c. sed sicut lætantium omnium.* Nec sic potuit eius magnitudinem explicare: *Ideo* (inquit ille) *collatis omnibus gaudiis atque conflatis, quomodo clausit? tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te, quia talis ibi erit iucunditas, qualem hic non nouimus. Video hic multas iucunditates & multi gaudent in sæculo, alij hinc, alij indè, & non est quod illi gaudio comparetur, sed tanquam iucunditas erit, &c. est enim iucunditas quædam quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te.* Hæc August. *Psal. 86.* *In eundem psal.*

Ad enarrandam igitur tantæ gloriæ celsitudinem oporteret eam priùs vidisse, sicut S. Hieronymus, immò quamuis eam vidissemus, nobis contingere posset sicut S. Paulo qui eam in suo raptu vsque ad paradisum viderat, Et tamen fatetur in 2. Epistola ad Corinthios se eam exprimere non posse: *Scio* (inquit) *huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus fuit in paradiso, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Quòd si tantus Apostolus qui gloriosa Dei viderat & æternæ gloriæ magnitudinem cognouerat, in eo tamen quod ad fœlicissimum huius fœlicitatis statum attinet, silere est coactus, & eius celsitudinem exprimere non posse fatetur, profectò multò minùs nos qui ignorantia laboramus qualis & quanta sit ipsa fœlicitas exponere valemus. Quocirca illud nobis in eius æstimatione eueniet, quod his accidere solet qui picturam alicuius singularis artificis manu incœptam plenè absolutam putant, & admirantur, ea nihil perfectius esse existimãtes; Pictor tamen artis suæ gnarus, intelligit quantum perfectio illa quam ignari homines mirantur, ab ea distet quam post finem operis habitura sit pictura. Ad hunc enim modum persuasum nobis esse debet quidquid de illa fœlicitate & gloria cogitamus, aut dicimus, longè minùs quàm pro eius dignitate esse. Vnde rectè quidam cœlum à cœlãdo dictum esse docuerunt, quoniam quæ in ipso opes, atque deliciæ continentur, mortalium mentibus prorsùs incognitæ sunt. Reperietur aliquis agricola qui nunquam ex oppidulo suo exierat, & se semel ad Regis Curiam confert, vbi ex mirabilibus Curiæ obstupefactus in villam suam reuersus referre illa vellet quæ in Curia vidit, magnitudinem scilicet ædificiorum, sumptuositatem domus Regiæ, Regis maiesta- *2. Cor. 12.*

apparentibus & imperfectis, quæ ſolùm pro aliquo temporis momento animam explent, vt ſunt res creatæ, caducæ, & momentaneæ. Iſta verò ad quam finaliter tendimus, ſatiat & implet appetitum in perpetuum. Et hactenus de definitionibus beatitudinis. An autem ipſa beatitudo ſit ex ſe ipſa formaliter perpetua & neceſſaria diſputant Theologi, ſed quia hæc quæſtio & eius reſolutio non videtur ad noſtrum præſens inſtitutum pertinere, ideo illam miſſam facimus. Videantur noſter Rada 4. parte Controuerſiarum controu. 12. art. 6. & alij Scholáſtici.

SECTIO VI.

Tanta eſt fœlicitatis æternæ magnitudo & excellentia, vt percipi à viatoribus non valeat.

POSTQVAM aliquo modo iuxta Scholaſticorum placita de æterna fœlicitate loquuti ſumus, nunc paulò clariori ſtylo eſt de ea diſſerendum; & primò præſenti Sectione de eius excellentia & magnitudine. Ipſa ergo quocumque modo ſpectetur ſiue obiectiuè, ſiue formaliter, vel provt vtramque fœlicitatem, obiectiuam videlicet, & formalem ſimul complectitur, tanta eſt vt eius excellentiam dignè explicare haud valeamus. Sicut egregiè nobis conſtat ex eo quod refert S. Auguſtinus, ait enim quòd eodem die & hora qua mortuus eſt S. Hieronymus volens componere tractatum de gloria beatorum (vt ipſe ſanctus Auguſt. refert) deliberauit de hac re conſulere Hieronymum, neſciens ipſum è viuis migraſſe, cúmque iam ſcribens ſalutationis exordium Hieronymo prænotaſſet, idem Hieronymus lumine ineffabili circunfuſus mira odorum omnium fragrantia cellulam in qua ſtabat Auguſtinus eſt ingreſſus hora completorij, ac de eadem luce verba ſequentia audiuit: *Auguſtine Auguſtine, quid quæris? putas-ne breui immittere vaſculo mare totum? breui includere pugillo terrarum orbem? cœlum firmare ne vſitatos exerceat motus? quæ oculus nullus hominum videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per ſonum hauſit, audiet tua? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, exiſtimas te poſſe intelligere? infinitæ rei quis erit finis? immenſa qua menſura metieris? potiùs totum mare in arctiſſimo clauderetur vaſculo; potiùs terrarum orbem paruulus teneret pugillus: potiùs cœlum à motu continuo deſiſteret, quàm gaudiorum & gloriæ quibus beatorum animæ ſine fine potiuntur,*

Tãta eſt beatitudinis excellentia & magnitudo, vt explicari non valeat.

Epiſt. ad Cyrillum quæ eſt 19. inter Epiſtolas Hieronymi.

minorem intelligeres particulam nisi, vti ego, experientia docerêre. Vnde Psalmista quasi balbutiendo explicare volens quàm inenarrabilis esset & ineffabilis gloria beatorum, non inueniens aliam similitudinem altiorem, eam comparauit deliciis lætantium omnium, cùm dixit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Vbi (vt notauit S. Aug.) non ait: *Sicut comedentium, sicut bibentium, sicut abundantium diuitiis, sicut nubentium, sicut saltantium, &c. sed sicut lætantium omnium.* Nec sic potuit eius magnitudinem explicare: *Ideo* (inquit ille) *collatis omnibus gaudiis atque conflatis, quomodo clausit? tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te, quia talis ibi erit iucunditas, qualem hic non nouimus. Video hic multas iucunditates & multi gaudent in sæculo, alij hinc, alij indè, & non est quod illi gaudio comparetur, sed tanquam iucunditas erit, &c. est enim iucunditas quædam quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te.* Hæc August. *Psal. 86.* *In eundem psal.*

Ad enarrandam igitur tantæ gloriæ celsitudinem oporteret eam priùs vidisse, sicut S. Hieronymus, immò quamuis eam vidissemus, nobis contingere posset sicut S. Paulo qui eam in suo raptu vsque ad paradisum viderat, Et tamen fatetur in 2. Epistola ad Corinthios se eam exprimere non posse: *Scio* (inquit) *huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus fuit in paradiso, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Quòd si tantus Apostolus qui gloriosa Dei viderat & æternæ gloriæ magnitudinem cognouerat, in eo tamen quod ad fœlicissimum huius fœlicitatis statum attinet, silere est coactus, & eius celsitudinem exprimere non posse fatetur, profectò multò minùs nos qui ignorantia laboramus qualis & quanta sit ipsa fœlicitas exponere valemus. Quocirca illud nobis in eius æstimatione eueniet, quod his accidere solet qui picturam alicuius singularis artificis manu incœptam plenè absolutam putant, & admirantur, ea nihil perfectius esse existimãtes; Pictor tamen artis suæ gnarus, intelligit quantum perfectio illa quam ignari homines mirantur, ab ea distet quam post finem operis habitura sit pictura. Ad hunc enim modum persuasum nobis esse debet quidquid de illa fœlicitate & gloria cogitamus, aut dicimus, longè minùs quàm pro eius dignitate esse. Vnde rectè quidam cœlum à cœlãdo dictum esse docuerunt, quoniam quæ in ipso opes, atque deliciæ continentur, mortalium mentibus prorsùs incognitæ sunt. Reperietur aliquis agricola qui nunquam ex oppidulo suo exierat, & se semel ad Regis Curiam confert, vbi ex mirabilibus Curiæ obstupefactus in villam suam reuersus referre illa vellet quæ in Curia vidit, magnitudinem scilicet ædificiorum, sumptuositatem domus Regiæ, Regis maiesta- *2. Cor. 12.*

tem, Magnatum ornatum, diuitias ciuium, officiorum copiam, ciborum abundātiam, virorum armatorum & aliorum multitudinem, sermonis elegantiam, & reliqua omnia quæ amplitudinem gloriæ Regiæ comitantur; at referre prorsùs nescit nec potest quæ vidit & audiuit nisi balbutiens. Quòd si quædam in medium ex istis producat, hæc narrat per quasdam similitudines, vidi quasi sicut istud aut aliud, &c. Sic de nobis est iudicandum, dum enim de cœlesti beatitudine quam fide tenemus & cognoscimus, aliquid narrare volumus, illi agricolæ similes existimus, nec quiddam de tantæ gloriæ magnitudine enarrare valemus, nisi quibusdam similitudinibus à rebus sensibilibus desumptis; vt verbi gratia dum Sancti Patres de tanta cœlesti gloria sermonem instituere volunt, vti solent illa similitudine quæ in
2. Paral. 9. libro Paralipomenon habetur, de præclaro ordine qui in domo Salomonis seruabatur, quique in admirationem Reginam Saba rapiebat. Ipsa enim videns & audiens sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, nec-non & cibaria mensæ eius, & officia ministrorum eius, & vestimenta eorum, aiebat: *Beati viri tui & beati serui tui hi qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.* Si hi beati à sapientissima Regina reputantur, quam beati erunt qui stant coram Deo, & vident vultum eius, in quo omnia vi-
In Epistolis. dent, omnia audiunt, omnia sciunt. Et ita B. Fulgentius; *Sicut* (inquit) *per speculum vitreū trina nobis visio administratur, qua nosipsos & ipsum speculum & quidquid præsens adest, videmus; sic per speculum diuinæ claritatis & ipsum Deum vt est, videbimus quantum possibile erit creaturæ, & nosipsos & omnia alia verâ & certâ scientiâ cognoscemus.* Hæc ille.

Item ipsius beatitudinis magnitudinem aliquo modo intelligere possumus comparatione facta ad honores, opes, gloriam, victoriam, & triumphos Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, &c. etiam pro maiori parte infidelium, quales fuere Nabuchodonosor, Alexāder Macedo, Salomon qui admirabili sapientia præditus fuit, &c. Nam si tot tantaque magnifica, splendida, & gloriosa eis elargitus est Deus, quàm longè magnificentiora, gloriosiora, & splendidiora imaginari possumus Deum sanctis suis in cœlo concedere? Profectò illa omnia terrena & alia etiam excellentiora quæ mente & cogitatione complecti possemus, quid sunt si cum gloria & fœlicitate illa quam beatis suis in patria cœlesti largitur, conferantur? Sed quod ampliùs est, innumera bona, gloriam, honores, &c. concessit etiam infidelibus, idolorum cultoribus, & hostibus suis Christianique nominis acerrimis oppugnatoribus. Vt verbi gratiâ Nero præter nefarium parricidium & alia innumera flagitia commissa, primus Im-

peratorum Christianos vehementissimè est persequutus vsque ad internecionem gloriosissimorum Apostolorum Petri & Pauli. Decius, Diocletianus, Maximianus, Maxentius, cæterique veræ Religionis hostes, quid non in Deum Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Iulianus Apostata ex tonsurato Clerico Religionis Christianæ desertor, magicisque artibus deditus, Valens hæreticus, &c. Hi inquam, omnes cum tot sceleribus inquinati ex professo Deum ipsum Deique legem pugnarent, à Deo tamen donati sunt immensis opibus, honore, gloriâ, splendore, delicijs, vt nihil deesset quominus vitam agerent suauitatis, dignitatis, voluptatis plenissimam: Imperauerunt orbi, subiectos sibi habuerunt populos ac Reges; ad eorum nutum omnia gerebantur: & quid optare posses in hac vita quod illis non fuerit concessum? Sed nunc ad alia mentem attollamus, si enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis, sceleratis hominibus, atque Tyrannis, quid præparârit non dico seruis, non amicis, non charis, sed filijs dilectissimis Regni sui hæredibus! si optabilis est Imperatorum Regumque terrenorum conditio, quantò magis optandum cœleste regnum cui præficientur filij accepturi hæreditatem.

Hæc aliquantulum conferunt ad huius fœlicitatis æternæ magnitudinem quanquam obscurè admodum, cognoscendam, sed meo iudicio quod magis ad eius intelligentiam confert, est quòd dicatur vita, secundùm aliquam analogiam, & similitudinem cum vita rerum viuentium, quâ nil præstantiùs reperiri videtur. Hinc Aristoteles dum de fœlicitate naturali loquitur illam vocat vitam. Sed si nomine vitæ illa naturalis fœlicitas donatur, quid dicendum de supernaturali in Patria cœlesti? ipsa enim longè nobiliori titulo debet vita nuncupari. Vnde Psaltes Regius: *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam*, id est conforta me, seu sustenta me secundùm promissionem tuam, & viuam. Hoc verbum, viuam, refert S. August. (in hunc Psalmum) ad gloriam, tanquam hic in mortali corpore non viuatur. Hanc sententiam confirmant Christi verba[a]: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et deinde[b]: *Ibunt iusti in vitam æternam.* Et apud Sanctum Lucam[c]: *Hoc fac, & viues.* Ita apud Sanctum Ioannem[d]: *Qui bona egerunt ibunt in resurrectionem vitæ.* Et rursum[e]: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Vbi Dominus per excellentiam & absolutè, beatitudinem vocat vitam. Illa enim vera vita est in qua nec mors nec ea quæ ad mortem disponunt, locum habent. Estque vltima symboli clausula: *Credo vitam æternam*, vel *vitam venturi sæculi*: Et Sanctissimi Patres ita loquuntur innumeris locis. Vita ergo illa vita

1. Ethic. cap. 8. & lib. 1. mag. Moral. cap. 4.

Psal. 118.

a *Matth. 19.*
b *Matth. 25.*
c *Luc. 10.*
d *Ioan. 5.*
e *Oues meæ v.*

viuens est, in qua nulla mortis imago; at præsens vita tam miserabilis est, vt nomen vitæ non mereatur & potiùs mors dicenda sit quàm vita. Dominus enim post peccatum maledicens homini dixit: *Morte morieris*, hoc est ipsa vita quâ viuis, erit mors qua morieris, quoniam per ipsam ad mortem properas. Vel (vt Symmachus transfert) *mortalis eris*, hoc est viues in vita morti subiecta. E contrà de vita illa æterna dicitur ei cui promittitur: *Vita viues*, id est vita illa qua frueris in patria, tota erit vita, nihil habebit admixtum mortis. Erit ergo vita sine morte; in ea erit sanitas perpetua sine infirmitate, agilitas sine grauitate, libertas sine seruitute, vbertas sine defectu, pulchritudo sine deformitate, pax perpetua sine turbatione, cognitio sine falsitate, sanitas sine peccabilitate, iuuentus sine senectute, potestas sine contrarietate, iucunditas sine tristitia, gloria æterna sine vilitate, & tandem securitas sine timore, vel inimicorum, vel aliquando talem amittend gloriam. Nam inter præclaras excellentias illius cœlestis beatitudinis est securitas: Quòd nullo vnquam tempore finietur, æterna enim est & incommutabilis. De hac æterna vita qua viuunt in Cœlo Empyreo beati, loquitur iterùm Psaltes Regius: *Credo*, inquit, *videre bona Domini in terra viuentium*, hoc est eorum qui verè viuunt, cùm ipsi substantiali vitæ Dei hæreant & vniantur, ipsum luminis gloriæ beneficio intuentes, ardentissimo amore diligentes, eoque cum maxima delectatione fruentes: & bene dicitur terra viuentium, ad distinctionem terræ morientium in qua versamur. Sed si in hac terra morientium tot res sunt, tam excellentes, tam pulchræ, quæ (dicas mihi) inuenientur in terra illa viuentium? extende parum per oculos per mundum hunc visibilem (inquit Philippus Diez,) & vide quot quantaque sint in illo spectatu dignissima, quanta sit cœlorum magnitudo, quantus sit Solis & Lunæ atque Stellarum splendor, quanta sit pulchritudo terræ, arborum, auium, cæterorumque animalium. Quid, rogo, videre est planitiem camporum, altitudinem montium, viriditatem vallium, varietatem fontium, atque illac per diuersas terræ venas fluentium? quid latitudinem marium quæ tanta rerum varietate sunt circunsepta atque circundata? quid aliud sunt innumera quæ vndique inueniuntur, stagna aquis cristallinis clarisque referta, nisi veluti oculi quidam terræ aut specula quędam cœli? Quid prata virentia varijs rosis floribusque diuersis contecta, nisi veluti Cælum stellatum in nocte serenâ? Quid referam de tanta auri & argenti ac lapidum pretiosorum venarum multitudine? quid de Sapphirorum, Adamantum, aliarumque gemmarum pulchritudine quæ certare videntur cum stellarum specie & claritate? deficeret dies si omnia sigillatim prosequi

Psalm. 35.

In summa prædicantium verbo, Beatitudo.

prosequi vellem. Si ergo in hoc infimo elemento, & quod terra est (vt iam diximus) morientium, tot tantaque sunt quæ maximè delectent, oculosque detineant; quid obsecro, erit in illo omnium supremo loco, qui quantò omnibus elementis atq; cœlis altior ac superior est, tantò est nobilior, ditior, & pulchrior? vix profectò hoc humana ratione coniectari potest. Hactenus Philippus Diez.

SECTIO VII.

Æternæ fœlicitatis magnitudo & excellentia in eo maximè consistit quòd omnimodè appetitum Beati satiet.

QVONIAM æterna fœlicitas nihil aliud præter Deum pro primario vltimatoque habet obiecto, ideò vltrà eius magnitudinem, & excellentiam: *De qua præcedenti sectione loquuti sumus*, certum est eandem excellentiam consistere quoque, maximè in eo quòd cuiuslibet Beati appetitus in visione & fruitione infiniti illius obiecti & in nullo alio obiecto creato expleatur & satietur. Id probat S. Thomas: *Beatitudo (inquit) est summum bonum vndequaque perfectum, quod appetitum hominis explere debet, adeò vt nihil planè supersit quod appetitus hominis possit desiderare.* Et confirmatur auctoritate S. Bernardi, vbi hæc verba habet: *Anima rationalis ad imaginem Dei creata, cæteris rebus occupari potest, satiari non potest, & capacem Deo animam quicquid minus eo fuerit, non implebit.* Accedit ratio, nam omnis appetitus qui sibi adiunctam habet cognitionem aliquam, siue intellectiuam siue sensitiuam, proportionatus est ei cognitioni, siue quod idem est, sequitur cognitionem quam secum adiunctam habet, adeò vt possit appetitus ille ferri in illud omne quod à facultate cognitiua apprehendi potest, & cognosci vt bonum: Atqui voluntas est appetitus quidam rationalis in ipso homine, & habet secum adiunctam cognitionem intellectiuam: Ergo voluntas siue appetitus rationalis debet esse ita proportionatus cognitioni intellectiuæ, vt illud omne quod potest cognoscere vt bonum, in illud etiam ferri possit ipse rationalis appetitus: at verò vis intellectiua hominis non tantùm cognoscit particulare quoddam bonum, siue creatum & finitum, sed etiam assurgit ad notitiam supremi boni nempe Dei infiniti & increati, cognoscitq; intellectus illud summum bonum continere in se rationem omnis bonitatis; ergo pari iure vis appetendi in homine nimirùm voluntas, non tantùm appetit bonum finitum &

Magnitudo beatitudinis in eo sita est, quod expleat appetitum.

1.2.q.2. ar.8.

In serm. de Dedicatione.

creatum, sed etiam appetere potest summum illud omnium bonorum, quod est infinitum, eóque perfrui desiderat. Quòd si humana voluntas etiam in præsenti vita possessionem Dei appetit, nunquam profectò ipsa omni ex parte satiari,& expleri poterit nisi invisione,& fruitione eiusdem boni increati & infiniti.

Suffragatur Ioannes Carrettus Marchio Finarij, Vicarius perpetuus sancti Romani Imperij, dùm in Symbolo quodam à Boold relato equum herbas pascentem repræsentauit cum hac inscriptione, *Ad meliora.* Nam sicut equus, omnéque ferè animantis genus, dùm herbis pascitur ac pabulatur, vlterius semper progreditur, ac meliores herbas quærit; ita generosus animus præsenti fortuna, aut bonis quæ ad manum sunt, contentus esse non debet; sed perpetuò ad meliora tendere, donec tandem ad id perueniat quo meliùs haberi nihil possit, Deum Opt. Max. videlicet. Ad ipsum enim debet quisque sapiens cuncta sua dirigere, quo obtento satiatur, neque alio ampliùs indiget pabulo. Huc ergo Principem illum respexisse non est dubium, nam in mundanis rebus satietas nulla neque finis desiderij est, gloria enim, honor, diuitiæ & similia appetũtur quidem, at non propter se, sed propter alium finem, vnde non quiescit in illis humanus animus, sed solùm in Deo ipso, qui est ille vltimus finis cuius gratiâ omnes conditi sumus. Quod etiam egregiè probat S. Augustinus in verba Psalmistæ: *Beata gens cuius est Dominus Deus eius, &c.* dum docet in nulla re creata posse hominem esse beatum; non in pecunia, non in auro, vel argento, non in prædiis, vel pompa seculi, quia omnia hæc inferiora sunt homine: *Quære igitur* (inquit ille) *melius &c. vt inde efficiaris Beatus, iam suprà non est nisi creator, erige te ad illum, &c.* Quasi diceret, sicut lapis extrà centrum quiescere, nequit, ita animus humanus extra Deum quiescere non potest. Hinc ait quidam insignis auctor: *Imperturbabilis erit quies cùm ad centrum omnis boni dabitur introitus, & exuti mortalitatis exuuiis arctè cum principio nostro constringemur, cùm denique* (vt charus Deo Ioannes ait) *similes ei erimus.* Et hoc est quod S. Maximus in mystica Theologia vestigiis S. Dionysij viri planè diuini inhærens subtiliter exponit, Ait enim, *animam in hac vita licet virtutis & sanctimoniæ vi in Deum feratur, aliis rebus omnibus derelictis, ille tamen motus animæ atque exercitatio fit vt plurimùm diuiduis viis atque rationibus quibus humana vita obnoxia est: verùm cum mens fuerit cum verbo & Deo perfectè vnita, consequetur illa plena, cumulata, & beatissima coniunctio vnde creatura Dei naturam induat & similitudinem exprimat.* (Et post pauca) *fit autem illa miranda copulatio non Vulcaniis vinclis, sed funiculo triplici adamantino, & diuino, qui difficulter rumpitur, cogni-*

Boold Symbolorum variorum. pagina 92.

Tom. 8. in Psal. 32.

Digitized by Google

tione, dilectione, & pace. Hæc ille. Id ex Apostolo confirmatur: *Qui adhæret Domino, fit vnus spiritus cum eo.* Ex Græco habetur: *Qui conglutinatur,* hoc est fortissimè, & vehementissimè coniungitur, sic vt diuelli & separari nequeat, cum eo fit, & redditur vnus spiritus. Quod in præsenti vita imperfectè fit, in domicilio autem beatorum fiet cumulatissimè, cùm Deus erit omnis in omnibus, & ita explebit omnem appetitionem vt nihil sit amplius quod desiderent. O beatissima quies, atque fœlicitas omnem explens appetitum. Psaltes Regius illam vocat: *Pacem in idipsum,* hoc est immutabilem, *vt volunt Cassiodorus & aly*, pacem & quietem eodem modo semper se habentem, nunquam interruptam, duraturam in omnem æternitatem. Et proinde pax & quies illa plenissima frustra in mundo, & in huius vitæ curriculo est expectanda, sed in cœlo Empyreo, seu Paradiso nullis mutationibus obnoxio eam Beati consequentur. Id acutè & eleganter docet S. Ambr. *Sex diebus mundus est factus, septimo requietum est die, & Dominus sanctificauit eum. Vltra mundum ergo quies, vltra mundum etiam fructus quietis.* Suffragatur etiam S. August. vbi exponens locum Genesis 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*, ait: *cùm in die septimo requieuit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificauit eum, nequaquam est accipiendum pueriliter, tanquam Deus laborauerit operando, qui dixit, & facta sunt, verbo intelligibili & sempiterno, non sonabili & temporali; sed requies Dei, requiem significat eorum qui requiescunt in Deo quos ipse facit requiescere æterna requie.* De qua quidem requie cantat Ecclesia in Missa defunctorum: *Requiem æternam, &c.*

1. Cor. 6.

Lib. 6. in Lucã.

Lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 8.

Non est etiam sine mysterio, quod in prima orbis molitione sex priores dies vespere & mane clauderent, at verò septimus sine vlla vespera illucesceret, nam dies septimus in quo requieuit ab omni opere quod patrarat, æternæ beatitudinis statum exprimebat, vt iam notatum est. Hinc S. August. [a] *Requies* (inquit) *creaturæ habet initium, sed non finem, ideo septimus dies cœpit à mane, sed nulla vespera terminatur.* Et alibi [b]: *Dies* (inquit) *superiores habent vesperam vbi Deus sanctificauit requiem.* Adde in ea patria esse mane sine vespere, lucem sine nocte, quia omnia in ea continentur, & nulla prorsùs mala includuntur.

Gen. 1.

Gen. 2.

a Lib. 4. de gratia ad litt. cap. 18.

b Lib. de decem Chord. cap. 5 in tom. 9.

ad ea verba: *Credo vitam æternam,* vbi habet solidam beatitudinem id est cumulatam beatitudinis perfectionem consistere vt Deum videamus, & eius pulchritudine fruamur, qui totius bonitatis fons est & origo. Et profectò maximè in tali bonitatis fonte delectantur beati; iuxta id quod habet Psaltes Regius: *Adimplebis me lætitia*

Psal.15. *cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Et idem:

Psal.26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt videam voluptatem Domini*

Matth.25. *in monte sancto eius.* Et Christus apud S.Matthæum: *Intra in gau-*

Ioan.16. *dium Domini tui.* Et apud S.Ioannem: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quoad posteriorem huius sectionis partem spectat, ex bene intellecta postrema S.Bonauenturæ, & aliorum sententia potest assignari

Quid sit formalis beatitudo. beatitudinis definitio, & quoniam duplex cuiuscumque rei datur definitio, videlicet quid nominis, & quid rei. Primò definitionem quid nominis assignabimus. Beatitudo igitur dicitur à bono, & tuto, à bono, hoc est à Deo qui est bonus per essentiam, & bonum ipsum essentiale, & tutus hoc est, vndequaque firmus, stabilis, permanens, & inuariabilis: Et potest dici etiam beatitudo in anima beata quasi firmitas secura, existens obiectiuè in ipso Deo, in seipsa etiam quoad firmitatem quam habet ratione eiusdem, in id siquidem ita

S. Aug. 10. de Trinit. cap. 1. fixa & firma permanet, vt ab eodem nunquam diuelli possit. Dicitur etiam fœlicitas à fulciendo quoniam qui eam habet, eiusdem obiecto ita fulcitur, vt ab eo nunquam dimoueri possit, quoniam sicut ab eo esse habet, ita & bene esse totaliter habere dicitur, nam veram hanc beatitudinem habens habet quicquid vult (vt iam ex S. August. aliàs diximus) & nihil mali vult, vel nihil vltra vult, eo quia fulcitur indesinenter indeficienterque in hoc summo bono quo fruitur, & in quo satiatur.

Secundò, quid rei videnda definitio beatitudinis, quæ triplex assignari potest, vna breuissima, quòd videlicet sit Dei visio, & eius

Boët. 3. de consol. prosa. 2. fruitio: altera est Boëtij, & eiusdem interpretis: *Beatitudo* (inquit) *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Quaquidem definitione constat beatitudinem in Dei visione, amore, fruitione, & delectatione consistere, vt sit status perfectus & securus. Hæc autem Boëtij definitio de verbo ad verbum sic intelligi potest. Dicit enim esse statum, vt nobis innuat eius stabilitatem, permanentiam, & firmitatem, nam si his careret conditionibus, non esset vera beatitudo, sed apparens. Dicit prætereà esse bonorum omnium cumulum, & aggregationem, nam si multa, vel vnum deficeret, iam non esset perfecta & completa beatitudo, & beatus non haberet quidquid vellet, vt idem S. August. dicit; at habens ipsum Deum habet quicquid

vult, quoniam in eo sunt omnia bona. Et hæc definitio Boëtij communiter ab omnibus vsurpatur.

Postrema beatitudinis definitio reliquis copiosior est, & magis videtur eius naturam & conditiones explanare, & præcisè beatitudini Christianæ competere. Beatitudo est summa & perfecta animæ satietas in visione, amore, tentione, & fruitione diuinæ essentiæ obiectiuè, formaliter autem in suis potentiis, residens, vltra quam nihil aliud desiderari potest, cùm in ea sit vltimata & consummata quies, atque gaudium sempiternum. In hac definitione primò dicitur beatitudo summa satietas re verâ & perfectâ, quoniam obiectum beatificum ita animam beatam explet, vt summè dicatur in eo quiescere. Quod non accidit in alio obiecto creato, nam talis obiecti satietas non est summa, completa, perfecta, & consummata. Hinc saluator noster de tali obiecto creato ait apud B. Ioannem sub metaphora aquæ: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* De obiecto autem increato sequitur: *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De eodem obiecto increato omnino satiante & explente habet Psaltes Regius: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vel clariùs: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Satiabor, supple in visione, hoc est in intellectus perceptione, in tentione, Hoc est memoriæ conseruantis, in fruitione ipsius voluntatis cum perfecta delectatione fruentis. Dicitur præterea talis satietas esse in diuina essentia hoc est summa Deitate obiectiuè, quia ipsa est obiectum beatificum, formaliter autem in suis potentiis consistens, quia hæc summa satietas formaliter in tribus animæ potentiis consistit. Tum dicitur in eadem definitione nihil vltra beatitudinem desiderari posse, quoniam hoc obiecto ab anima comparato, in quo omnia inueniuntur bona, nihil extra ipsum desiderare valet. Item dicitur in ea esse æternam quietem, nam cor humanum continuò remanet inquietum donec inueniat illud in quo perfectè requiescat, iuxta id quod egregiè dicit S. Augustinus: *Domine inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et tandem dicitur gaudium sempiternum, quoniam non est fruitio vera sine gaudio, lætitia, & delectatione, qua summoperè in obiecto beatifico anima deletetur. Deinde gaudium illud dicitur sempiternum quia obiectum beatificans sempiternum est, & nunquam deficiet.

Ioan. 4. *Psal. 1: 2.* *Psal. 16.* *Lib. 1. Confess. cap. 1.*

Si quis autem ostendere vellet hanc definitionem postremam cuncta ad veram definitionem requisita habere, posset dicere quod satietas stat loco generis, & perfecta loco differentiæ, vt ostendatur fœlicitas de qua hic sermo habetur, differre à cunctis fœlicitatibus

apparentibus & imperfectis, quæ solùm pro aliquo temporis momento animam explent, vt sunt res creatæ, caducæ, & momentaneæ. Ista verò ad quam finaliter tendimus, satiat & implet appetitum in perpetuum. Et hactenus de definitionibus beatitudinis. An autem ipsa beatitudo sit ex se ipsa formaliter perpetua & necessaria disputant Theologi, sed quia hæc quæstio & eius resolutio non videtur ad nostrum præsens institutum pertinere, ideo illam missam facimus. Videantur noster Rada 4. parte Controuersiarum controu. 12. art. 6. & alij Scholástici.

SECTIO VI.

Tanta est fœlicitatis æternæ magnitudo & excellentia, vt percipi à viatoribus non valeat.

POSTQVAM aliquo modo iuxta Scholasticorum placita de æterna fœlicitate loquuti sumus, nunc paulò clariori stylo est de ea differendum; & primò præsenti Sectione de eius excellentia & magnitudine. Ipsa ergo quocumque modo spectetur siue obiectiuè, siue formaliter, vel prout vtramque fœlicitatem, obiectiuam videlicet, & formalem simul complectitur, tanta est vt eius excellentiam dignè explicare haud valeamus. Sicut egregiè nobis constat ex eo quod refert S. Augustinus, ait enim quòd eodem die & hora qua mortuus est S. Hieronymus volens componere tractatum de gloria beatorum (vt ipse sanctus Augúst. refert) deliberauit de hac re consulere Hieronymum, nesciens ipsum è viuis migrasse, cúmque iam scribens salutationis exordium Hieronymo prænotasset, idem Hieronymus lumine ineffabili circunfusus mira odorum omnium fragrantia cellulam in qua stabat Augustinus est ingressus hora completorij, ac de eadem luce verba sequentia audiuit: *Augustine Augustine, quid quæris? putas-ne breui immittere vasculo mare totum? breui includere pugillo terrarum orbem? cœlum firmare ne vsitatos exerceat motus? quæ oculus nullus hominum videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua? quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, existimas te posse intelligere? infinitæ rei quis erit finis? immensa qua mensura metieris? potiùs totum mare in arctissimo clauderetur vasculo; potiùs terrarum orbem paruulus teneret pugillus: potiùs cœlum à motu continuo desisteret, quàm gaudiorum & gloriæ quibus beatorum animæ sine fine potiuntur,*

Tãta est beatitudinis excellentia & magnitudo, vt explicari non valeat.

Epist. ad Cyrillum quæ est 19. inter Epistolas Hieronymi.

minorem intelligeres particulam nisi, vti ego, experientia docerère. Vnde Psalmista quasi balbutiendo explicare volens quàm inenarrabilis esset & ineffabilis gloria beatorum, non inueniens aliam similitudinem altiorem, eam comparauit deliciis lætantium omnium, cùm dixit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Vbi (vt notauit S. Aug.) non ait: *Sicut comedentium, sicut bibentium, sicut abundantium diuitiis, sicut nubentium, sicut saltantium, &c. sed sicut lætantium omnium.* Nec sic potuit eius magnitudinem explicare: *Ideo* (inquit ille) *collatis omnibus gaudiis atque conflatis, quomodo clausit? tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te, quia talis ibi erit iucunditas, qualem hic non nouimus. Video hic multas iucunditates & multi gaudent in sæculo, alij hinc, alij indè, & non est quod illi gaudio comparetur, sed tanquam iucunditas erit, &c. est enim iucunditas quædam quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, tanquam iucundatorum omnium habitatio est in te.* Hæc August. Psal. 86. In eundem psal.

Ad enarrandam igitur tantæ gloriæ celsitudinem oporteret eam priùs vidisse, sicut S. Hieronymus, immò quamuis eam vidissemus, nobis contingere posset sicut S. Paulo qui eam in suo raptu vsque ad paradisum viderat, Et tamen fatetur in 2. Epistola ad Corinthios se eam exprimere non posse: *Scio* (inquit) *huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus fuit in paradiso, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Quòd si tantus Apostolus qui gloriosa Dei viderat & æternæ gloriæ magnitudinem cognouerat, in eo tamen quod ad fœlicissimum huius fœlicitatis statum attinet, silere est coactus, & eius celsitudinem exprimere non posse fatetur, profectò multò minùs nos qui ignorantia laboramus qualis & quanta sit ipsa fœlicitas exponere valemus. Quocirca illud nobis in eius æstimatione eueniet, quod his accidere solet qui picturam alicuius singularis artificis manu incœptam plenè absolutam putant, & admirantur, ea nihil perfectius esse existimãtes; Pictor tamen artis suæ gnarus, intelligit quantum perfectio illa quam ignari homines mirantur, ab ea distet quam post finem operis habitura sit pictura. Ad hunc enim modum persuasum nobis esse debet quidquid de illa fœlicitate & gloria cogitamus, aut dicimus, longè minùs quàm pro eius dignitate esse. Vnde rectè quidam cœlum à cœlãdo dictum esse docuerunt, quoniam quæ in ipso opes, atque deliciæ continentur, mortalium mentibus prorsùs incognitæ sunt. Reperietur aliquis agricola qui nunquam ex oppidulo suo exierat, & se semel ad Regis Curiam confert, vbi ex mirabilibus Curiæ obstupefactus in villam suam reuersus referre illa vellet quæ in Curia vidit, magnitudinem scilicet ædificiorum, sumptuositatem domus Regiæ, Regis maiesta- 2. Cor. 12.

tem, Magnatum ornatum, diuitias ciuium, officiorum copiam, ciborum abundãtiam, virorum armatorum & aliorum multitudinem, sermonis elegantiam, & reliqua omnia quæ amplitudinem gloriæ Regiæ comitantur; at referre prorsùs nescit nec potest quæ vidit & audiuit nisi balbutiens. Quòd si quædam in medium ex istis producat, hæc narrat per quasdam similitudines, vidi quasi sicut istud aut aliud, &c. Sic de nobis est iudicandum, dum enim de cœlesti beatitudine quam fide tenemus & cognoscimus, aliquid narrare volumus, illi agricolæ similes existimus, nec quiddam de tantæ gloriæ magnitudine enarrare valemus, nisi quibusdam similitudinibus à rebus sensibilibus desumptis; vt verbi gratia dum Sancti Patres de tanta cœlesti gloria sermonem instituere volunt, vti solent illa similitudine quæ in
2. Paral. 9. libro Paralipomenon habetur, de præclaro ordine qui in domo Salomonis seruabatur, quique in admirationem Reginam Saba rapiebat. Ipsa enim videns & audiens sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, nec-non & cibaria mensæ eius, & officia ministrorum eius, & vestimenta eorum, aiebat: *Beati viri tui & beati serui tui hi qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.* Si hi beati à sapientissima Regina reputantur, quàm beati erunt qui stant coram Deo, & vident vultum eius, in quo omnia vident, omnia audiunt, omnia sciunt. Et ita B. Fulgentius; *Sicut* (in-
In Epistolis. quit) *per speculum vitreũ trina nobis visio administratur, qua nosipsos & ipsum speculum & quidquid præsens adest, videmus; sic per speculum diuinæ claritatis & ipsum Deum vt est, videbimus quantum possibile erit creaturæ, & nosipsos & omnia alia verâ & certâ scientiâ cognoscemus.* Hæc ille.

Item ipsius beatitudinis magnitudinem aliquo modo intelligere possumus comparatione facta ad honores, opes, gloriam, victoriam, & triumphos Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, &c. etiam pro maiori parte infidelium, quales fuere Nabuchodonosor, Alexãder Macedo, Salomon qui admirabili sapientia præditus fuit, &c. Nam si tot tantaque magnifica, splendida, & gloriosa eis elargitus est Deus, quàm longè magnificentiora, gloriosiora, & splendidiora imaginari possumus Deum sanctis suis in cœlo concedere? Profectò illa omnia terrena & alia etiam excellentiora quæ mente & cogitatione complecti possemus, quid sunt si cum gloria & fœlicitate illa quam beatis suis in patria cœlesti largitur, conferantur? Sed quod ampliùs est, innumera bona, gloriam, honores, &c. concessit etiam infidelibus, idolorum cultoribus, & hostibus suis Christianique nominis acerrimis oppugnatoribus. Vt verbi gratiâ Nero præter nefarium parricidium & alia innumera flagitia commissa, primus Im-

peratorum Christianos vehementissimè est persequutus vsque ad internecionem gloriosissimorum Apostolorum Petri & Pauli. Decius, Diocletianus, Maximianus, Maxentius, cæterique veræ Religionis hostes, quid non in Deum Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Iulianus Apostata ex tonsurato Clerico Religionis Christianæ desertor, magicisque artibus deditus, Valens hæreticus, &c. Hi inquam, omnes cum tot sceleribus inquinati ex professo Deum ipsum Deique legem pugnarent, à Deo tamen donati sunt immensis opibus, honore, gloriâ, splendore, delicijs, vt nihil deesset quominus vitam agerent suauitatis, dignitatis, voluptatis plenissimam: Imperauerunt orbi, subiectos sibi habuerunt populos ac Reges; ad eorum nutum omnia gerebantur: & quid optare posses in hac vita quod illis non fuerit concessum? Sed nunc ad alia mentem attollamus, si enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis, sceleratis hominibus, atque Tyrannis, quid præparauit non dico seruis, non amicis, non charis, sed filijs dilectissimis Regni sui hæredibus! si optabilis est Imperatorum Regumque terrenorum conditio, quantò magis optandum cœleste regnum cui præficientur filij accepturi hæreditatem.

Hæc aliquantulum conferunt ad huius fœlicitatis æternæ magnitudinem quanquam obscurè admodum, cognoscendam, sed meo iudicio quod magis ad eius intelligentiam confert, est quòd dicatur vita, secundùm aliquam analogiam, & similitudinem cum vita re- *1. Ethic. cap.*
rum viuentium, quâ nil præstantiùs reperiri videtur. Hinc Aristo- *8. & lib. 1.*
teles dum de fœlicitate naturali loquitur illam vocat vitam. Sed si *mag. Moral. cap. 4.*
nomine vitæ illa naturalis fœlicitas donatur, quid dicendum de supernaturali in Patria cœlesti? ipsa enim longè nobiliori titulo debet vita nuncupari. Vnde Psaltes Regius: *Suscipe me secundùm elo-* *Psal. 118.*
quium tuum, & viuam, id est conforta me, seu sustenta me secundùm promissionem tuam, & viuam. Hoc verbum, viuam, refert S. August. (in hunc Psalmum) ad gloriam, tanquam hic in mortali corpore non viuatur. Hanc sententiam confirmant Christi verba[a]: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et deinde[b]: *Ibunt iusti in* a *Matth. 19.*
vitam æternam. Et apud Sanctum Lucam[c]: *Hoc fac, & viues.* Ita b *Matth. 25.*
apud Sanctum Ioannem[d]: *Qui bona egerunt ibunt in resurrectio-* c *Luc. 10.*
nem vitæ. Et rursum[e]: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam* d *Ioan. 5.*
æternam do eis. Vbi Dominus per excellentiam & absolutè, bea- e *Oues meæ v.*
titudinem vocat vitam. Illa enim vera vita est in qua nec mors nec ea quæ ad mortem disponunt, locum habent. Estque vltima symboli clausula: *Credo vitam æternam*, vel *vitam venturi sæculi*: Et Sanctissimi Patres ita loquuntur innumeris locis. Vita ergo illa vita

viuens est, in qua nulla mortis imago; at præsens vita tam miserabilis est, vt nomen vitæ non mereatur & potiùs mors dicenda sit quàm vita. Dominus enim post peccatum maledicens homini dixit: *Morte morieris*, hoc est ipsa vita quâ viuis, erit mors qua morieris, quoniam per ipsam ad mortem properas. Vel (vt Symmachus transfert) *mortalis eris*, hoc est viues in vita morti subiecta. E contrà de vita illa æterna dicitur ei cui promittitur: *Vita viues*, id est vita illa qua frueris in patria, tota erit vita, nihil habebit admixtum mortis. Erit ergo vita sine morte; in ea erit sanitas perpetua sine infirmitate, agilitas sine grauitate, libertas sine seruitute, vbertas sine defectu, pulchritudo sine deformitate, pax perpetua sine turbatione, cognitio sine falsitate, sanitas sine peccabilitate, iuuentus sine senectute, potestas sine contrarietate, iucunditas sine tristitia, gloria æterna sine vilitate, & tandem securitas sine timore, vel inimicorum, vel aliquando talem amittend gloriam. Nam inter præclaras excellentias illius cœlestis beatitudinis est securitas: Quòd nullo vnquam tempore finietur, æterna enim est & incommutabilis. De hac æterna vita qua viuunt in Cœlo Empyreo beati, loquitur iterùm Psaltes Regius: *Credo*, inquit, *videre bona Domini in terra viuentium*, hoc est eorum qui verè viuunt, cùm ipsi substantiali vitæ Dei hæreant & vniantur, ipsum luminis gloriæ beneficio intuentes, ardentissimo amore diligentes, eoque cum maxima delectatione fruentes: & bene dicitur terra viuentium, ad distinctionem terræ morientium in qua versamur. Sed si in hac terra morientium tot res sunt, tam excellentes, tam pulchræ, quæ (dicas mihi) inuenientur in terra illa viuentium? extende parum per oculos per mundum hunc visibilem (inquit Philippus Diez,) & vide quot quantaque sint in illo spectatu dignissima, quanta sit cœlorum magnitudo, quantus sit Solis & Lunæ atque Stellarum splendor, quanta sit pulchritudo terræ, arborum, auium, cæterorumque animalium. Quid, rogo, videre est planitiem camporum, altitudinem montium, viriditatem vallium, varietatem fontium, atque illac per diuersas terræ venas fluentium? quid latitudinem marium quæ tanta rerum varietate sunt circunsepta atque circundata? quid aliud sunt innumera quæ vndique inueniuntur, stagna aquis cristallinis clarisque referta, nisi veluti oculi quidam terræ aut specula quędam cœli? Quid prata virentia varijs rosis floribusque diuersis contecta, nisi veluti Cælum stellatum in nocte serenâ? Quid referam de tanta auri & argenti ac lapidum pretiosorum venarum multitudine? quid de Sapphirorum, Adamantum, aliarumque gemmarum pulchritudine quæ certare videntur cum stellarum specie & claritate? deficeret dies si omnia sigillatim prosequi

Psalm. 35.

In summa prædicantium verbo, Beatitudo.

prosequi vellem. Si ergo in hoc infimo elemento, & quod terra est (vt iam diximus) morientium, tot tantaque sunt quæ maximè delectent, oculosque detineant; quid obsecro, erit in illo omnium supremo loco, qui quantò omnibus elementis atq; cœlis altior ac superior est, tantò est nobilior, ditior, & pulchrior? vix profectò hoc humana ratione coniectari potest. Hactenus Philippus Diez.

SECTIO VII.

Æternæ fœlicitatis magnitudo & excellentia in eo maximè consistit quòd omnimodè appetitum Beati satiet.

QVONIAM æterna fœlicitas nihil aliud præter Deum pro primario vltimatoque habet obiecto, ideò vltrà eius magnitudinem, & excellentiam: *De qua præcedenti sectione loquuti sumus*, certum est eandem excellentiam consistere quoque, maximè in eo quòd cuiuslibet Beati appetitus in visione & fruitione infiniti illius obiecti & in nullo alio obiecto creato expleatur & satietur. Id probat S. Thomas: *Beatitudo* (inquit) *est summum bonum vndequaque perfectum, quod appetitum hominis explere debet, adeò vt nihil planè supersit quod appetitus hominis possit desiderare.* Et confirmatur auctoritate S. Bernardi, vbi hæc verba habet: *Anima rationalis ad imaginem Dei creata, cæteris rebus occupari potest, satiari non potest, & capacem Deo animam quicquid minus eo fuerit, non implebit.* Accedit ratio, nam omnis appetitus qui sibi adiunctam habet cognitionem aliquam, siue intellectiuam siue sensitiuam, proportionatus est ei cognitioni, siue quod idem est, sequitur cognitionem quam secum adiunctam habet, adeò vt possit appetitus ille ferri in illud omne quod à facultate cognitiua apprehendi potest, & cognosci vt bonum: Atqui voluntas est appetitus quidam rationalis in ipso homine, & habet secum adiunctam cognitionem intellectiuam: Ergo voluntas siue appetitus rationalis debet esse ita proportionatus cognitioni intellectiuæ, vt illud omne quod potest cognoscere vt bonum, in illud etiam ferri possit ipse rationalis appetitus: at verò vis intellectiua hominis non tantùm cognoscit particulare quoddam bonum, siue creatum & finitum, sed etiam assurgit ad notitiam supremi boni nempe Dei infiniti & increati, cognoscitq; intellectus illud summum bonum continere in se [illegible]tionem omnis bonitatis; ergo pari iure vis appetendi in homine nimirùm voluntas, non tantùm appetit bonum finitum &

Magnitudo beatitudinis in eo sita est, quod expleat appetitum.

1.2.q.2. a.8.

In serm. de Dedicatione.

creatum, sed etiam appetere potest summum illud omnium bonorum, quod est infinitum, eóque perfrui desiderat. Quòd si humana voluntas etiam in præsenti vita possessionem Dei appetit, nunquam profectò ipsa omni ex parte satiari, & expleri poterit nisi invisione, & fruitione eiusdem boni increati & infiniti.

Boold Symbolorum variorum. pagina 92.

Suffragatur Ioannes Carrettus Marchio Finarij, Vicarius perpetuus sancti Romani Imperij, dùm in Symbolo quodam à Boold relato equum herbas pascentem repræsentauit cum hac inscriptione, *Ad meliora.* Nam sicut equus, omnéque ferè animantis genus, dùm herbis pascitur ac pabulatur, vlterius semper progreditur, ac meliores herbas quærit; ita generosus animus præsenti fortuna, aut bonis quæ ad manum sunt, contentus esse non debet; sed perpetuò ad meliora tendere, donec tandem ad id perueniat quo meliùs haberi nihil possit, Deum Opt. Max. videlicet. Ad ipsum enim debet quisque sapiens cuncta sua dirigere, quo obtento satiatur, neque alio ampliùs indiget pabulo. Huc ergo Principem illum respexisse non est dubium, nam in mundanis rebus satietas nulla neque finis desiderij est, gloria enim, honor, diuitiæ & similia appetũtur quidem, at non propter se, sed propter alium finem, vnde non quiescit in illis humanus animus, sed solùm in Deo ipso, qui est ille vltimus finis cuius gratiâ omnes conditi sumus. Quod etiam egregiè probat S. Augustinus in verba Psalmistæ: *Beata gens cuius est Dominus Deus eius, &c.* dum docet in nulla re creata posse hominem esse beatum; non in pecunia, non in auro, vel argento, non in prædiis, vel pompa seculi, quia omnia hæc inferiora sunt homine: *Quære igitur* (inquit ille) *melius te, vt inde efficiaris Beatus, iam suprà non est nisi creator, erige te ad illum, &c.* Quasi diceret, sicut lapis extrà centrum quiescere, nequit, ita animus humanus extra Deum quiescere non potest. Hinc ait quidam insignis auctor: *Imperturbabilis erit quies cùm ad centrum omnis boni dabitur introitus, & exuti mortalitatis exuuiis arctè cum principio nostro constringemur, cùm denique* (vt charus Deo Ioannes ait) *similes ei erimus.* Et hoc est quod S. Maximus in mystica Theologia vestigiis S. Dionysij viri planè diuini inhærens subtiliter exponit, Ait enim, *animam in hac vita licet virtutis & sanctimoniæ vi in Deum feratur, aliis rebus omnibus derelictis, ille tamen motus animæ atque exercitatio fit vt plurimùm diuiduis viis atque rationibus quibus humana vita obnoxia est: verùm cùm mens fuerit cum verbo & Deo perfectè vnita, consequetur illa plena, cumulata, & beatissima coniunctio vnde creatura Dei naturam induat & similitudinem exprimat.* (Et post pauca) *fit autem illa miranda copulatio non Vulcaniis vinclis, sed funiculo triplici adamantino, & diuino, qui difficulter rumpitur, cogni-*

Tom. 8. in Psal. 32.

tione, dilectione, & pace. Hæc ille. Id ex Apostolo confirmatur: *Qui adhæret Domino, fit vnus spiritus cum eo.* Ex Græco habetur: *Qui conglutinatur,* hoc est fortissimè, & vehementissimè coniungitur, sic vt diuelli & separari nequeat, cum eo fit, & redditur vnus spiritus. Quod in præsenti vita imperfectè fit, in domicilio autem beatorum fiet cumulatissimè, cùm Deus erit omnis in omnibus, & ita explebit omnem appetitionem vt nihil sit ampliùs quod desiderent. O beatissima quies, atque fœlicitas omnem explens appetitum. Psaltes Regius illam vocat: *Pacem in idipsum,* hoc est immutabilem, *vt volunt Cassiodorus & alij*, pacem & quietem eodem modo semper se habentem, nunquam interruptam, duraturam in omnem æternitatem. Et proinde pax & quies illa plenissima frustra in mundo, & in huius vitæ curriculo est expectanda, sed in cœlo Empyreo, seu Paradiso nullis mutationibus obnoxio eam Beati consequentur. Id acutè & eleganter docet S. Ambr. *Sex diebus mundus est factus, septimo requietum est die, & Dominus sanctificauit eum. Vltra mundum ergo quies, vltra mundum etiam fructus quietis.* Suffragatur etiam S. August. vbi exponens locum Genesis 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*, ait: *cùm in die septimo requieuit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificauit eum, nequaquam est accipiendum pueriliter, tanquam Deus laborauerit operando, qui dixit, & facta sunt, verbo intelligibili & sempiterno, non sonabili & temporali; sed requies Dei, requiem significat eorum qui requiescunt in Deo quos ipse facit requiescere æterna requie.* De qua quidem requie cantat Ecclesia in Missa defunctorum: *Requiem æternam, &c.*

1. Cor. 6.

Lib. 6. in Lucã.

Lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 8.

Non est etiam sine mysterio, quod in prima orbis molitione sex priores dies vespere & mane clauderent, at verò septimus sine vlla vespera illucesceret, nam dies septimus in quo requieuit ab omni opere quod patrarat, æternæ beatitudinis statum exprimebat, vt iam notatum est. Hinc S. August. [a] *Requies* (inquit) *creaturæ habet initium, sed non finem, ideo septimus dies cœpit à mane, sed nulla vespera terminatur.* Et alibi [b]: *Dies* (inquit) *superiores habent vesperam vbi Deus sanctificauit requiem.* Adde in ea patria esse mane sine vespere, lucem sine nocte, quia omnia in ea continentur, & nulla prorsùs mala includuntur.

Gen. 1.

Gen. 2.

a Lib. 4. de gratia ad litt. cap. 18.

b Lib. de decem Chord. cap. 5 in tom. 9.

SECTIO VIII.

De ingressu fœlicis animæ in Cœlum.

Triumphus animæ in cælum ingredientis.

O Quàm fœlix & fortunata anima sancti, corpore mortali solutâ! quæ tam excellenti gloriâ digna iudicatur, quo putas triumpho in possessionem eiusdem gloriæ ingreditur? Impossibile est certè nobis ineffabilem hunc triumphum ipsius victricis animæ explicare, & quàm veloci volatu ad summum bonum & æternum refrigerium feratur abundantissimò torrente voluptatis eius satianda. Profectò statim ac separatur à corporis ergastulo, nisi debito pœnarum purgatorij teneatur, celerior quàm aquila volat & penetrat cœlos, tota formosa & suauis, quasi columba deargentata, cuius pòsteriora lucent in pallore auri. Reges inaugurandi cum magna pompa & solemnitate inducuntur: Et Romani duces olim confectis fœliciter bellis domum reuertentes cum incredibili splendore & apparatu in Capitolium inuehebantur: Sed nihil ad hanc animæ sanctæ inaugurationem atque triumphum. Quemadmodum igitur Lazari mendici anima ante reseratas cœli portas, ab Angelis est in sinum Abrahæ deportata, quamuis ex suâ motrice virtute vt supradictum est potuisset se illo conferre; ita dum anima sancta cœlum ingreditur, Angeli ipsi sunt vice currus triumphalis, ipsi eam solemnissima processione vehunt, & magno numero comitantur, & potissimum non deest eius Angelus custos. O quàm suaue vehiculum! quàm certi itineris duces! quàm nobiles & iucundi comites! quàm honorabiles ductores! qui etiam eius generosa facta innumerabilibus laudibus dulcissimisque carminibus & melodiis celebrant. De tanto triumpho loquitur sanctus Chrysostomus: *Quemadmodum* (inquit) *pugilem generosum qui omnes deuicit aduersarios, spectatores cum plausu consurgentes sublimem statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, sed humeris sublatum innumerabilibus laudibus ornantes domum reportant, Sic illi cœlestes ac formosissimi spiritus Angelici incredibili gaudio delibuti, ob præstantes sanctarum animarum victorias, à corpore eas digredientes excipiunt, & cum inenarrabili pompâ ac triumpho ad Dei præsentiam, & Conciliorum beatorum omnium deducunt; amant enim nostrum genus ab ipso Deo eorum curæ & beneuolentiæ commendatum, cum præ-*

Luc. 16.

Orat. de sancto Ignatio.

Triumphus animæ beatæ intrantis Paradisum fusè explicatur.

ſertim ſciant electos ſimilitudine gloriæ atque morum quandoque angelificandos, vt Tertulliani verbo vtar. Et hoc eſt forſitan quod dicere voluit Apoſtolorum vertex Sanctus Petrus, dum ita præmonuit: *Abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini*: vbi dicitur, abundanter, nonnulli ex Græco legunt, largè, copioſè, miniſtrabitur introitus in cœlum. Et potiſſimùm Angelorum miniſterio, diuite quadam opulentiâ, inexplicabili magnificentiâ, abundantiſſimâ gloriâ, affluenti omni copiâ voluptatis, effuſiſſimâ beneficentiâ, qua maior cogitari nequit. Iulianus Apoſtata Magnum Conſtantinum poſt mortem cum Dea deliciarum in cœlo ponit. Quod impius ille & inuidioſus de fortiſſimo & Religioſiſſimo Imperatore luſoriè fingebat: hoc verè de animabus beatis aſſerere poſſumus, nullæ enim ſpiritales deliciæ, nullæ Deo dignæ voluptates illis deſunt. O quanta tunc Angelorum lætitia! *Si enim in cœlis gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, ſed in magno adhuc diſcrimine degente, quanto afficientur gaudio ſuper eodem iam de hoſtibus omnibus victoriam & triumphum reportante. Et quod de Angelorum gaudio in illo triumphanti ingreſſu fœlicis animæ in cœlum dicimus, idem de alijs beatis iudicandum, potiſſimùm de illis cum quibus ipſa fuit aliqua neceſſitudine coniuncta, vel quos ſingulari deuotione vt patronos coluit. Illi omnes ei bona omnia precabuntur ipſiuſque laudes immortaliter celebrabunt. Sed ô quantæ etiam tunc diuinæ audientur laudes! quanti Angelorum & aliorum beatorum concentus & melodiæ! cantabunt Canticum nouum ſed perpetuum: *Alleluia*. Hic ergo in cœleſti templo in tanto numero canentium, tantâ ſingulorum attentione, tanto ordine, tantâ harmoniâ, tantâ maieſtate, quid cogitabit fœlix illa anima? quo gaudio afficietur? qua dulcedine perfundetur? qua deuotione cumulabitur? ipſa porrò ſancta anima hoc iucundiſſimô ac ornatiſſimo tum Angelorum, tum aliorum Sanctorum comitatu, in intima cœlorum penetralia introducta admirabitur: *Regionis amœnitatem* (inquit Coſterus) *campos non terrenos, ſed cœleſtes, palatia non lapidibus, lateribus, aut gemmis, ſed ſublimiori materiâ diuinis manibus artificioq; conſtructa; Solis lux vtpotè obſcurior illic non lucebit, nam claritas Dei domum illam illuminat:* Et vt habet Sanctus Ioannes in Apocalypſi: *Lucerna eius eſt agnus*. Hinc inde circumſpectans, varios Sanctorum choros videbit, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Eccleſiæ Doctorum, Confeſſorum, Anachoretarum, Virginum, Viduarum, &c. eos omnes ſalutabit, & ab ijſdem officioſè reſalutata aſcendet ad nouem Angelorum choros, quos tribus Hierarchijs diſpertitos, & in ſuo

De Reſurrect. carnis, c. 6.
Epiſt 2. cap. 1.
Luc. 15.
Lib. 3. Chriſt. inſtit. cap. 16.
Apocal. 21.

quemque munere & officio (sunt enim omnes administratorij spiritus) constitutum videbit: Ex qua re dictu incredibile est quantam sit voluptatem perceptura. Prętereucta Angelorum ordinem, ad cœlorum Reginam Dei ipsius Matrem adducetur, quæ sola gloriâ ac maiestate suâ decimum chorum constituit & adornat, tot enim tantisque donis & ornamentis est exculta, vt quicquid sapientiæ, pietatis, charitatis, pulchritudinis, honoris & gloriæ, Sanctis omnibus à Deo collatum fuit, id omne in ipsa ţanquam in nobilissimarum rerum Thesauro collectum videas. Hanc aspiciet amictam Sole, & Luna quasi scabello insistentem, illustri coronâ, duodecim Stellis, tanquam gemmis quibusdam distinctâ, capite redimitam, vt in Apocalypsi legimus: Quæ sereníssimo vultu ad eam conuersa dicere poterit, inuocasti me, & quotidianis precibus postulasti, vt Iesum benedictum fructum ventris mei post exilium tuum tibi ostenderem & exhiberem, iam te ad eum deducam, teque coronandam digno pręmio afficiendam ei sistam. Et commemoratis orationibus quas pro ea ad filium suum fundere solita fuit, singulisque beneficiis per eius preces illi à Deo collatis, eam in maiorem sui amorem & venerationem excitabit. Vlteriùs duce matre Deiparâ Throno Christi appropinquans fœlix illa anima, admirabitur gloriam vnigeniti Filij Dei sedentis ad dexteram virtutis & maiestatis Dei, qui ei obuiam factus, id quod in supremo iudicij die futurum promisit, etiam hoc tempore aliquo modo pręstabit. *Iterùm veniam, & assumam vos ad me ipsum.* Nam si filium prodigum qui totum patrimonium suum consumpserat, accurrens amplexus est & exosculatus, quid filio probo è pugna redeunte facturum putas? dubio procul illum verbis consolabitur: Benedictus es tu, fili & frater dilectissime, gaude & exulta, iam enim non erit tibi ampliùs neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor, iam hyems & difficultas omnis transijt & recessit. Deindè quod tanto tempore concupiuit, ipsa fœlix anima, vt oscularetur eam, osculo oris sui suauissimo castissimoque amplexu & osculo eam sibi in sponsam desponsabit. Tum exhibitis manuum, lateris, pedumque vulneribus, quicquid pro ea annis triginta tribus gesserit passusq; sit, in memoriam reuocabit. Illa verò venerabunda tanti Domini sui bonitatem & misericordiam admirans in eius amorem incredibiliter exardescet.

Apoc. 12. *Ioan. 14.* *Apoc. 21.* *Cant. 1.*

Tum idem Christus manu prehensam sponsam suam adducet ad thronum Patris ęterni, vt ipsam videat & possideat diuinitatem, eâque in perpetuum fruatur: vbi sicut Moyses in monte Sinaï in nubem ingressus caligine tectus fuit: *Vt in Exodo habetur*, ita ipsa ingressa in gaudium Domini sui tota à Deo absorpta planè diuina

Exod. 24.

euadet. Et tunc Deus Pater sempiternæ gloriæ coronam ei imponens dicet: Veni sponsa Christi mei, accipe coronam quæ tibi prę-parata est in æternum : *Quia in pauca fuisti fidelis suprà multa te constituam, intra in gaudium Domini tui !* O quantum erit illud gaudium! tantum quippè erit vt totum capere nequeat anima, sed sicut spongia in aquam missa oppletur quidem aquâ, sed vniuersam aquam non capit, ita fœlix illa anima gaudio quidem & Deo replebitur, sed tamen totam istius gaudij amplitudinem mentis suæ angustiæ non poterunt continere. Verè beata hinc erit illa anima vidensque: *Exultabit lætitiâ inenarrabili & glorificata.* Deus porrò locum illi designabit in numero Sanctorum, labore & virtute eius dignum, iuxtà illud Sapientis: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius.* Ad quem locum vbi perducta fuerit, mirabitur sibi asseruata, & quasi in thesaurum collecta quęcumque per omnem vitam egit, nihil eorum prętermissum, ne haustum quidem aquæ frigidæ egentibus datum. Et mirabitur res exiguas & minimas tantâ mercede compensari. Hæc sunt quæ conijcere possumus esse in ingressu fœlicis animæ in cœlum cum lætitia inenarrabili euentura nostro quidem concipiendi modulo, at reipsa longè altiori modo quàm explicare possimus. Ista enim sunt ex arcanis illis supernaturalibus quæ Sanctus Paulus in suo raptu vidit, & quæ homini loqui non licere dixit. Illi soli intelligent qui aliquando experientur. Faxit Deus, vt de eorum numero simus.

1. *Pet.* 1.

Ecclesiast. 16.

SECTIO IX.

De beata anima atque omnium Sanctorum in Cœlis corona.

SVPERIORI Sectione diximus fœlicem atque sanctam animam Deo vt in cælis coronetur, esse oblatam: nunc de illius, & omnium Beatorum corona est differendum. Quod igitur ad cumulum & omnimodam perfectionem huius tantæ beatitudinis Sanctorum facit, est quòd illi omnes tanquam filij Regni, & Athletæ fortissimi Dei manu & munificētiâ pulcherrimis coronis coronādi sint: Dauid Psaltes Regius dum de ipso Deo quemlibet Sanctorum suorum coronante loquitur, ait: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Quisnam sit hic lapis pretiosus ex quo Beatorum corona

Psal. 10.
Corona gloriæ Sanctorum in Patria

late ostenditur. fabricatur non omninò exprimit Propheta. Hugo autem Cardinalis in hunc locum existimat esse Topazium. Dicitur autem Topazium teste Sancto Gregorio ab Hugone relato ibidem, quasi topandium, eò quod omnium pretiosorum lapidum colore resplendeat. Ergo sensus erit corona beatitatis cœlestis non ex vno lapide componitur, sed ex omnibus lapidibus hujusmodi coronæ fient, vt pro singulorum meritis cuique beatorum peculiaris aptetur corona. Adducit

Iob. 28. in eundem sensum Hugo illud Iob: *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia*, id est; non ita Topazius omnium lapidum colores imitatur, sicut gloriæ corona ex varijs lapidibus fabricatur. Audiamus

Exod. 25. ipsum Hugonem: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, hoc est coronam gloriæ æternæ, quæ finem non habet: vnde rotunda esse solet, fine carens, nam illa gloriæ corona nunquam est finem habitura.* Quam ob causam rectè figurata fuit in illa aurea corona qua fœderis arca per circuitum coronabatur, vt constat in Exodi libro. Nulli autem dubium est quin vnusquisque Sanctorum & electorum Dei quasi arca fuerit, omnium bonorum operum, meritorum, ac spiritualium diuitiarum thesauros continens. Coronam ergo illam gloriæ æternæ dicit Psaltes Regius esse confectam de lapide pretioso, id est coronam gloriæ omnem decorem habentem. Multis autem nominibus vocitatur hæc Beatorum corona.

Prouerb. 14. Primò dicitur, *Inclyta.* Ita Sapiens in suis Prouerbijs: *Corona inclyta proteget te*; Hebręus habet, *Diadema decoris*; Chaldęus, *Pulchritudo.* Septuaginta, *Corona gratiarum ac deliciarum.* Ex quibus ita legit Ambrosius: *Et corona deliciarum obumbrabit te.* Non dicit, *Corona liliorum atque rosarum*, neque, *Corona aurea, aut argentea*, sed *deliciarum*, cunctis rebus amabilibus & delicijs composita & referta, vel, *Corona pulchritudinis*, videlicet ex omni pulchritudinum & venustatum quodam veluti concentu facta, vel tandem corona gratiarum vel charitum ex gratijs omnibus coagmentata, quæ ex eo dicitur corona gloriæ, nam gratia consummata quæ in beatis est, aliud non est pręter gloriam.

Secundò, hæc corona est ex floribus quæ nunquam marcescunt,

1. Petr. 1. conflata, vt colligitur ex Sancto Petro: vbi beatus ille Apostolus il-

Lib. 2. Pæd. cap 8. lam coronam vocat, *immarcessibilem.* Hinc Sanctus Clemens Alexandrinus eam comparat flori Amaranthi, qui hoc nomine donatur ex eo quòd marcescere & deflorescere non soleat: *Pulchra*, inquit, *Amaranthi corona est ei reposita qui se rectè gesserit.* Et adiungit Clemens Alexandrinus hunc Amaranthi hoc est æternæ gloriæ florem non esse è terra ortum, sed in cælo productum, quod si Amaranthus qui è terra oritur, & perenni viriditate nobilis est, in flore

atque

atque foliis tam suaui colore prēditus, vt aurea quadam luce Solem imitari videatur, quantam dicemus esse coronæ Amarãthinæ cœlestis pulchritudinem, quæ in cœlo nata in collo texta & serta fuit? An non multis partibus superare dicenda est Amaranthi coronam illam quam superstitiosi veteres Deorum suorum capitibus imponere solebant? Abeant ergo flores illi qui Olympicam coronam componebant, erant siquidem facilè marcessibiles, & nonnisi ad ludorum vanitatem coronæ ludentium apponebantur. Vnde Basilius Seleuciæ Pontifex talem coronam appellat ridicularium donum, & infaustum coronamentum; at sancti & electi in cœlo non coronantur floridæ gloriæ coronâ ob vanitatem, sed propter opera bona quæ ipsi in præsenti vita gesserunt, & quæ in æternum florebit. Quò fit vt B. Iacobus eam vitæ coronam vocitet: *Beatus vir*, inquit, *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, id est viuam & perennem, quæ in æuum sempiternum efflorescat, & nunquam suo virore, sua pulchritudine, & decore spolietur. Corona item vitæ in Apocalypsi vocatur, vbi legimus filium Dei qui S. Ioanni apparuit, magnificâ pollicitatione Angelum hoc est Episcopum Smyrnæ ad perseuerantiam excitasse illis verbis! *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quibus verbis satis innuit coronam illam vitæ, hoc est æternam fœlicitatem nonnisi fideli, & ad mortem vsque perseueranti esse reddendam. Iuxta illud Matthæi: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* De hac vitæ corona rectè loquitur Richardus de Sancto Victore, vt expressè refert Ioachimus: *Corona*, inquit, *vitæ promittitur, quia ij qui donant vitam Deo, cum triumpho pretiosæ mortis perueniunt ad veram vitam: quoniam vt eam seruare possent in regno, eam in exilio perdiderunt.* Iuxta illud Ioannis: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Significatur itaque sanctos pro Christo non amisisse vitam moriendo, sed eam pro meliori commutasse: immò illâ posteà tanquam coronâ quam amisisse videbantur, coronati. Et corona illa erit immarcescibilis & sempiterna: & propterea etiam nomine coronæ vitæ est donata, quia Beati cum tali corona semper viuent, & nunquam illius coronæ flores languescēt aut demorientur. Et hoc est quod S. Petrus dicere intēdit in sua Epistola, cùm talem coronam appellauit: *Immarcescibilem.* Vnde S. Bern. Serm. 17. in Psal. *Qui habitat, &c.* Docet certè hanc cœlestem coronam meritò dici coronam vitæ, quia ibi verè viuitur, vbi viuida vita est & vitalis, ibi dies boni, vbi interminabilis longitudo dierum, quod quidem in sola patria contingit, proindeque iure dicitur corona vitæ, imò potius vitarum, vt plurali numero perfectionem huius

Orat. 17.

Iacobi 4.

Apoc. 2.

Matth. 10.

Ioachim. in Apoc qui refert Richardum de sancto Victore.

Ioan. 12.

1. Petri 5.

late ostenditur. fabricatur non omninò exprimit Propheta. Hugo autem Cardinalis in hunc locum existimat esse Topazium. Dicitur autem Topazium teste Sancto Gregorio ab Hugone relato ibidem, quasi topandium, eò quod omnium pretiosorum lapidum colore resplendeat. Ergo sensus erit corona beatitatis cœlestis non ex vno lapide componitur, sed ex omnibus lapidibus huiusmodi coronæ fient, vt pro singulorum meritis cuique beatorum peculiaris aptetur corona. Adducit in eundem sensum Hugo illud Iob: *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia,* id est; non ita Topazius omnium lapidum colores imitatur, sicut gloriæ corona ex varijs lapidibus fabricatur. Audiamus ipsum Hugonem: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, hoc est coronam gloriæ æternæ, quæ finem non habet: vnde rotunda esse solet, fine carens, nam illa gloriæ corona nunquam est finem habitura.* Quam ob causam rectè figurata fuit in illa aurea corona qua fœderis arca per circuitum coronabatur, vt constat in Exodi libro. Nulli autem dubium est quin vnusquisque Sanctorum & electorum Dei quasi arca fuerit, omnium bonorum operum, meritorum, ac spiritualium diuitiarum thesauros continens. Coronam ergo illam gloriæ æternæ dicit Psaltes Regius esse confectam de lapide pretioso, id est coronam gloriæ omnem decorem habentem. Multis autem nominibus vocitatur hæc Beatorum corona.

Iob. 28.

Exod. 25.

Prouerb. 24. Primò dicitur, *Inclyta.* Ita Sapiens in suis Prouerbijs: *Corona inclyta proteget te*; Hebrçus habet, *Diadema decòris*; Chaldçus, *Pulchritudo.* Septuaginta, *Corona gratiarum ac deliciarum.* Ex quibus ita legit Ambrosius: *Et corona deliciarum obumbrabit te.* Non dicit, *Corona liliorum atque rosarum,* neque, *Corona aurea, aut argentea,* sed *deliciarum,* cunctis rebus amabilibus & delicijs composita & referta, vel, *Corona pulchritudinis,* videlicet ex omni pulchritudinum & venustatum quodam veluti concentu facta, vel tandem corona gratiarum vel charitum ex gratijs omnibus coagmentata, quæ ex eo dicitur corona gloriæ, nam gratia consummata quæ in beatis est, aliud non est prçter gloriam.

Secundò, hæc corona est ex floribus quæ nunquam marcescunt, conflata, vt colligitur ex Sancto Petro: vbi beatus ille Apostolus illam coronam vocat, *immarcessibilem.* Hinc Sanctus Clemens Alexandrinus eam comparat flori Amaranthi, qui hoc nomine donatur ex eo quòd marcescere & deflorescere non soleat: *Pulchra,* inquit, *Amaranthi corona est ei reposita qui se rectè gesserit.* Et adiungit Clemens Alexandrinus hunc Amaranthi hoc est æternæ gloriæ florem non esse è terra ortum, sed in cælo productum, quod si Amaranthus qui è terra oritur, & perenni viriditate nobilis est, in flore

1. Petr. 1.

Lib. 2. Ped. cap 8.

atque

atque foliis tam suaui colore prędítus, vt aurea quadam luce Solem imitari videatur, quantam dicemus esse coronæ Amaránthinæ cœlestis pulchritudinem, quæ in cœlo nata in collo texta & serta fuit? An non multis partibus superare dicenda est Amaranthi coronam illam quam superstitiosi veteres Deorum suorum capitibus imponere solebant? Abeant ergo flores illi qui Olympicam coronam componebant, erant siquidem facilè marcessibiles, & nonnisi ad ludorum vanitatem coronæ ludentium apponebantur. Vnde Basilius Seleuciæ Pontifex talem coronam appellat ridicularium donum, & infaustum coronamentum; at sancti & electi in cœlo non coronantur floridæ gloriæ coronâ ob vanitatem, sed propter opera bona quæ ipsi in præsenti vita gesserunt, & quæ in æternum florebit. Quò fit vt B. Iacobus eam vitæ coronam vocitet: *Beatus vir*, inquit, *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, id est viuam & perennem, quæ in æuum sempiternum efflorescat, & nunquam suo virore, sua pulchritudine, & decore spolietur. Corona item vitæ in Apocalypsi vocatur, vbi legimus filium Dei qui S. Ioanni apparuit, magnificâ pollicitatione Angelum hoc est Episcopum Smyrnæ ad perseuerantiam excitasse illis verbis! *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quibus verbis satis innuit coronam illam vitæ, hoc est æternam fœlicitatem nonnisi fideli, & ad mortem vsque perseueranti esse reddendam. Iuxta illud Matthæi: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* De hac vitæ corona rectè loquitur Richardus de Sancto Victore, vt expressè refert Ioachimus: *Corona*, inquit, *vitæ promittitur, quia ij qui donant vitam Deo, cum triumpho pretiosæ mortis perueniunt ad veram vitam: quoniam vt eam seruare possent in regno, eam in exilio perdiderunt.* Iuxta illud Ioannis: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Significatur itaque sanctos pro Christo non amisisse vitam moriendo, sed eam pro meliori commutasse: immò illâ posteà tanquam coronâ quam amisisse videbantur, coronari. Et corona illa erit immarcescibilis & sempiterna: & propterea etiam nomine coronæ vitæ est donata, quia Beati cum tali corona semper viuent, & nunquam illius coronæ flores languescẽt aut demorientur. Et hoc est quod S. Petrus dicere intẽdit in sua Epistola, cùm talem coronam appellauit: *Immarcescibilem.* Vnde S. Bern. Serm. 17. in Psal. *Qui habitat, &c.* Docet certè hanc cœlestem coronam meritò dici coronam vitæ, quia ibi verè viuitur, vbi viuida vita est & vitalis, ibi dies boni, vbi interminabilis longitudo dierum, quod quidem in sola patria contingit, proindeque iure dicitur corona vitæ, imò potius vitarum, vt plurali numero perfectionem huius

[Margin notes: Orat. 17. — Iacobi 4. — Apoc. 2. — Matth. 10. — Ioachim. in Apoc qui refert Richardum de sancto Victore — Ioan. 12. — 1. Petri 5.]

P, al 26. vitæ exprimat sacra scriptura, nam vbi nos habemus in Psalmis: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* In Hæbreo est in terra vitarum quia multipliciter in beatitudine vita possidetur. Hac æternæ vitæ coronâ docet S. Paulus [a] esse potissimùm coronandos illos qui legitimè certauerint. Nam ait S. Chrysostomus [b]: *Coronæ non dantur nisi post victoriam.* At certum est victoriam non contingere nisi post inita contra aduersarios fortissima certamina. Quæ S. Paulus: *Legitima* vocat, legitimè autem certare est secundùm leges Agonis & pugnæ Christianæ à Deo latas certare, hoc est diuinis præceptis parendo, & pugnando cum diabolo, mundo, & carne. Quare fieri non potest quin vincat qui sic legitimè certauerit, vt tandem coronetur. Et hæc est etiam expositio S. Anselmi in verba S. Pauli. Qui itaque sic certauerint decurso fœliciter huius præsentis vitæ spatio, ad Agonothetam magnum & iustum coronandi accedent, sicut olim in Olympiis pugiles, & Athletæ summa cum laude brauium assequebantur. Vnde ipsemet S. Paulus aiebat ad Philippenses: *Ad destinatum persequor, ad supernæ vocationis brauium.* Et idem ad Timotheum: *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Et hinc B. Augustinus præcipuam reddens rationem cur corona tali nomine donetur. *Est*, inquit, *quia datur certantibus.* Et hoc colligi potest ex Prophetiâ Isaiæ, vbi hæc habentur: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui, & spiritus iudicij sedenti super iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.* Quibus verbis constat Deum ipsum esse in gloria sua electorum suorum coronam pulcherrimam, & sceptrum ornatissimum, vel eos sua propria corona modo eorum conditioni congruo coronare, & sceptrum tradere, eorumque esse fortitudinem in eorum reditu de huius mundi bello aduersùs Dæmones, mundum, carnem, peccatum, &c. ad portam & introitum regni cœlestis. Si Rex aliquis proprio diademate amicum suum coronaret, sceptrum quo ipse vtitur, ei concederet, purpurâ qua induitur, torque, & annulo Regio vellet insigniri, honor certè hic esset omnium existimatione maximus. Vnde consilium datum est Assuero Regi aliquando quærenti: *Quid debet fieri viro quem Rex honorare desiderat? homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus aureis & imponi super equum qui de cellâ Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum, & primus de Regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet & dicat, sic honorabitur quem Rex voluerit honorari.* Nullus est Beatorum in Regno cœlesti qui non eadem quodammodo gloriæ purpura, sceptro, & corona beatitudinis qua Deus ipse quamuis modo & ratione creaturæ conuenienti ho-

Marginal notes: *a 2. ad Timoth 2.* — *b Hom in psal. 6.* — *Ad Philipp. 3.* — *1. ad Tim. 4.* — *Lib. vnico de agone Christiano.* — *Isaiæ 28.* — *Hester. 6.*

noretur. Et quemadmodum olim Iosephus par erat Pharaoni, vno solio Regni sceptróque excepto; ita cuilibet Beatorum sua omnia donabit, committétque Deus hoc vno dempto quod communicari nequit, vt ipse solus maneat Deus super omnia benedictus in sæcula. Propterea etiam sancti cum illo regnantes dicuntur ponere coronas suas ante pedes eius, tanquam eas illi à quo acceperunt lubentissimè referentes & profitentes, vt habetur in Apocalypsi: *Quoniam*, inquiunt, *redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni lingua, & tribu, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes*. Corona aurea fulgentibus gemmis ornata, est insigne Regni; & ita illi cùm coronis sint redimiti, Reges sunt. Et nonne tibi videntur Reges qui Regnum possident? Atqui dicet Christus electis suis in iudicio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum, &c.* Regnum inquam, amplissimum & nullo vnquam tempore destruẽdum, nam Deus illud perpetuò conseruabit. Et sic illi beatissimi Reges non erunt sicut Reges terreni, qui in suis exiguis, & breui perituris Regnis non sunt securi; nam Reges & Monarchæ fortiores possunt superuenire, & illos non solùm turbare, sed & eorum vsurpare regna; at Beati tanquam Reges potentissimi liberi sunt ab illo timore, securi, & intrepidi, ab omni periculo quàm longissimè remoti, & nunquam amplissimo suo regno priuari poterunt, quia etiam non tantum donati sunt illius cœlestis Regni titulo, sed & plena & perfecta possessione, & ius habent ac simul possessionem. Addunt insuper sancti illi Reges: *Et regnabimus super terram.* Non quidem super terram hanc quam homines inhabitant, ipsa enim cœlorum amplitudini comparata instar puncti est obscurissimi & indiuisibilis, etiamsi per plura regna magnis contentionibus diuidatur; sed super terram, hoc est super elementares omnes regiones in altissimo cœlo, vbi non officit regnantium multitudo, non enim eripitur vni, quod in immensum ab altero possidetur, vbi sunt veræ diuitiæ absque paupertate vel indigentia, puræ deliciæ absque tristitia vel deficientia, inuicta sine infirmitate, vel morte potentia. Nam sicut est apud Isaiam: *Præcipitabit Dominus ex monte sancto illo mortem in sempiternum, & auferet lachrymam ab omni facie.* Et sanctus Ioannes in Apocalypsi: *Absterget Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor erit vltrà, quia prima abierunt.*

Gen. 41.
Apoc. 5.
Matth. 25.
Isai 25
Apoc. 21.

SECTIO X.

Coronantur Beati à Christo qui eos in Throno suo sedere facit.

Quomodo Beati à Christo coronentur, pulchrè explicatur.

EX communi Sanctorum Doctorum sententiâ hęc gloriæ corona siue de floribus varia, siue de auro & capillis rutilans & pretiosa, qualiscumque tandem sit, à filio Dei cui potestatem omnimodam dedit Pater, sacra manu beatorum capitibus imponitur, magna amoris significatione, & non sine ingenti cœlestis Curiæ gratulatione. In Apocrypho Esdræ graphicè Res describitur, ait enim se vidisse in cœlesti & triumphante Sione magnam hominum multitudinem Deum cantu laudantium, & in medio iuuenem celsum & eminentissimæ dignitatis qui coronas singulorum capitibus imponebat, & eo ipso fieri videbatur illustrior, interrogatum autem Angelum quis ille esset iuuenis qui coronas impertiret & palmas in eorum manus, respondisse, ipse est filius Dei quem in sæculo confessi sunt. Suffragatur B. Ioannes in Apocalypsi dum ait se vidisse ipsum Christum, Dei filium, habentem in capite diademata multa, quod de fidelibus ab eo coronatis coronisque simul planè diuinis, grauissimi Patres intelligunt. Non solùm autem ipse Dei filius suos fideles amicos sic coronabit, verum-etiam in magnifico sibiipsi præparato Throno sedere, & quiescere faciet, vt ipsemet pollicitus fuit in Apocalypsi: *Qui vicerit (inquit), dabo ei sedere mecum in Throno meo.* Magnus honor, in eodem throno cum Rege considere. Haman honoris cupidissimus summam dignitatem iudicabat equo Regis vehi, vt habetur in libro Hester: Quantus ergo erit honor à Christo Regum omnium Domino coronari, & cum eo in throno sedere? Tanta profectò erit illius honoris & gloriæ magnitudo, vt omnes huius præsentis vitæ honores, & dignitates, quantumcumque fulgeant & appareant, meritò horum cœlestium comparatione tanquam nihil æstimari debeant. Et sic verè asserere debemus nihil dici, aut cogitari posse animæ beatæ ad omnem æternitatem iucundius, & ad gloriam magnificentius accidere, quàm hac corona decoris, & gloriæ ornari, atque in Christi throno sedere; in communionem inexplicabilium bonorum admitti; nec-non in eius familia summis honoribus, & deliciis versari. Mirari profectò hic lubet inæstimabilem Dei bonitatem, & munificẽtiam, qui abiectis hominibus, & despectis ius Regni, diadema spe-

Esdra. 4.

Apoc. 19.

Apoc. 3.

Hester. 6.

ciei, coronam gloriæ impertitur, facitque in throno suo sedere. Quæ quidem corona, non tam auro aut lapillorum luce; quàm insignium virtutum & meritorum splendore refulget. Nam si verum est quod ait Tzetzes, in corona olim triumphantium magna & honorata, fuisse pulcherrima expressa facinora ob quæ illam meruissent; imago quędam fuit cœlestium, quòd in corona beatorum ponendæ sint à Deo notæ meritorum ad vniuscuiusque laudem & memoriam sempiternam. Gemmæ autem & lapides pretiosi pulcherrimas beatæ vitæ dotes referre possunt, quæ nonnisi pretiosis ac clarissimis rebus adumbrari debent. Itaque Innocentius III. vir doctrinâ & pietate insignis in ea gloriæ æternæ corona, septem pretiosos lapides distinguit: quorum quatuor in gyro fulgeant dotis quadruplicis corporeæ: *Cum tribus* (inquit) *in summo triplicis dotis animæ glorificatæ quæ sunt comprehensiua cognitio, dilectio, delectatio.* Quibus verbis istius summi Pontificis constat vltrà animæ fœlicitatem in ęterna vita, alteram quoque esse expectandam, eamque consummatam, cùm animus Beatus corpori copulabitur in generali resurrectione, sicque quamuis Sanctorum animæ corporis vinculis solutæ gratiæque eximio decoratæ splendore, ipsius Dei faciem iucundissimam, elegantissimamque formam perspicacissimè videant, sicuti est, vt in sua Epistola habet Sanctus Ioannes, & ea fruantur, hocque modo dicantur essentialiter beatæ, non illis tamen pręstari adhuc dicitur integra beatitudo, quæ accidentaria & quasi secundaria dici solet, quæ in cæteris corporis bonis cernitur, donec per corporum futuram in die iudicij viuificationem sit homo integer, & consummatam secundùm vtramque sui partem obtineat fœlicitatem, tunc enim corpus ipsum cum omnibus suis partibus, & membris admirabiles capiet voluptates, sed castas, sed sanctas, sed diuinas: primò quidem quatuor illis diuinis dotibus afficietur quibus erit.

Chil. 13. v. 48.

1. Ioan. 3.

Primò impassibile, hoc est non solùm immortale, sed etiam omnis passionis & corruptionis expers, ita vt erit semper sanum & nulla lęsione, nullo ęstu, nullo frigore, nulloque malo affligi poterit.

Dotes corporis gloriosi.

Secundò erit agile, liberum, & expeditum; vt liberè & ad nutum animæ possit se se mouere quocumque ipsa voluerit anima, absque vlla propriæ grauitatis retardatione, aut aliquo alio impedimento, nec-non sine molestia & defatigatione.

Tertiò erit subtile, poteritque cætera alia corpora penetrare, ita vt corpora illa in eodem loco sine confusione existere poterunt.

Quartò clarum erit & instar Solis, splendor enim ipsi loco vestimenti erit, eritque splendor ille corporis, similis ei quem Christus in sua gloriosa transfiguratione ostendit, quâ simul maxima eius

SECTIO X.

Coronantur Beati à Christo qui eos in Throno suo sedere facit.

Quomodo Beati à Christo coronentur, pulchrè explicatur.

EX communi Sanctorum Doctorum sententiâ hęc gloriæ corona siue de floribus varia, siue de auro & capillis rutilans & pretiosa, qualiscumque tandem sit, à filio Dei cui potestatem omnimodam dedit Pater, sacra manu beatorum capitibus imponitur, magna amoris significatione, & non sine ingenti cœlestis Curiæ gratulatione. In *Esdra. 4.* Apocrypho Esdræ graphicè Res describitur, ait enim se vidisse in cœlesti & triumphante Sione magnam hominum multitudinem Deum cantu laudantium, & in medio iuuenem celsum & eminentissimæ dignitatis qui coronas singulorum capitibus imponebat, & eo ipso fieri videbatur illustrior, interrogatum autem Angelum quis ille esset iuuenis qui coronas impertiret & palmas in eorum manus, respondisse, ipse est filius Dei quem in sæculo confessi sunt. Suffragatur *Apoc. 19.* B. Ioannes in Apocalypsi dum ait se vidisse ipsum Christum, Dei filium, habentem in capite diademata multa, quod de fidelibus ab eo coronatis coronisque simul planè diuinis, grauissimi Patres intelligunt. Non solùm autem ipse Dei filius suos fideles amicos sic coronabit, verum-etiam in magnifico sibiipsi præparato Throno sedere, & *Apoc. 3.* quiescere faciet, vt ipsemet pollicitus fuit in Apocalypsi: *Qui vicerit* (inquit) *dabo ei sedere mecum in Throno meo*. Magnus honor, in eodem throno cum Rege considere. Haman honoris cupidissimus summam dignitatem iudicabat equo Regis vehi, vt habetur in libro *Hester. 6.* Hester: Quantus ergo erit honor à Christo Regum omnium Domino coronari, & cum eo in throno sedere? Tanta profectò erit illius honoris & gloriæ magnitudo, vt omnes huius præsentis vitæ honores, & dignitates, quantumcumque fulgeant & appareant, meritò horum cœlestium comparatione tanquam nihil æstimari debeant. Et sic verè asserere debemus nihil dici, aut cogitari posse animæ beatæ ad omnem æternitatem iucundius, & ad gloriam magnificentius accidere, quàm hac corona decoris, & gloriæ ornari, atque in Christi throno sedere; in communionem inexplicabilium bonorum admitti; nec-non in eius familia summis honoribus, & deliciis versari. Mirari profectò hic lubet inæstimabilem Dei bonitatem, & munificétiam, qui abiectis hominibus, & despectis ius Regni, diadema spe-

ciei, coronam gloriæ impertitur, facitque in throno suo sedere. Quæ quidem corona, non tam auro aut lapillorum luce, quàm insignium virtutum & meritorum splendore refulget. Nam si verum est quod ait Tzetzes, in corona olim triumphantium magna & honorata, fuisse pulcherrima expressa facinora ob quæ illam meruissent; imago quędam fuit cœlestium, quòd in corona beatorum ponendæ sint à Deo notæ meritorum ad vniuscuiusque laudem & memoriam sempiternam. Gemmæ autem & lapides pretiosi pulcherrimas beatæ vitæ dotes referre possunt, quæ nonnisi pretiosis ac clarissimis rebus adumbrari debent. Itaque Innocentius III. vir doctrinâ & pietate insignis in ea gloriæ æternæ corona, septem pretiosos lapides distinguit: quorum quatuor in gyro fulgeant dotis quadruplicis corporeæ: *Cum tribus* (inquit) *in summo triplicis dotis animæ glorificatæ quæ sunt comprehensiua cognitio, dilectio, delectatio.* Quibus verbis istius summi Pontificis constat vltrà animæ fœlicitatem in ęterna vita, alteram quoque esse expectandam, eamque consummatam, cùm animus Beatus corpori copulabitur in generali resurrectione, sicque quamuis Sanctorum animæ corporis vinculis solutæ gratiæque eximio decoratæ splendore, ipsius Dei faciem iucundissimam, elegantissimamque formam perspicacissimè videant, sicuti est, vt in sua Epistola habet Sanctus Ioannes, & ea fruantur, hocque modo dicantur essentialiter beatæ, non illis tamen pręstari adhuc dicitur integra beatitudo, quæ accidentaria & quasi secundaria dici solet, quæ in cæteris corporis bonis cernitur, donec per corporum futuram in die iudicij viuificationem sit homo integer, & consummatam secundùm vtramque sui partem obtineat fœlicitatem, tunc enim corpus ipsum cum omnibus suis partibus, & membris admirabiles capiet voluptates, sed castas, sed sanctas, sed diuinas: primò quidem quatuor illis diuinis dotibus afficietur quibus erit.

Chil. 13. v. 48.

1. Ioan. 1.

Primò impassibile, hoc est non solùm immortale, sed etiam omnis passionis & corruptionis expers, ita vt erit semper sanum & nulla lęsione, nullo ęstu, nullo frigore, nulloque malo affligi poterit.

Dotes corporis gloriosi.

Secundò erit agile, liberum, & expeditum; vt liberè & ad nutum animæ possit se se mouere quocumque ipsa voluerit anima, absque vlla propriæ grauitatis retardatione, aut aliquo alio impedimento, nec-non sine molestia & defatigatione.

Tertiò erit subtile, poteritque cætera alia corpora penetrare, ita vt corpora illa in eodem loco sine confusione existere poterunt.

Quartò clarum erit & instar Solis, splendor enim ipsi loco vestimenti erit, eritque splendor ille corporis, similis ei quem Christus in sua gloriosa transfiguratione ostendit, quâ simul maxima eius

pulchritudo & decor patefiet.

Deinde verò sensus incredibilia habebunt oblectamenta. Oculi, qui multa hic acerba viderunt, & pauperum necessitates benignè inspexerunt, gaudebunt illic pręsentia Christi, sacratissimæ Matris, omniumque Sanctorum, quorum corpora omnem vincent pulchritudinem. Iucundissimâ etiam & suauissimâ fruentur amœnitate loci; quæ quanta sit in ipso cœlesti palatio, ex infima eius vilissimaque parte quæ nos respicit, coniectare possumus: Hęc enim pulchritudine stellarum & sydcrum ornata, lumineque Solis & Lunæ illustrata non solùm orbem hunc inferiorem illuminat, sed rebus omnibus vitam, & esse confert, atque conseruat. Si igitur hęc pars cœlorum inferior quæ nos respicit, & quæ non solùm ab hominibus, sed etiam à bestiis conspicitur, tantùm splendoris habet; quanta quęso erit Cœli Empyrei pulchritudo, splendor, & amœnitas, vbi sancti in ęternum cum Deo viuent? Aures quoque quæ pauperum vocibus & clamoribus patuerunt, diuinasque laudes & sacras conciones admonitionesq; cum fructu audiuerunt, multaque conuitia hauserunt; ibi suauissimo Christi colloquio perfruentur, sacratissimæ Dei genitricis, cęterorumque Sanctorum verbis & sermonibus, concentuque Angelorum, & laudibus Dei sine fine decantandis delectabuntur. Singulis prętereà sensibus reliquis suæ voluptates huic beatifico statui proportionatæ & conuenientes non deerunt; & plus delectationis illi percipient, qui plus molestiæ in pręsenti vitâ tulerunt. Cicatrices vulnerum pro Christo acceptorum admirabilem splendorem reddent. Caro macie, ieiunijs, cilicijs, alijsque pœnitentijs confecta, instar Solis fulgebit. Denique labores omnes, & incommoda, pro iustitia & remissione peccatorum suscepta, & tolerata, summâ quiete & iucunditate permutabuntur. Vnum autem ex pręcipuis gaudijs erit Sanctorum consuetudo, atque pręsentia; quorum gloriâ non aliter ac si nostra esset, lętabimur; quēadmodum singula corporis membra ornatu mutuo gaudent: manus enim ex capitis ornatu redditur ornatior, atque ita de cæteris membris, & sicut mater gaudet, cùm filius ad honores magnos euehitur: quòd ipsi honores, in matrem quoque talis filij redundent; ita de ipsis beatis est iudicandum. Suauitas quæ ex amicorum sociorumque consuetudine in hoc mundo capitur, frequenter aliquâ amaritudine miscetur, vel ex moribus minùs aptis, vel ex verbo leuiùs inconsideratiúsque prolato, vel ex ęmulatione, si fortè alij nobis anteponantur; at in cœlesti beatitudine hæ imperfectiones omnes aberunt. De hac amicorum in cœlis consuetudine Sanctus Thomas docet, illam maximè conferre ad beatitudinem accidentalem, quia fœli-

Beatorum fœlicitas accidentalis.

1a. 2. q. 4. art. 8.

cissimum erit & maximè iucundum tantam amicorum multitudinem sociam habere, qui tam nobiles illustres, sapientes, pulchri, ac omni ex parte beati sunt, ad nos verò summa charitate & dilectione affecti. Quinimò ait S. August. nullam fore post visionem beatam æqualem huic fœlicitati.

Lib. 8. super Genes. ad literam, cap. 25. tom. 3.

Ad gloriam etiam accidentariam pertinent aureolæ, seu quasi paruæ coronæ aureæ, quæ gaudium significant accidentale ex aliquo insigni facto, & victoria singulari, quam in hac vita olim ipsi Beati, de Christi, suęque salutis hostibus, Carne videlicet, Mundo, Diabolo, Peccatis, &c. reportarunt. Tres autem à Theologis assignantur illæ aureolæ, tribus potissimùm insignioribus victorijs aduersùs tres pręcipuos eosque infensissimos hostes reportatis. Prima est Virginum, quæ de Carne triumpharunt: Secunda est Martyrum, qui Mundum per martyrium vicerunt: Tertia est Doctorum, qui de Diabolo per doctrinam & sapientiam victores quoque extiterunt. Et hæ aureolæ fuerunt in Exodo adumbratæ, vbi Deus iussit circa mensam propositionis fieri coronam auream altam quatuor digitis, & suprà eam rursùs alteram coronam aureolam: vt nempè maior corona esset symbolum primariæ & essentialis beatitudinis, minor verò gloriæ secundariæ & accidentalis: maximè verò in Virginibus, Martyribus & Doctoribus, vt dictum est. Ita innuit Glossa ad locum prędictum Exodi, ibi enim meminit Doctorum, ac Virginum, disertis verbis. Et S. Bonauentura citat Glossam illam, & interpretatur de tribus aureolis Martyrum, Doctorum & Virginum. Ita Ioannes Maior, Gabriel Biel, & nonnulli alij.

Tres aureolæ Beatorum explicantur.

Exod. 25.

In 4. dist. 33. q. 3. art. 2.

SECTIO XI.

De inæqualitate Beatitudinis.

ETIAMSI omnes Angeli & Beati in Cœlis diuinam intueantur essentiam, & in ea veluti in mundissimo speculo omnia quæ sunt, vbi elucent perfectiùs quàm in proprijs naturis; nihilominùs tamen non omnes pari modo parive gradu gloriæ eum vident. Ipsa quippè omnibus se exponit, sed non pariter, sicut res visibilis omnibus quidem exponitur videnda sub lucem, sed alij aliter vident, idque non defectu luminis, vel rei, sed ex propria cuiusque facultate visiua, quæ provt imbecillior vel robustior est, etiam deteriùs vel perfectiùs videt. Sic non omnes animæ, non omnes Angeli Beati

Inæqualitas beatitudinis in patria ostenditur.

pari modo Dei visione fruuntur, sed pro meritorum ratione, & diuersitate; nec-non maiore aut minore lumine gloriæ, quod eorum mentibus infunditur ad illas ad Deum ipsum videndum eleuandas. Et sic eorum fœlicitas inæqualis est.

Hæc autem assertio Catholica probatur: Primò multis Sacris Scripturæ auctoritatibus, vt apud Danielem: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates*, intellige si fecerint & docuerint. Ita apud Sanctum Matthæum legimus vni data fuisse quinque talenta, alij autem duo, & qui quinque acceperat, lucratus est alia quinque, & qui duo, lucratus est alia duo. Et apud eundem: *Quædam terra facit fructum centesimum, quædam sexagesimum, quædam trigesimum.* Et rursùm, Saluator promittit specialem ac peculiarem mercedem Apostolis dicens: *Vos qui reliquistis omnia & sequuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Et in Euangelio Sancti Ioannis aiebat Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Per hanc dictionem multæ, insinuat varios in cœlo beatitudinis & gloriæ fore gradus & ordines: quasi diceret suus cuiq; sancto in cœlo erit locus, sua cuique beatitudo, sua cuique gloria, sed pro meritis dispar. Vnde Glossa interlinearis mansiones multæ: *Hoc est* (inquit) *diuersa præmia meritorum.* Apostolus idem probat[a]: *Vnusquisque propriam mercedem recipiet iuxtà laborem suum.* Et iterùm [b] idem Apostolus: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, Stella enim differt à Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Ita in cœlis, aiunt Sancti Patres, alia est claritas & gloria Solis, videlicet Christi, alia Lunę, scilicet B. Virginis, & alia Stellarum, videlicet Sanctorum omnium: sicut enim differunt in meritis, ita & in premijs & coronis,

Dan. 12.
Matth. 25
Matth 13.
Matth. 19.
Ioan. 14.
a 1. Cor. 3.
b 1. Cor. 15.

Secundò eadem Catholica veritas auctoritate Sanctorum Patrum probatur: Ex Sancto Augustino libro de Sancta Virginitate: *Quamuis* (inquit) *denarius sit æqualis quem paterfamilias iubet dari operarys apud S. Matthæum, quia æqualitas hæc intelligitur ratione durationis, & beatitudo omnium futura est æterna, tamen in vna æterna vita diuersæ sunt mansiones meritorum, quæ significant diuersas dignitates & claritates, sicut alia est claritas Solis quam Lunæ, & Stella differt à Stella in gloria, & in Cœlo distinctè fulgebunt lumina meritorum.* Et rursum ait: *Fiat quidem per charitatem, vt quod habent singuli commune sit omnibus, sic enim quisquam etiam ipse habet, cùm amat in altero quod ipse non habet.* Et Sanctus Gregorius: *In multis mansionibus* (inquit) *erit retributionum diuersitas concors; quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit,* hoc se

Cap. 26 & Tract. 67. in Ioan.
Matth. 20.
Idem Aug. à Caetano in Ioan citatus. cap. 14.
Lib. 4 Moral. cap. 31.

hoc se accepisse in alio exultet. Et idem S. Gregor. *quia in hac vita est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, vt quo alius alium merito hîc superat, illic alius alium retributione transcendat.* Idem docent SS. Ambrosius, Chrysostomus, &c. *4. Moral. cap. 42.*

Tertiò probatur auctoritate Conciliorum. In Concilio enim Florentino, in litteris vnionis, hæc eadem veritas definita est; ibi enim dicitur animas iustorum clarè Deum vnum & trinum sicuti est, intueri, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectiùs. Et in Concilio Tridentino habetur mensuram beatitudinis, & gloriæ respondere mensuræ sanctitatis & meritorum. *Concil. Flor.* *Sess. 6. cap. 16. & Can. 32.*

Accedit ratio. Æquum est si quidem vt pro diuersa qualitate meritorum, & laborum; sit etiam diuersitas, & distinctio præmiorum: At merita & labores in præsenti vita sunt inæquales; ergo, &c. Id confirmat S. Paulus dum ait: *Non enim iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis.* His verbis facilè conjicere possumus, aliquam fuisse latitudinem, & diuersitatem in bonis illis operibus fidelium tunc temporis, sicut continuò accidit, & illos de quibus loquitur Apostolus, plus multis aliis laborasse. Et forsitan adhuc alios repertos fuisse, qui istis etiam plus laborarunt, & maiori atque ampliori cum merito. Cùm igitur manifestè constet eorum labores fuisse aut esse inæquales, per consequens etiam inæqualis fuit reddita aut reddenda merces & fœlicitas. Adde etiam rationi esse consentaneum, vt varij sancti qui in mundo diuersis viuendi institutis Deum coluerunt, peccataque sua, & vnigeniti filij Dei mortem seorsim (vt ait Propheta Zacharias) distinctis familiis planxerunt, ita in cœlesti patria diuersis honoribus afficiantur, & habitationibus distinguantur. *Hebr. 6.* *Zachar. 12.*

Porrò hæc inæqualitas gloriæ non solùm intelligi debet de beatitudine accidentali, & respectu eorum quæ sunt tantùm eminenter in Deo, quales sunt creaturæ & perfectiones creaturarum, rectè enim S. August. ait: *Qui te & alia nouit non propter illa est beatior, sed propter te solùm est beatus:* Verùm & accipi debet de beatitudine essentiali, vel respectu eorum quæ sunt formaliter in Deo: non quòd vnus Beatorum plura Dei attributa, & plures eius perfectiones formales videat quàm alter, id enim falsum, & maxima hoc sensu est omnium sanctorum æqualitas, omnes quippe Deum contemplantur & vident clarè sicuti est. At non viderent sicuti est, si foret aliquid formaliter in Deo quod ipsos lateret, nihil enim in Deo est, quod non sit Deus, sed inæqualitas gloriæ essentialis in hoc versatur, quòd natura diuina, cum tribus personis & omnibus attributis, clariùs cernatur subiectiuè ab vno quàm ab alio. Vt etiam innuit S. Thomas vbi expendit lo- *Lib. 5. Confess. cap. 4.* *1. Ioan. 3.* *1. 2. q. 5. art. 3.*

cum S. Augustini nunc citatum: *Qui te & alia nouit, non propter illa est beatior*, Supple beatitudine essentiali; *sed propter te solùm est beatus*. Confirmatur primò quia sola essentia diuina cum internis, & formalibus suis perfectionibus, est obiectum essentiale & primarium cœlestis beatitudinis; nec essentialis gloria, eiusve æqualitas, alio modo explicari potest quàm respectu obiecti primarij.

Confirmatur secundò ex comparatione pœnarum quas in inferno subeunt damnati, nam sicut illæ pœnæ non solùm accidentariò, sed respectu naturæ diuinæ, cuius visione priuantur, sunt inæquales; iuxta *Apoc. 18.* illud Apocalypsis: *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ita Beatorum gloria modo suprà explicato est inæqualis.

Et hinc satis apertè conuincitur falsitatis Iouinianus, qui vti censebat virtutes esse pares, sic & paria eorum fore præmia in cœlo. Ex hoc quoque confutatur Lutheri hæresis, qui in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, negat Deiparam esse aliis sanctis sanctiorem aut fœliciorem. Et illum satis conuincit vniuersalis Ecclesia, quæ canit ipsam beatam Virginem esse super omnes Angelorum choros exaltatam ad cœlestia regna; ipsamque eorum esse Dominam, atque cœlorum Reginam.

Exemplis illustratur beatitudinis inæqualitas. Solent sancti Patres huius inæqualitatis Beatitudinis in medium nonnullas similitudines maioris intelligentiæ gratiâ adferre, & vt ostendant hac nonobstante inæqualitate omnes beatos sua conditione, & sorte esse contentos.

Prima similitudo est accumbentium in conuiuio opiparè instructo, & abundanti omni genere ciborum: æquiparatur namque beatitudo Dei Cœnæ magnæ ad quam inuitat nos Dominus Pater-familias Deus, vt apud S. Lucam legimus. *Luc. 14.* Omnibus certè conuiuis æquè proponuntur fercula, omnibus patent escæ; videmus tamen ratione diuersitatis palati capacitatisque ventriculi neque omnes de omnibus, nec omnia attingere vel gustare, nec æquè omnes cibis repleri, omnes tamen æquè saturari: Sic pro diuersitate capacitatis cuiusque in cœlo, & gloriæ gradus distinguuntur, & quia alij aliis capaciores sunt; sic alij aliis beatiores. Et quia omnibus eadem beatitudo proponitur, omnes æquè fœlicitate propria contenti sunt. Vt omnes in cœna fiunt æquè saturi; ita quoque omnes pro intellectus capacitate gloriæ lumine informati intelligentia beati, sed alij aliis beneficio talis luminis intelligentia capaciores, & maiora atque altiora cognoscentes, maiori vi purgati & illuminati. Et hoc est quod *Lib. 1. de vita contemp. cap. 4.* disertè docet Prosper Aquitanicus: *Sicut corporalis saturitas* (inquit) *omnes saturos æqualiter habet, quamuis singuli cibum non æqualiter,*

ſed pro poßibilitate perceperint; ita omnes ſancti etſi fuerint aliqua graduum ſuorum diuerſitate diſtincti, vna beatitudine perfecti erunt, & vna perfectione beati futuri ſunt.

Secunda ſimilitudo deſumitur ex vaſis, & aqua quæ his hauritur: nam & ſcriptura diuina nos vaſis domus patris-familiæ comparauit, vt habet S. Paulus in Epiſtola ad Romanos. Et in ſecunda eius Epiſtola ad Corinthios legimus: *Nos theſaurum animæ & ſpiritus ſancti deferre in vaſis fictilibus.* Hauriunt ſinguli vaſis propriis ex mari magno, quantum continere ſingula poſſunt: ſed quia capaciora ſunt alia aliis, plenitudo etiam vnius excedit alterius plenitudinem; ſic in cœleſti beatitudine Angeli & animæ beatæ capaciores, beneficio luminis gloriæ pleniorem cognitionem & fruitionem Dei obtinent. Nec propterea eſt illic inuidia aliqua, aut ambitio, vel etiam ob aliorum maiorem gloriam æmulatio: ſinguli enim quantam optare & capere poſſunt, gloriam habebunt. Sicut igitur frater ſtatura breuior accepta à parente veſte aurea quæ ſuo corpori conuenit, non inuidet fratri proceriori veſtem ſimilem, ſed pro ſtatura longiorem, maioriſque pretij; neque iſtam ſibi cuperet oblatam tanquam minùs conuenientem. Et ſicut manus ornata annulis, gemmiſque, non appetit ornatum capitis, licet ſumptuoſiorem; & quemadmodum mater non inuidet filio diuitem Epiſcopatum, aut Sacerdotium, cuius ipſa non ex capax; ita ſancti ſuo ſinguli ſtatu contenti erunt, nec vnus de alterius honore aut gloria dolebit, ſed potiùs vehementiſſimè gaudebit.

Rom. 9.
2. Cor. 4.

Objicies primò æqualem mercedem reddi omnibus qui in vinea laborauerant (vt habetur apud S. Matthæum) quamuis alij tuliſſent pondus diei & æſtus, alij ſub veſperam veniſſent, datus enim fuit ſingulis idem denarius. Reſpondemus cum S. Thoma per denarium ſignificari obiectum beatitudinis ſeu beatitudinem obiectiuam quæ quidem vna, & eadem eſt in omnibus, quippe omnes vident eſſentiam diuinam, non autem ſignificari beatitudinem formalem & ſubiectiuam quæ eſt ipſa viſio, eſtque inæqualis in Beatis, iuxta inæqualia eorum merita. Et ſumma vnitas & ſimplicitas Dei in ſe non impedit quin diuerſis, & inæqualibus modis, à beatis cernatur, pro diuerſa ratione meritorum, & quantitate luminis gloriæ. 2. Reſpondemus ipſam parabolam docere inęqualitatem beatitudinis non peti ex maiori aut minori temporis ſpatio, quo quis laborauerit, ſed potiùs ex maiori diligentia & conatu, ſeu ex maiori charitate, ſępe enim accidit vt quis vna hora tãtum perficiat, quãtum alius per totam diem, aut per totam hebdomadam, vt ait Sapiens: *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Hoc igitur voluit docere Chriſtus, cùm dixit

Matth. 20.
1.2.q.5.art.2.
Explicatur parabola de operariis accipientibus denarium diurnum.
Sap. 4.
Epiſtola 29.

nouissimis datum denarium sicut primis, vt nos ita ad diligentiam hortaretur. Immò & possumus retorquere argumentum, siquidem Christus eo loco tandem concludit: *Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Vbi manifestè indicat disparitatem & inęqualitatem, vbi scilicet alij dicuntur primi, alij vltimi. Nec vrget quod eodem loco introducitur murmur quorundam qui ægrè ferebant alios sibi æquatos, quasi in Cœlo inter Beatos querimoniæ aliquæ futuræ sint quando omnes valdè contenti erunt. Sed hoc addidit Christus obiter vt haberet occasionem explicandi apertiùs totam quęstionem de meritis & pręmiis. Taceo quòd in parabolis non sunt omnia vsque adeò vrgenda, aut ad vnum referenda. Quemadmodum egregiè notat S. Chrysostomus, sed inquirendus pręcipuè status scripturæ sacræ, ac litteralis eius sensus, atque primarius finis, ac scopus respiciendus. Addunt aliqui denarium significare communem omnium lętitiam & satietatem, quatenus omnes simpliciter in cœlo contenti erunt, nec alter alteri inuidebit, vt iam suprà diximus.

Objicies 2. si natura diuina clariùs cernitur ab his, quàm illis; ergo videtur obscurè à quibusdam. Respondeo non sequi, omnes enim clarè vident, sed vnus clariùs, quàm alter, & claritas illa habet aliquos latitudinis gradus. Ad ampliorem autem intelligentiam cur omnes beati sua formali beatitudine, licet inęquali, contenti sint, nonnulli hanc reddunt rationem, quòd clara visio in quocumque gradu consideretur, verè sit supernaturalis diuiniquę ordinis, & habeat obiectum simpliciter infinitum; itaque in quolibet etiam gradu sufficit ad explendum rationalis creaturæ appetitum. Confirmatur hęc ratio, siquidem omnia prorsùs Angeli, vel hominis desideria, ex propriis viribus sunt solùm naturalia: atqui obiectum supernaturale antecellit innumeris obiectis naturalibus simul sumptis, si hęc actu dari possent: ergò facilè satiat omnem appetitum naturalem, pręsertim verò quando obiectum illud supernaturale est etiam simpliciter infinitum; (Quo sensu hic loquimur) omnesque continet perfectiones absque vllo defectu, & vlla vmbra vel specie mali, simulque clarè videtur sicuti est, nec videtur solùm ad tempus, sed in æternum; quemadmodum res se habet in beatis, qui certissimè sciunt se clara Dei visione nunquam priuandos.

In ęqualitas visionis non obstat, quominus inferior sit etiam clara.

Vndenam autem hæc proueniat fœlicitatis inęqualitas potissimùm, vel ex eo quòd intellectus vnius Beati sit sagacior & perspicacior quàm intellectus alterius, vel ex maiori aut minori lumine gloriæ, id Scholasticis Doctoribus discutiendum relinquimus, nè nostri instituti scopum excedere videamur.

SECTIO XII.

Quomodo ad fœlicitatem aspirare debeamus, quorundam exemplo, & potissimùm Nabuchodonosoris, Dauidis, &c.

CVM tot tantaque bona, tantaq; gloriæ corona, tot virtutum floribus, tot meritorum pretiosis lapillis, nec non fulgentissimo charitatis auro composita contextaque, (vt ostendimus) iuxta meritorum nostrorum proportionem, in cœlis nos maneant, non solùm in anima ante resurrectionem, sed etiam post illam in corpore: nobis superest vt ad æterna illa bona, & immarcescibilem gloriæ coronam, totis conatibus bonis nostris operibus, ac laboribus aspiremus, & tendamus: si enim homo cœlum non spectet, vt ad illud aliquando peruenire contendat, hominis nomine non satis dignus videtur. Hinc nonnulli ex Græcis voluerunt hominem dici à sursum aspiciendo, iuxta illud Poëtæ: *Quam enixe homo aspirare debeat ad cœlestem beatitudinẽ.*

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram, *Ouid. l. 1. Metamorph.*
Os homini sublime dedit; cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Exemplum de Nabuchodonosore habemus apud Danielem, qui *Dan. 4.* cùm bruti induisset formam, tunc humanam rursùs inducere cœpit cùm cælum spectauit, sic enim in sacro textu habetur: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi.* Dum igitur oculos in terram figeret, belluarum more incedebat, & pascebatur, vbi oculos in cœlum leuat, ad humanam formam redit. Quod expẽdens S. Hieronymus sic ait: *Nisi oculos leuasset in cœlum, sensum pristinum non recepisset.* Non meretur itaque hominis formam, nec figuram, qui cœlum cœlestiaque non spectat, & per bona opera ad æternam vitam, & coronam pulchritudinis, ac perennis gloriæ non studet peruenire. Ob eandem rationem ex Philone Iudæo colligimus non casu factum esse, vt in prima hominis molitione omnium primum Deus cœlum condiderit, & omnium postremum hominem, tanquam scilicet rerum terrenarum cœlum; in hoc enim docere nos voluit Deus, ne vlla ratione cœli memoriam abjiciamus, sed potiùs cœlo semper hereamus, tanquam cœlo nati, nam in circulo finis & principium se contingunt, & inter se aptantur. Id disertis verbis docet nos S. Ber-

nouiſſimis datum denarium ſicut primis, vt nos ita ad diligentiam hortaretur. Immò & poſſumus retorquere argumentum, ſiquidem Chriſtus eo loco tandem concludit: *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Vbi manifeſtè indicat diſparitatem & inęqualitatem, vbi ſcilicet alij dicuntur primi, alij vltimi. Nec vrget quod eodem loco introducitur murmur quorundam qui ægrè ferebant alios ſibi æquatos, quaſi in Cœlo inter Beatos querimoniæ aliquæ futuræ ſint quando omnes valdè contenti erunt. Sed hoc addidit Chriſtus obiter vt haberet occaſionem explicandi apertiùs totam quęſtionem de meritis & prẹmiis. Taceo quòd in parabolis non ſunt omnia vſque adeò vrgenda, aut ad vnum referenda. Quemadmodum egregiè notat S. Chryſoſtomus, ſed inquirendus pręcipuè ſtatus ſcripturæ ſacræ, ac litteralis eius ſenſus, atque primarius finis, ac ſcopus reſpiciendus. Addunt aliqui denarium ſignificare communem omnium lętitiam & ſatietatem, quatenus omnes ſimpliciter in cœlo contenti erunt, nec alter alteri inuidebit, vt iam ſuprà diximus.

Inæqualitas viſionis non obſtat, quominus inferior ſit etiam clara.

Objicies 2. ſi natura diuina clariùs cernitur ab his, quàm illis; ergo videtur obſcurè à quibuſdam. Reſpondeo non ſequi, omnes enim clarè vident, ſed vnus clariùs, quàm alter, & claritas illa habet aliquos latitudinis gradus. Ad ampliorem autem intelligentiam cur omnes beati ſua formali beatitudine, licet inęquali, contenti ſint, nonnulli hanc reddunt rationem, quòd clara viſio in quocumque gradu conſideretur, verè ſit ſupernaturalis diuiniquẹ ordinis, & habeat obiectum ſimpliciter infinitum; itaque in quolibet etiam gradu ſufficit ad explendum rationalis creaturæ appetitum. Confirmatur hęc ratio, ſiquidem omnia prorsùs Angeli, vel hominis deſideria, ex propriis viribus ſunt ſolùm naturalia: atqui obiectum ſupernaturale antecellit innumeris obiectis naturalibus ſimul ſumptis, ſi hęc actu dari poſſent: ergò facilè ſatiat omnem appetitum naturalem, pręſertim verò quando obiectum illud ſupernaturale eſt etiam ſimpliciter infinitum; (Quo ſenſu hic loquimur) omneſque continet perfectiones abſque vllo defectu, & vlla vmbra vel ſpecie mali, ſimulque clarè videtur ſicuti eſt, nec videtur ſolùm ad tempus, ſed in æternum; quemadmodum res ſe habet in beatis, qui certiſſimè ſciunt ſe clara Dei viſione nunquam priuandos.

Vndenam autem hæc proueniat fœlicitatis inęqualitas potiſſimùm, vel ex eo quòd intellectus vnius Beati ſit ſagacior & perſpicacior quàm intellectus alterius, vel ex maiori aut minori lumine gloriæ, id Scholaſticis Doctoribus diſcutiendum relinquimus, nè noſtri inſtituti ſcopum excedere videamur.

SECTIO XII.

Quomodo ad fœlicitatem aſpirare debeamus, quorundam exemplo, & potiſsimùm Nabuchodonoſoris, Danidis, &c.

CVM tot tantaque bona, tantaq; gloriæ corona, tot virtutum floribus, tot meritorum pretioſis lapillis, nec non fulgentiſſimo charitatis auro compoſita contextaque, (vt oſtendimus) iuxta meritorum noſtrorum proportionem, in cœlis nos maneant, non ſolùm in anima ante reſurrectionem, ſed etiam poſt illam in corpore: nobis ſupereſt vt ad æterna illa bona, & immarceſcibilem gloriæ coronam, totis conatibus bonis noſtris operibus, ac laboribus aſpiremus, & tendamus: ſi enim homo cœlum non ſpectet, vt ad illud aliquando peruenire contendat, hominis nomine non ſatis dignus videtur. Hinc nonnulli ex Græcis voluerunt hominem dici à ſurſum aſpiciendo, iuxta illud Poëtæ: Quam enixe homo aſpirare debeat ad cœleſtem beatitudinē.

Pronaque cùm ſpectent animalia cœtera terram, Ouid. 1. Metamorph.
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Exemplum de Nabuchodonoſore habemus apud Danielem, qui cùm bruti induiſſet formam, tunc humanam rursùs inducere cœpit cùm cælum ſpectauit, ſic enim in ſacro textu habetur: *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo benedixi.* Dum igitur oculos in terram figeret, belluarum more incedebat, & paſcebatur, vbi oculos in cœlum leuat, ad humanam formam redit. Quod expēdens S. Hieronymus ſic ait: *Niſi oculos leuaſſet in cœlum, ſenſum priſtinum non recepiſſet.* Non meretur itaque hominis formam, nec figuram, qui cœlum cœleſtiaque non ſpectat, & per bona opera ad æternam vitam, & coronam pulchritudinis, ac perennis gloriæ non ſtudet peruenire. Ob eandem rationem ex Philone Iudæo colligimus non caſu factum eſſe, vt in prima hominis molitione omnium primum Deus cœlum condiderit, & omnium poſtremum hominem, tanquam ſcilicet rerum terrenarum cœlum; in hoc enim docere nos voluit Deus, ne vlla ratione cœli memoriam abjiciamus, ſed potiùs cœlo ſemper hæreamus, tanquam cœlo nati, nam in circulo finis & principium ſe contingunt, & inter ſe aptantur. Id diſertis verbis docet nos S. Ber- Dan. 4.

Serm. 5. de omnibus sanctis. nardus, dum nostram acriter reprehendit vecordiam, quòd crebris suspiriis, & feruentissima affectione, ac tota auiditate in cœlum, atq; beatos in eo existentes corda nostra non vibramus, & in eorum tam fœlicia agmina nostras iaculari animas nō studeamus. Et posteà conceptis verbis subdit; *Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato gentium quas Apostolus* (ad Rom.1.) *memorat sine affectione fuisse, præstolatur nos Ecclesia illa primitiuorum, & negligimus; desiderant nos sancti, & parui pendimus; expectant nos iusti, & dissimulamus: excitemur aliquando fratres, desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum.* Hæc S. Bernardus. His ergo verbis ostendit quanto desiderio, ad campos illos æterno virore virentes tendebat, & quantum pariter nos ad eosdem aspirare cōtinuò debeamus, vt ibi fruamur aura suauissima, quæ perflat amœnissimos hortos Dei. Nam omnia ex puncto ad punctum naturaliter redire cupiunt, nec antequam redierint vnde orta sunt, quiescunt. Ex mari oriuntur omnia flumina, & ad illud rursum conti-

Ecclesiast. 1. nuo motu redeunt: *Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; quasi renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem,* vt habet Ecclesiastes: Ita anima à Deo omnium bonorum Pelago orta, ad illud tanquam ad punctum & vltimum terminum ac finem infinitum redire exoptat, nec quiescit donec ad immensum illud mare, & primum suum principium redierit, & tanto bono increato potiatur. Ad hoc principium, & finem vltimum continuò anhelabat, & appe-

Psal. 41. tita aspirabat, & tendebat Psaltes Regius, ait enim: *Quemadmodum desiderat ceruus, &c. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c.* ceruus natura sitibundus, cursus dum venatores & canes fugit, incendit magis, & ideò ad fontem sitibundus festinat; ita dum viam virtutum & mandatorum Dei, vt olim idem Psaltes, percurrimus, & Dæmones tanquam venatores, & rabidi canes nos persequuntur, instar cerui ad Deum, tanquam ad vitæ æternæ fontem peruenire festinamus, cogitationesque nostras non alibi quàm in cœlo defixas habemus, aut saltem habere debemus; iuxta Apostoli monitio-

Ad Col. 3. nem dicentis: *Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram, nostra enim conuersatio in cœlis est qui sumus conciues sanctorum &*

Ephes. 2. *domestici Dei.* Sanctus Carolus Boromeus Cardinalis sancti Theodori Archiepiscopus Mediolani, est ipsum Dauidem, B. Paulum, & alios in desiderio fontis æternæ vitæ imitatus, dum inter sua symbola à Iacobo Typotio relata ceruum sitibundum ad fon-

Lib. 1. pag. 49. tem currentem repræsentauit cum hac inscriptione: *Vna salus;* vt hoc symbolo innueret, se continuò cum psalte Regio, ad

Deum ipsum æternæ vitæ authorem, & fontem anhelare, & totis viribus currere, quòd quemadmodum fons est vna salus ceruo ità illi & omnibus nobis vna salus est Deus. Et verè dixit; fons enim omnis boni Deus est, & nunquam satiatur mens hominis vllo bono nisi summum illud bonum adepta.

His ergo omnibus prælibatis de æterna beatorum fœlicitate, ac floridis, aureisque eorum coronis, tot meritorum lapillis exornatis: super est vt aperiamus quibus vijs ad tot tantaque sempiterna bona & incomparabiles delicias, ad quas tendimus, peruenire valeamus. Nam (vt verum fatear) vitam quam hic ducimus, nihil aliud est quàm via quędam, ac medium, ad illam beatam vitam atque immortalem. Quapropter omnes suos conatus huc conferre debet vnusquisque nostrum, vt à beata illa vita non excidat, ne frustrà in hoc mundo constitutus, nec suæ procreationis finem assequutus videatur. Non aliæ autem quęrendæ sunt viæ pręter illas quibus incessit Christus, quò ad Patrem suum æternum perueniret, quæ quidem, vt docent SS. Patres & potissimùm qui de mystica disseruerunt Theologia, tres numero sunt iuxtà triplicem vitam, scilicet Passionis, Actionis, & Contemplationis. De his ergo sequentibus dicemus Sectionibus.

Quibus vijs ad beatitudinem tendere debeamus.

SECTIO XIII.

Quibus vijs Christus ad Patrem suum Æternum peruenit, ijsdem vt ad illum quoque perueniamus, incedere debemus.

DE prima via qua Christus Patrem suum adiuit, & qua ad eius imitationem incedere debemus est præsenti Sectione dicendum. Ipsa autem est via Passionis per quam toto vitæ suæ curriculo incessit, ab infantia àd mortem vsque, quia vt habetur apud S. Lucam: *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Vnde Tertullianus expendens illud quod dicitur de Christo post Resurrectionem fauum mellis comedisse, hæc habet: *Christus fauos post fella gustauit, nec antea Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum præscriptus in Cruce, minoratus primùm à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus!* Atque in huius rei figuram, vt obseruauit idem Tertull. *Iacob Patriarcha bene-*

Via passionis ad beatitudinem.

Luc. vlt.

Lib. de Corona militis, c. 14.

Lib. de Bap. cap. 8.

dictionem filijs Ioseph decussatis manibus hoc est in crucis formam positis, impertiuit, vt in Genesi habetur, vt videlicet intelligeremus benedictionem nonnisi per crucem haberi posse. In typum etiam eiusdem rei in superiora Templi Salomonis tabulata, per cochleam ascendebatur. Quod idem de Ezechielis templo dicitur, his verbis: *Platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum*, quo significatur in cœlum nonnisi per tortuosam laborum viam ascendendum esse. Et ideò postquam cum Discipulis suis cœnauit Christus, & suam imminere Passionem agnouit, dixit eis: *Vado ad eum qui me misit*, hoc est; per Passionem meam citò instantem pergo ad Patrem meum. Et profectò opus erat, vt ipse Christus hac Passionis & dolorum viâ incederet, vt ad Patrem & fœlicitatem quæ iure ei debebatur perueniret, nam ob peccatum primi parentis reseratum erat cœlum, & nulli patebit ingressus, ni ille sua Passione & Morte aperuisset. Aduertendum itaque quæsitum fuisse aliquem in cœlo, in terra, & subtus terram, qui pretio persoluto portam cœli reseraret, & nemo potuit reperiri, nec pretium ab vlla vel mortali vel immortali creatura persolui. Et ideò Deus ipse infinitæ maiestatis; & dignitatis, in pretium se offerre voluit. Haberi poterant opes huius terræ, Sol, Luna, sydera, ipsique cœlestes orbes, quæ omnia cùm in hunc finem à Deo producta essent, vt homini ad æternam salutem consequendam adiumento essent, meritò debuissent in hoc negotio consumi. Sed dignum & æquale non erat pretium, opus fuit re infinita, Sanguine, Passione, & Morte Dei infiniti. Quocircà si gloria cœli nonnisi infinito merito comparari potuit, hoc est nonnisi Morte Filij Dei, &, si tanti Deus ipse illam æstimauit, vt seipsum pro ea tibi comparanda obtulerit, ac donarit, nonne magnum quidem, & eximium vitam æternam esse existimare debemus, & ad illam cunctis bonis operibus aspirare, vt ad ipsam tandem perueniamus? Hinc Sanctus Augustinus: *Nequaquam ad regnum cœlorum se peruenire iudicet, qui hic in area trituræ non contunditur tribulatione, nec membra Christi se iudicent qui caput eius spinis coronatum in passionibus non sequuntur!* Et S. Hieron. *Vis*, inquit, *regnare cum Christo! patiaris cum Christo; si Dominum Christum oportuit pati, quam fiduciam nos habebimus intrare sine labore? ô quam stulti sumus! volumus hic cum sæculo gaudere, & post cum Christo regnare*: Quasi diceret, non sic fiet: Et subdit, *Nam Dominus ingreditur nudus, seruus superfluitate vestium auro & gemmis intextarum onustus intrabit?* quasi dicere non. *Ille ieiunijs, & iste crapula & luxuria plenus; ille in cruce pro nobis moriens, & iste in lecto delicato dormiens*; quasi dicere, non sic itur in cœlum

Genes. 4.

Ezech. 41.

cœlum, cum Christo regnatum. Ita S. Hieron. Ad hoc institutum egregiam proponit similitudinem Philippus Diez in sua summa prędicantium: *Si domum*, inquit, *mercatoris ad aliquid emendum pergis, & ab eo quæris quanti stet vlna panni, respondet ipse duobus aureis nummis, rursus ei dicis, eia Domine minore pretio illum dabis, ille autem*, inquit, *amice ito in domum filij mei; habitat enim hic propè me, & interroga eum quo pretio hunc eundem pannum ei vendiderim, & certò scies illum mihi hoc quod à te peto, pretio pecuniam numerasse: Quod cùm ita sit mirari non debes me hoc à te pretium postulasse. Sic æternus Deus nobis gloriam eo pretio quo filio suo illam dedit, elargitur. Quærite ô homines (inquit Pater Æternus) ab vnigenito Filio meo, apud me enim habitat (Et verbum erat apud Deum) quærite inquam, quo pretio gloriam, suo innocentissimo corpori emit, & ipse vobis respondebit, oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Si ergo Christus verus Deus ieiunauit, si orauit, si iniurias pertulit, si calamitatum angustijs vndique afflictus, & vulneribus affectus, mortem acerbissimam tolerauit, quare nos voluptatibus ducemur, delicijs diffluemus, & labores honestos repudiabimus? Dum igitur se se occasiones offerunt, debemus quoque ad eius imitationem quæcunque aduersa pati, quæ tamen comparatione tantæ gloriæ ad quam nos vocat, pauca sunt, vel nulla; iuxtà id quod habet Apostolus: *Non sunt condignæ passiones, &c.* hoc est nihil tam graue cuiquam in hac vita inferri potest, aut à quoquam sustineri, quod dignum sit æterna gloria. Quò maioris pretij res est & momenti, eo maiori labore molestijsque digna censetur. Sunt qui ferrum patiãtur & ignes, vt vel præmia consequantur, vel commodis & emolumentis quibusdã fruantur. De bonis igitur vitæ ęternæ affirmat Scriptura, quòd tanta sunt, vt nullus vnquam fuerit in hac vita labor, nulla molestia, nulla afflictio, nulla pœna quam non cumulatissimè compensent ac remunerentur: Multa passi sunt Martyres, Sanctus Bartholomęus fuit excoriatus, Sanctus Stephanus lapidatus, Sanctus Laurentius super craticulam positus, & igne crematus; sic alij plura & diuersa subiere tormenta: at tot aduersa & passiones simul sumpta, nullâ ratione tanta gloriâ digna sunt, ipsa pretium omne superat ita vt etiamsi pro ea obtinenda vitam sanguinemque profundas, nihil satis ea dignum pręstes. Et certè ipse Sanctus Paulus quantos labores, & molestias perpessus fuerit, quamque parui eas pro bonis illis immortalibus ęstimauerit, in Epistolis suis declarat, probè enim nouerat quòd qui diuitijs commoditatibusque carnis affluunt, nullisque premuntur aduersitatibus, illis metuendum est, ne bona sua opera, hoc fœlici rerum omnium successu compensentur; sed qui

Diez verbo Beatitudo.

Ioan. 1.

Luc. 24.

Rom. 8.

calamitatibus vrgetur, & in hoc mundo vexatur, is gaudere debet, quia ipsi merces bonorum operum copiosa in cœlis conseruatur, vt Christus Apostolis aiebat, postquam de eorum futuris persecutionibus eos monuit: *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Vnusquisque ergo nostrum huius cœlestis patriæ iter agens, non solùm cogitatione, & crebra commemoratione, sed summa patientia, & animi constantia, omnes huius vitæ molestias & difficultates superans, & quasi exorbens, non aliter se gerat, quàm nobilis qui ex longa, difficilique peregrinatione, pedes domum reuertens, eminus arcem suam in monte conspicatur; hic enim cogitans paulò post occursuram cum liberis & familia vxorem, in amplexus ruituram, sedem, mensam, epulas, cœteráque omnia corporis animęque oblectamenta propositurum, nihilq; defuturum commoditatis, opum, honorum, &c. in itinere fortiter & animosè decurrendo, alacriter progreditur, vím sibi facit, atque adeò etiam comites certa futurorum bonorum ostentatione animat, atque impellit: si quæ in itinere occurrunt, cœcis quasi oculis transit, & futurarum commoditatum consolatione, facilè contemnit; ita affectos esse illos conuenit, qui beati esse volunt; vt magno & inuicto animi robore, superatis omnibus impedimentis, & difficultatibus, ad illam gloriam contendant; propter quam in lucem editi, & per Christum à morte sempiterna vindicati fuerunt.

Matth. 5.

Itaque necesse est vt vel corporaliter ad Christi & sanctorum Martyrum imitationem patiamur, vel in mente passiones eiusdem Christi sedulò meditemur, iuxta illud quod dixit sponsa in Canticis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur;* Vbi dicit glossa, *Fasciculus myrrhæ est congeries passionum ex multis colligata, qualem fasciculum anima deuota sibi colligit, quando singula quæ Christus passus est, recolit, & inter vbera sua, id est in cordis sui memoria reponit, ne vnquam ab ipsa memoria excidant.* Hunc fasciculum sibi collegit S. Bernardus, super Cantica vbi ait: *Ego fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei; primùm videlicet infantilium istarum necessitatum, deindè laborum quos pertulit, prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum; sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis sylua Euangelica copiosissimè noscitur protulisse.* Hæc S. Bernardus.

Cant. 1.

Serm. 43.

SECTIO XIV.

De duabus postremis viis quibus Christus ad Patrem suum peruenit. In quo illum imitari debemus.

SECVNDA via qua Christus ad Patrem suum peruenit, est via Actionis, per quam quidem etiam Christus toto vitæ suæ curriculo incessit, & specialiter à tempore suæ prædicationis, vt ex S. Ioannis Euangelio colligi potest. Et nulli dubium est, quin anteà quoque multa bona opera exequutus fuerit, quamuis id scriptum non sit, iuxta eiusdem S. Ioannis verba: *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS, *quæ si scribantur per singula, non ipsum arbitror mundum capere posse eos qui sunt scribendi, libros.* Cucurrit etiam per hanc viam Actionis, opera misericordiæ corporalia exercendo, scilicet infirmos curando, mortuos suscitando, esurientes pascendo, &c. Eâdem viâ pariter incedere debemus, si ad Dei montem ascendere exoptemus. De quo quidem monte aiebat Dauid: *Quis ascendet in montem Domini, &c.* Et iterùm: *Mons Dei, mons coagulatus, mons pinguis.* Quomodo autem anima sancta, & deuota per viam actiuam ad Dei claram visionem perueniat, pulchram habemus in Genesi figuram, vbi legimus Patriarcham Iacob septem annis Laban inseruiisse pro Rachel, sed primò Liam ei fuisse traditam ante Rachelem, quæ iunior & pulchrior erat. Iacob idem significat ac supplantator, & quemlibet fidelem, & sanctam animam nobis designat, quæ supplantat vitia, & quæ primò debet accipere Liam, quod idem est ac laborans vel laboriosa, quia debet priùs in vita actiua laborare, exercendo opera misericordiæ corporalia, verbi gratiâ pauperes cibando, & pascendo, sitientes potando, nudos operiendo, infirmos visitando, captiuos liberando, & alia eiusmodi opera sancta peragendo; tum his peractis ei licebit cum Rachele matrimonium inire, hoc est ad Dei visionem peruenire, nam Rachel significat, videns principium vel Deum; quia fidelis quilibet per vitam actiuam ad suum peruenit principium vnde exiuit, ad Deum videlicet clarè videndum. Ideò sponsus nempè Christus, in Canticis ipsum fidelem, seu animam sanctam inuitat dicens: *Surge propera amica mea, & veni.* Surge, inquit, à torpore & desidia; propera, per actionis viam, ad bonorum operum, & sanctarum virtutum exercitia, & veni, sequendo mea vestigia. Audiens ergo

Via Actionis in cœlum.
Ioan. vlt.
Ioan. vlt.
Psal. 23.
Psalm. 67.
Gen. 29.
Cant. 2.

Cant. 3. hæc ſponſa, ſcilicet deuota & fidelis anima, ſponſi ſui Chriſti tam gratã dulcemq; inuitationẽ, dicit; *Surgam*, ſcilicet à lectulo torporis & commodi corporalis, *& circuibo ciuitatem*, per viam piæ actionis; Et ſic tandem inueniens dilectum dicit: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, &c.*

Via contemplationis, qua in Paradiſum itur. Tertia via per quam Chriſtus ad patrem ſuum peruenit, eſt via contemplationis, & per eam inceſſit ab inſtanti conceptionis ſuæ, & fuit ſtatim non ſolùm contemplator, verum etiam comprehenſor, cuncta ſiquidem videbat in verbo, quæ ipſum verbum videt, quoad numerum ſcitorum, non quoad ſciendi modum, qui cùm ſit infinitus, animæ Chriſti quæ creata erat, quanquam verbo vnita, conuenire non poterat. In hac etiam contemplationis via poſitus ipſe Chriſtus, vt homo ſæpè in oratione pernoctauit in monte, ab omnium hominum ſtrepitu ſemotus, & hanc eandem viam in ſua Aſcenſione conſummauit, & perfecit; perueniendo ad ſui motus terminum. Per hanc etiam viam fidelis ac deuota anima debet incedere, ſi ad ſuum terminum peruenire intendat. Quidam enim celeberrimũs Doctor notat viam hanc contemplationis Dei & rerum diuinarum eſſe primariam & Regiam, quæ ad metam & ſcopum intentum, videlicet Beatitudinem, nos inducit, & quæ alias omnes vias ſua virtute continet; & proindè neceſſe eſt, vt ad illam intentio noſtra aſſiduè dirigatur, in eaque immobiliter firmetur, quantum humana poteſt permittere infirmitas, ſi tandem ad Dei æternam contemplationem & fruitionem peruenire velimus. Hanc doctrinam eſſe Chriſti conſtat in Euangelio, de duabus illis ſanctis ſororibus Martha & Maria apud S. Lucam: *Martha, Martha* (aiebat) *ſolicita es & turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Intelligis hoc? Actio habet ſolicitudines, habet & perturbationes, ideo vix fieri poteſt vt admixtam non habeat immunditiam; contemplatio autem tota pura eſt, tota quieta, tota munda, in Deo namque puriſſimo, quietiſſimo, & mundiſſimo tota eſt recollecta, vnde via illa contemplatiua cella eſt vinaria, in quam Rex cœleſtis animam deuotam introducit, vt in Canticis Canticorum legimus: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* In qua quidem ipſa pretioſiſſimo charitatis & amoris Dei vino inebriatur; vnde ſubditur: *Ordinauit in me charitatem*, vt videlicet primò illum diligerem & res cœleſtes ac ſpiritales; tum proximum, & terreſtria, moderatè tamen.

(Luc. 10. — Cant. 2.)

Via in cœlum per contemptum rerum terrenarum. His tribus viis alias duas ſuperaddimus, quæ aptiſſimæ quoque ſunt ad nos in cœlum conducendos. Prior eſt contemptus, pro Dei amore, omnium rerum terrenarum, diuitiarũ, honorum, vanitatum,

& quicquid mundani homines magniducunt. Si enim ista omnia flocci pendamus, & contrà summo studio prosequamur ea quæ Christus Dominus complexus est, & commendauit, videlicet castitatem, vitæ asperitatem, alterius voluntati & iudicio obedientiam, humilitatem, patientiam, & alias virtutes, viæ illæ paratissimæ erunt quibus ad æternam vitam perueniemus. Posterior sunt virtutes Theologicæ, fides videlicet, spes, & charitas, provt benè nouit Ioannes Paulus Sfortia Marchio Carauatij, frater Ducis Francisci Mediolani, referente Boold in suo symbolorum libro, dum in aliquo ænigmate arcum extensum cum sagitta in cœlos destinata describi voluit, cum hac inscriptione: *Sic itur ad astra*; quasi diceret, si emittatur sagitta, sursùm fertur & ad astra tendit. Huius exemplo Mysta, & se & quemuis ad astra ire, id est extremum beatitudinis scopum adire posse, significat. Vt autem in arcu vis requiritur, quo iaculum, seu sagitta emittitur, & sagitta sic concinnari debet vt facilè sursùm ferri possit; ita etiam animus hominis vim, studium, & diligentiam requirit, vt ad sublimia & diuina pellatur, ac summi boni compos fiat: ipse denique animus ita compositus esse debet, vt à cœteris adiutus cœlestia facilè assequatur. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quæ autem ista sint, arcus & sagittæ forma ostendit. Inprimis enim basi & fundamento opus est cui sagitta innititur, videlicet chorda & arcu; deinde vis humana quæ arcum, & chordam ita extendat, & diducat, vt spes sit scopum propositum attingi posse, requiritur: ac postremò sagittam alis & mucrone instructam esse oportet, vt facilè optatum scopum feriat. Vt verò ista desiderantur, si quis sagittam in sublime emittere velit; ita istorum exemplo, tria, si animus cœlestia petere velit, videlicet fides, spes, & charitas, sunt necessaria: fides enim fundamentum salutis est, ac arcu & sagitta designatur; spes ipsorum extentione; charitas verò alis & mucrone ipsius sagittæ, quæ animum hominis leuem & penetrantem facit, vt facilè cœlestia adire & assequi possit. Hæc Boold vbi suprà.

Via per virtutes Theologicas in patriam.

Boold pag. 154.

Matth. 11.

His omnibus viis incessit S. Paulus, qui vt habetur in Epistola ad Philippenses, omnia arbitrabatur vt stercora, & in tribulationibus suis gaudebat, ac gloriabatur: *Mihi* (inquit scribens ad Galatas) *mundus crucifixus est*; Hoc est, quemadmodum viatores carnificinam aliquam prætergredientes à cadauere cruci & patibulo affixo adhuc fœtente, nares faciemque auertunt, & ne fœtore lædantur, festinanter transeunt; ita mihi abominationi est mundus, à quo satius multò fuerit cogitationes animumque auertere, ne noceat,

Ad Philipp. 3.

Ad Gal. 6.

Rr iij

S. Bernard. in Epist. quàm eius voluptatibus recreari. Suffragatur B. Bernardus in quadam sua Epistola: *Fugite de medio Babylonis, fugite, & saluate animas vestras, periclitatur castitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo.* Hæ sunt ergo viæ quibus ad Christi & sanctorum imitationem incedere debemus, vt ad beatam & æternam vitam peruenire valeamus.

Ad illas ergo cum festinatione percurrendas vias nos monet Apostolus in Epistola sua ad Hebræos, vbi postquam narrauit quæ in deserto acciderunt Iudæis ad terram promissionis iter facientibus, quòd videlicet mortui sint propter incredulitatem, priusquam ad terram illam repromissam peruenirent, ait: *Festinemus igitur intrare in illam requiem, ne in idipsum quis incidat infidelitatis exemplum;* quasi diceret, attendite & cauete ne propter pigritiam vestram vel incredulitatem inanis sit labor vester, & idipsum vobis contingat ad cœlestem beatitudinem per bona opera tendentibus, quod Iudæis post multos itinerum labores euenit in deserto: *Nam* (ait Chrysost.) *maxima parte itineris perfecta cùm ad ipsa limina peruenissent, & ad portum ipsius terræ promissæ appulissent, demersi sunt; hoc etiam in vobis* (inquit) *timeo, nemo igitur pusillanimis sit, neque termino iam proximus, animo desponso cadat.* Vt autem idem Apostolus exemplo suo nos ad festinandum impelleret, ait: *Ego igitur sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vbi Chrysostomus: *Cursu,* inquit, *opus est, & cursu valido, qui currit neminem occurrentem sibi videt, siue per prata siue per aspera loca transeat: qui currit non ad spectatores attendit, sed ad palmam, qui currit nunquam consistit, nam si vel modicum negligat, totum amittit. Sic ergo nos currere debemus ad cœlestem patriam.*

Hebr. 4.

Quomodo in via salutis currere debeamus.

Hom. 7. in Epistolā ad Hebr.

1. Cor. 9.

Hom. 7. supra Epistolam ad Hebr.

Nec solùm Apostolus suum nobis proponit exemplum, vt festinemus ingredi in requiem & beatitudinem repromissam, sed etiam adducit exempla Sanctorum, & antiquorum Patrum: *Qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones,* Et cætera quæ ipse commemorat. Et post subdit: *Ideóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem* IESVM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Vbi exempla sanctorum nu-

Hebr. 12.


bem vocat testium, quia sicut dicit Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos, memoria illorum sanctorum, sicut nubes inflammans ex radio igneo, sic animam malis oppressam excitat & recreat. Deinde nubes testium vocatur, quia non solùm in nouo testamento fuerunt illi testes, sed etiam in veteri, vt tres pueri, Helias, omnes Prophetæ & alij multi. Et quo magis cursus & tempus percipiendi coronam scimus appropinquare, eo magis festinare debemus, & cursum inceptum firmiter perficere, ad Apostoli imitationem qui ad Timotheum hæc ait: *Ego iam delibor & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.*

Hom. 28.

2. Ad Tim. 4.

Atque hæc de Spiritibus Creatis ad honorem & gloriam Præpotentis Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ædificationem scripta sint; ipsiusque Sacro-sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis iudicio & correctioni submissa sunto.

FINIS.







INDEX ALPHABETICVS RERVM

MEMORABILIVM QVÆ IN

Tractatu de Anima continentur.

Numerus paginam indicat.

A.



Actus eliciti & impera-ti. pagina 69
Agricolæ mali in animæ vinea non laborantes, regno Dei priuantur. 156
Agri animæ sator & semen. 166
Ager animæ cùm sit voluntarius, potest Deo auxiliante fructum ferre. 219
Animæ nomen variè sumitur. 1.2
De animæ rationalis origine opiniones diuersæ. 3.4
De animæ origine vera sententia. 5
Animæ filiorum citiùs infunduntur, quàm filiarum, & quomodo. 7
Anima est verè spiritualis forma corpus informans. 9
Animam immortalem destinauit Deus corpori mortali, & cur. 10.11 &c.
Anima existit in corpore quod informat, & quomodo. 12
Anima qua in parte corporis præcipuè resideat. 14
Animæ pulchritudo ex Dei imagine prouenit. 25
Anima nostra est speculo similis. 33
Animæ definitio explicatur. 36.37
Animæ descriptio à Cæsare Ripa, &c. 39.40
Anima est immortalis 40
Animæ immortalitatem negantes, verè cæci fuerunt. 41
Animam esse immortalem quidam Ethnici docuerunt. 42.43 &c.
Animæ immortalitas ex Scriptura ostenditur. 46.47.&c.
Animæ immortalitas ex SS. Patribus & Conciliis probatur. 49.50
Animæ immortalitas rationibus probatur. 52.53
Animæ immortalitatem indicat libertas in homine. 59
Anima senio fatiscēte corpore, magis viget 60
Animæ immortalitatem negantes, sibiipsis hostes sunt. ibidem.
Animæ separatæ, quandóque apparuerunt. 61
Si anima cum corpore interit, frustra bona opera, &c. ibid.
Animæ immortalitatem arguit, iniquos non puniri in hoc sæculo. 62
Animæ facultates sunt tres. 64
Animæ facultates quomodo ab ipsa anima & inter se distinguantur. 93
Animæ pulchritudo supernaturalis in quo consistat. 98
Animæ decor supernaturalis ex Canticis demonstratur. 101
Animæ pulchritudo supernaturalis est similis palmæ. 104
Animæ pulchritudinem refert oliua. 105
Animæ sanctæ symbolum est rosa, quæ eius decoris figura est. 108
Animæ sanctæ decor in lilio, & eius proprietatibus figuratur. 109
Animæ sanctæ prudentia lilij odore designatur. 112
Anima sancta malo punico seu granato comparatur ob illius fructus pulchritudinem. 114
Anima est Dei templum, & quomodo. 117
In anima nihil turpe, & indecorum reperiri debet. 118
Anima non debet idolis hoc est vitiis impleri. 119
Anima per peccatum mori dicitur, & quo-

modo. 121
Animæ deformitas ob peccatum. 125
Animæ peccatricis corruptio & fœditas ostenditur. 129
Anima ob fœtorem peccati, à Deo procul abiungitur. 130
Animæ deformitas, corruptio & fœditas sunt per pœnitentiam delendæ. 134
Anima nostrâ nihil excellentius habemus. 137
Animæ nostræ salutem quibuscumque bonis externis præ ferre debemus, cùm sit vnica. ibid.
Animæ nostræ & eius salutis curã ad Christi imitationem habere debemus. 143
Anima vineæ comparatur. 146
Animæ vineam demoliuntur vulpes, hoc est Dæmones. 148
Anima nostra est quasi vinea custodienda, & quomodo. 149
Animæ vinea est excolenda, rescindendo superflua, noxia, &c. 152
Anima nostra quasi vitis inutilis est, nisi bonorum operum vuas producat. 154
Animæ negligentis status quis. 155
In animæ vinea laborare quid sit. 160
Anima nostra est ager excolendus. 164. 166
In anima idem sunt fames, & sitis. 165
Eadem anima est vinea, ager, oliuetum, hortus, &c. & quomodo. ibid.
In animæ agro seminat Dæmon, & quodnam semen. 170
Anima nostra est quasi terra à solicitudinum voluptatum, &c. spinis purganda. 196
Anima discessum à corpore abhorret. 143
Anima per separationem amittit facultates organicas, non tamen facultates spirituales. ibid.
In anima separata an maneant scientiæ acquisitæ. 245
In anima separata manent species intellectiles acquisitæ in corpore. ibid.
Anima separata præsentibus obiectis producere potest species rerum naturalium per intellectum agentem. 247
In anima separata remanent actus memoriæ rerum in corpore gestarum. ibid.
Anima separata cognoscit seipsam, & suos actus internos, & quomodo. 248
Anima separata seipsam cognoscit, & per quid. ibid.
Anima separata eodem modo suas facultates naturales quo seipsam cognoscit. ibid.
Anima separata naturali cognitione Deum cognoscit & quomodo. 249
Anima separata plures res materiales cognoscit quàm in corpore, non tamen omnes. ibid.
Anima separata an cognoscere possit quæ supernaturaliter fiunt. 250
Anima separata potest seipsam localiter mouere. ibid.
Animarum receptacula quinque sunt. 253
Animæ defunctorum viuis apparere possunt, & quandoque de facto apparuerunt, & quomodo. 257
Animæ defunctorum realiter, & in propria substantia quandoque redierunt, & viuis apparuerunt. 264
Animæ non redeunt propriis corporibus indutæ. 266
Anima cũ triumpho cœlum ingreditur. 292
Apparitiones Sanctorum defunctorum in somnis non erant fallaces, & illusoriæ. 262
Apparitio Mosis, & aliorum post mortem. 260
Apparitiones Christi, & aliorum Sanctorum Noui Testamenti ex variis historiis recensentur. ibid.
Appetitus sensitiuus quas facultates moueat. 86
Appetitus sensitiuus quandoque vsum rationis absorbet. 87
Apostoli, Martyres &c. patiẽtiæ clypeo muniti erant. 237. 238. &c.
Aulicorum solicitudines quàm noxiæ. 192
Aureolæ Beatorum tres. 303

B.

Beatitudinis inæqualitas. 161. 303. 304 &c.
Beatitudinis inæqualitas exemplis illustratur. 306
Beatitudo obiectiua non consistit in voluptatibus aut aliis bonis corporis, imò nec in contemplatione, &c. sed in solo Deo. 270. 271
Beatitudo consistit principaliter in amore

& fruitione. 274
Beatitudinem consistere in sola visione, rationes adducuntur & soluuntur. 276
Beatitudo dicitur corona vitæ, & cur. 297
Ad Beatitudinem aspirare & tendere debemus, & quibus viis. 309. 311
Beati à Christo coronantur, eosque in throno suo sedere facit, & quomodo. 300
Beatorum fœlicitas accidentalis. 302
Beatorum tres aureolæ. 303
Beati nonnulli clariùs Deum vident quàm alij. 308
Vide verb. fœlicitas.

C.

CAluini errores circa liberum arbitrium refutantur. 78
Canis trunco alligatus, Hieroglyphus est fidei & patientiæ. 248
Castitas per lilium denotatur. 112
Chariras per lilium repræsentatur. 111
Christũ induere debemus, & quomodo. 141
Christum imitati debemus in cura animæ nostræ. 143
Christus rerum temporalium curam cohiber, & quam. 187
Christi mira patientia. 234
Christus Passionis suæ viâ ad Patrem suum peruenit, ita & nos. 311
Christus ad Patrem suum viâ actionis peruenit, ita & nos. 315
Christus viâ contemplationis ad beatitudinem peruenit, ita & nos. 316
Cœlum Empyreum seu Paradisus cœlestis datur & probatur. 256. 177.
E Cœlo quidam redierunt. 261
Cor carneum in Scripturis, & in quo consistat. 176
Cordis durities, & durum cor quid sint. 178 179. &c.
Vt Cordis durities è medio tollatur, quid agendum. 182
Corona gloriæ Sanctorum in Patria est immarcescibilis. 295. 296
Coronantur à Christo Beati, quos in throno suo sedere facit. 300
Corporis potiùs quàm animæ curam gerens ordinem inuertit. 140
Corporis gloriosi dotes. 301
Corruptio & fœditas animæ demonstratur. 129.
Creata sunt omnia propter hominem. 54
Creatura nulla respectu Dei immortalis est, & quomodo intelligitur. 63
Curæ noxiæ non sunt cum verbo Dei seminandæ. 188

D.

DÆmones è corde audientium verbum Dei rapiunt, quomodo, & quãdo. 172
Dæmonis & hominis deformitas à quibus inducatur. 128
Dæmones tanquam feræ & vulpes demoliuntur animæ vineam. 148
Dæmones quandoque se animas mortuorum simulant, vt decipiant. 266
Definitio beatitudinis formalis multiplex. 282
Deformitas tam in Angelo quàm in homine à quibus inducatur. 128
Deo gratiæ sunt agendæ pro immortalitatis dono. 64
De Deo amisso per peccatum dolere debemus. 145
Deus ob peccati fœtorem se ab anima procul abiungit. 130
Deus & Angeli animæ nostræ vineam custodiunt. 151
Denarius diurnus quisnam sit & cur ita dictus. 161
Denarij diurni parabola explicatur. 307
Deuotio est humor verbi Dei semen nutriens. 175
Diuitiæ sunt spinæ suffocantes verbi Dei semen. 193
Diuitiis qui addicti sunt væ pronunciatur. 194
Diuites qui diuitiarum spinis non punguntur, quinam sint. 195
Diuitiæ innatam habent amaritudinem. 196
Diuitiæ spernendæ, & ob quid. 198
Diuitiæ veluti spinæ pungunt, maximè in morte, iudicio, & altero sæculo. 199
Dotes corporis gloriosi. 301
Durities cordis & durum cor quid sint. 178. 179. &c.

F.

FAcultates animæ tres. 64
Facultates animæ quomodo ab anima,

& inter se distinguantur. 91
Fames & sitis in anima idem sunt. 165
Filius Dei collapsam in nobis Dei imaginem reparauit. 29
Filij Israël vitulum aureum adorando nigredinem contraxerunt. 125
Fœlicitas obiectiua & formalis quid sint. 268. 269
Fœlicitatis obiectiuæ conditiones. 269
Fœlicitas formalis est adeptio & possessio Dei. 272
Fœlicitas formalis non est essentia animæ vel potentiæ aut habitus, sed vitalis quædam intellectus operatio. 273
Fœlicitas ex quibusdam in intellectu & voluntate simul consistit, & quomodo. 279
Formalis Beatitudinis definitio multiplex. 282. 283.
Fœlicitatis æternæ magnitudo & excellentia quanta. 284
Fœlicitatis magnitudo appetitum omnimodè explet. 289
Fœlicitati æternæ, nomen vitæ verè competit. 287
Vide Verb. Beatitudo.
Fortitudo in quo consistat. 231
Fructus boni, ab animæ vinea producti quinam sint, & quinam mali. 155

G.

GLoriæ Corona Sanctorum in Patria. 295. 296.

H.

HAbitus intellectus & voluntatis acquisiti in corpore, manent in anima separata. 245
Habitus defectuosi in corpore acquisiti, non manent in anima separata. ibid.
Habitus naturales fortè manent in damnatis, non tamen supernaturales. ibid.
Homo ad Dei imaginem & similitudinem fuit conditus, & quomodo. 15
Homo Deo ipsi se tradere debet ob eius imaginem quam in anima defert. 35
Homo continuò viuere naturaliter appetit. 53.
Homo Deum naturaliter cognoscit. 56
Homo verè est libero arbitrio præditus, etiã quoad actiones supernaturales. 75
Honores etiam Ecclesiasticos multi respuerunt. 191

I.

IMaginem Dei in homine consistere opiniones diuersæ. 17
Imaginem Dei esse in anima clarè ostenditur. 19. 20. &c.
Imago à vestigio differt. 21
Imago Dei in tribus animæ facultatibus consistit, & quomodo. ibid.
Ex imagine Dei anima valdè decora redditur. 25
Imago Dei per peccatum deformatur. 20
Imaginem Dei in anima nostra impressam quanti æstimare debeamus. 26
Imago Dei in anima ad bona naturæ refertur, similitudo verò ad bona gratiæ & virtutum. 27
Imaginem Dei in nobis collapsam reparauit Filius Dei. 29
Imago Dei per peccatum amissa reparari potest, & quomodo. 31
Ob imaginem Dei quam homo in anima defert, se Deo tradere debet. 35
Ex infantium limbo nullus est animarum reditus. 161
Infernus damnatorum probatur. 256
Ex Inferno, animæ damnatorum quandoque redeunt. 163
Immortalis est anima nostra.
Vide verb. Anima.
Imperium duplex, despoticum, & politicum. 85
Iniquorum impœnitas in hoc sæculo, animæ immortalitatem arguit. 62
Intellectus noster quantæ sit capacitatis in intelligendo. 57
Intellectus quid. 65
Intellectus & sensus differunt, & quomodo. ibidem.
Intellectus agens & patiens, qui non distinguuntur realiter. 67
Intellectus res cognoscit spirituales, & quomodo. 68
Intellectus & aliæ animæ potentiæ à voluntate mouentur. 84
Iudicium ad actionem voluntatis requiritur, & quotuplex sit. 70

L.

Libertas in homine est immortalitatis animæ indicium. 59

Liberum arbitrium vnde dicatur. 70

Liberum arbitrium quid sit. 71

Libertas voluntatis in quibus cōsistat. ibid.

Libertas duplex. 72

Libero arbitrio præditus est homo, etiam quoad actiones supernaturales. 73

Liberum arbitrium ex SS. Patribus & Conciliis probatur. 76

Circa liberum arbitrium Caluinici errores refutantur. 78

Liberum arbitrium rationibus ab absurdis petitis probatur. 80

Aduersùs liberum arbitrium obiectiones nonnullæ soluuntur. 82

Lilium cum suis proprietatibus, animæ sanctæ pulchritudinem aliasque eius perfectiones repræsentat. 79

Lilia Gallica quid referant. 110

Lilium charitatem repræsentat. 111

Lilij folia sex quid in anima sancta denotent. ibidem

Lilium castitatem designat. 112

Lilij odor animæ sanctæ prudentiam denotat. ibid.

Limbus Patrum probatur. 254

Limbus puerorum probatur. ibid.

Ex limbo Patrum, animæ quandoque redierunt. 262

M.

Memoriam intellectiuam esse admittendam, multis rationibus probatur. 89

Merces, in vinea animæ laborantibus redditur, & quænam sit. 158. 160

Monstra dicuntur animæ peccata. 128

Mors animæ contingit per peccatum. 121

O.

Obiectum voluntatis quodnam sit. 69

Oliua, animæ pulchritudinem repræsentat. 105

Oliua & eius oleum quid designent. 106

Oliuæ proprietates, animæ sanctæ conueniunt. 107

Opera bona frustra fiunt, si anima mortalis est. 61

Opera Christiani facilia & difficilia quænam sint. 177

In otio vitam transigere quantum sit malum. 158

P.

Palmæ decor pulchritudinem animæ supernaturalem repræsentat. 104

Parabola de denario diuino explicatur. 307

Patientiæ descriptio. 215

Patientia omnes complectitur virtutes 226

De Patientia quæ dicuntur, ex Sacris Scripturis & SS. Patribus confirmantur. 228

Qui patientiâ sunt in aduersis præditi, verè animo fortes dicuntur. 231. 239

Patientia Christi valdè admiranda. 234

Patientiæ clypeo muniti erant Apostoli, Martyres, &c. 237. 238. &c.

Patientiæ & fidei hieroglyphus est canis trunco alligatus. 240

Patientiæ clypeo ad Christi imitationem muniri debemus, si gloriæ coronam assequi exoptemus. 241

Patientiæ symbolum. 242

Peccatum, Dei imaginem deformat. 20

Peccatum animam valdè deformem reddit, 125.

Peccata sunt animæ monstra. 128

Peccatores ob peccata defœdati resipiscere debent. 132

Per peccatum Deum amittimus, & ideò dolere debemus. 145

Pœnitentia, animæ deformitatem, corruptionem, ac fœditatem delet. 134

Pulchritudo supernaturalis animæ in quo consistat. 98

Pulchritudo supernaturalis animæ ex Canticis demonstratur. 101

Pulchritudinem animæ supernaturalem repræsentat palmæ decor. 104

Purgatorium probatur contra hæreticos. 254. 255. &c.

Q.

Quies & pax in præsenti vita non est, sed in Cœlo Empyreo. 291

R.

Rationis vsus quandoque ab appetitu sensitiuo absorbetur. 87

Religiosi piè viuentes, & à mundi solici-

tudinibus liberi fœlices sunt. 192
Resurrectio spiritalis quænam sit, & quomodo fiat. 135
Rosa est animæ Sanctæ Symbolum, eiusque decorem refert. 108

S.

SAmuël verè Saüli apparuit. 258
Semini comparatur verbum Dei. 168
Semina quamplura in agro animæ à Christo seminata. 169
Semen quatuor in locis seminatum fuit, & primò secùs viam, & quid denotet. 171
Seminis portio secunda quæ supra petram cecidit, quid nobis indicet. 175
Seminis portio tertia inter spinas cecidit, sicque nullos fructus protulit. 184
Semen verbi Dei nutritur deuotionis humore. 175
Seminis pars quarta in bonam terram cecidit, & fructum protulit. 218
Semen in terram bonam iniectum quem fructum refert. 221
Sensus, & intellectus differunt, & quomodo. 65
Similitudo Dei ad bona gratiæ refertur, imago verò ad bona naturæ. 27
Solicitudines huius sæculi, veluti spinæ diuinum suffocant semen. 185
Solicitudines aulicorum noxiæ. 192
Spinæ diuitiarum & voluptatum verbi Dei semen suffocant. 184
Spinis diuitiæ comparantur. 195
Qui spinis diuitiarum non punguntur, quinam sint. 195
Spiritus boni, quomodo à malis discernantur, & contra. 267

T.

TEmplum Dei quod est anima, non debet vitiis tanquam animantibus immundis & idolis repleri, sed est ab illis purgandum. 119
Templum animæ ad instar Templi materialis est innouandum, & Deo consecrandum. 121
Temporalium rerum cura à Christo prohibetur, & quæ. 187
Terræ portio quadruplex quid denotet. 222.
Triumphus animæ cœlum ingredientis. 292

V.

VÆ pronunciatur his qui diuitijs addicti sunt. 194
Verbum diuinum semini comparatur, & quomodo. 168
Verbum Dei rapiunt Dæmones è corde audientium, quomodo, & quando. 172
Verbum Dei à multis conculcatur, & quomodo. 173
Verbum Dei in magno debet esse pretio. ibidem.
Verbum Dei in terra cordis indurata non fructificat. 174
Verbi Dei semen perit in corde malorum, dum eis tentationes accidunt. 177
Verbi Dei semen à spinis diuitiarum, voluptatum &c. suffocatur. 184
Cum Verbo Dei non sunt curæ noxiæ seminandæ. 188
Verbi Dei fructus, à Christiano agricola cũ patientia expectari debet. 114
Vestigium ab imagine differt. 22
Via quâ Christus ad Patrem & Beatitudinem peruenit, fuit eius passio, in quo illum imitari debemus. 311. 312
Via quâ Christus ad Patrem suum peruenit, fuit actionis, ita & nos eâdem viâ incedere debemus. 315
Via in cœlum per contemptum rerum terrenarum. 316
Via in cœlum per virtutes Theologicas. 317
In via salutis currere debemus, & quomodo. 318
Viæ quibus ad Beatitudinem tendere & peruenire debemus, quænam sint. 311
Vineæ comparatur anima, & ob quid. 146
Vinea animæ à Dæmonibus vastatur. 148
Vinea animæ nostræ custodiri debet, & quomodo. 149
Vineam animæ nostræ custodiunt Deus & Angeli. 151
Vineæ florêtis odor est repræsentatio odoris virtutum & animæ. 153
Vitis nisi vuas producat inutilis est, ita ani-

ma nostra, &c. 154
Vita præsens vitæ nomen non meretur. 288
Viuere perpetuò homines appetunt. 55
Voluntas nostra per amorem in solo Deo quiescit. 58
Voluntas humana quænam sit. 68
Voluntatis obiectum quodnam sit. 69
Voluntatis actus eliciti & imperati. ibid.
Ad voluntatis actionem iudicium requiritur, & quotuplex sit. 70
Voluntatis libertas in quibus consistat. 71
Voluntas quomodo cogi possit vel non in suis actionibus. 83
Voluntas intellectum & alias animæ potentias mouet, eisque imperat, & quo imperio. 84
Voluntas nobilior est intellectu. 87.88
Voluptas est vitiorum mater, illaque vt monstra gignit. 201
Voluptates sunt spinæ diuinum semen suffocantes. ibid.
Voluptates, hominis animum non satiant. 204.
Voluptates reddunt homines effœminatos. 205.
Voluptatum & honorum breuitas & fugacitas 206.207
Voluptates quibus comparentur. 206
Voluptates corpori sunt noxiæ, & multas animæ infligunt anxietates. 208
A voluptatibus quanta oriantur mala, & propterea vitandæ. 211.212. 213. &c.

Finis Indicis Tractatus Tertij.

Errata quæ in Tractatu de Anima irrepserunt.

Pagina 20 lin. 6. dele à superfluum.
Pag. 50. lin penult lege *Patres.*
Pag. 57 lin. 16. lege *virorum.*
Eadem pag lin. 26. lege *possunt.*
Pag 60 lin. 18. lege *vrgente.*
Pag. 68. lin. 5. lege *facultas.*
Pag. 88 lin 19. leg Cap. XIII. Sect. 4.
Pag 89. lin 8 Sect 10 lege *separata.*
Pag. 93. lin. 7. lege *impedire.*
Pag 115. lin 10 lege *bis tincto.*
Pag. 208. lin. 17. lege *Quis non videt.*
Pag. 210. lin. 22 lege *nimis.*
Pag. 259. lin. 15 lege *adeò.*
Pag 268. lin. 17. lege *effuciat.*
Pag. 278 lin. 29. lege *videt.*
Pag. 283. lin. 35 lege *delectetur.*
Pap. 287 lin 8. lege *impugnarent.*
Pag. 30 lin. penult appone magnum P. vocab. *Prosper.*
Pap 312 lin. 14. lege *patebat.*
Pag. 310. in marg. *Ephes. 1.* lege *ad Philip. 3.*

tudinibus liberi fœlices sunt. 192
Resurrectio spiritalis quænam sit, & quomodo fiat. 135
Rosa est animæ Sanctæ Symbolum, eiusque decorem refert. 108

S.

SAmuël verè Saüli apparuit. 258
Semini comparatur verbum Dei. 168
Semina quamplura in agro animæ à Christo seminata. 169
Semen quatuor in locis seminatum fuit, & primò secùs viam, & quid denotet. 171
Seminis portio secunda quæ supra petram cecidit, quid nobis indicet. 175
Seminis portio tertia inter spinas cecidit, sicque nullos fructus protulit. 184
Semen verbi Dei nutritur deuotionis humore. 175
Seminis pars quarta in bonam terram cecidit, & fructum protulit. 216
Semen in terram bonam iniectum quem fructum refert. 221
Sensus, & intellectus differunt, & quomodo. 65
Similitudo Dei ad bona gratiæ refertur; imago verò ad bona naturæ. 27
Solicitudines huius sæculi, veluti spinæ diuinum suffocant semen. 185
Solicitudines aulicorum noxiæ. 192
Spinæ diuitiarum & voluptatum verbi Dei semen suffocant. 184
Spinis diuitiæ comparantur. 195
Qui spinis diuitiarum non punguntur, quinam sint. 195
Spiritus boni. quomodo à malis discernantur, & contra. 267

T.

TEmplum Dei quod est anima, non debet vitiis tanquam animantibus immundis & idolis repleri, sed est ab illis purgandum. 119
Templum animæ ad instar Templi materialis est innouandum, & Deo consecrandum. 121
Temporalium rerum cura à Christo prohibetur, & quæ. 187
Terræ portio quadruplex quid denotet. 222.
Triumphus animæ cœlum ingredientis. 292

V.

VÆ pronunciatur his qui diuitijs addicti sunt. 194
Verbum diuinum semini comparatur, & quomodo. 168
Verbum Dei rapiunt Dæmones è corde audientium, quomodo, & quando. 172
Verbum Dei à multis conculcatur, & quomodo. 173
Verbum Dei in magno debet esse pretio. ibidem.
Verbum Dei in terra cordis indurata non fructificat. 174
Verbi Dei semen perit in corde malorum, dum eis tentationes accidunt. 177
Verbi Dei semen à spinis diuitiarum, voluptatum &c. suffocatur. 184
Cum Verbo Dei non sunt curæ noxiæ seminandæ. 188
Verbi Dei fructus, à Christiano agricola cū patientia expectari debet. 114
Vestigium ab imagine differt. 22
Viâ quâ Christus ad Patrem & Beatitudinem peruenit, fuit eius passio, in quo illum imitari debemus. 311. 312
Via quâ Christus ad Patrem suum peruenit, fuit actionis, ita & nos eâdem viâ incedere debemus. 315
Via in cœlum per contemptum rerum terrenarum. 316
Via in cœlum per virtutes Theologicas. 317
In via salutis currere debemus, & quomodo. 318
Viæ quibus ad Beatitudinem tendere & peruenire debemus, quænam sint. 311
Vineæ comparatur anima, & ob quid. 146
Vinea animæ à Dæmonibus vastatur. 148
Vinea animæ nostræ cōstodiri debet, & quomodo. 149
Vineam animæ nostræ custodiunt Deus & Angeli. 151
Vineæ florētis odor est repræsentatio odoris virtutum & animæ. 153
Vitis nisi vuas producat inutilis est, ita ani-

ma noſtra, &c. 154
Vita præſens vitæ nomen non meretur. 188
Viuere perpetuò homines appetunt. 53
Voluntas noſtra per amorem in ſolo Deo quieſcit. 58
Voluntas humana quænam ſit. 68
Voluntatis obiectum quodnam ſit. 69
Voluntatis actus eliciti & imperati. ibid.
Ad voluntatis actionem iudicium requiritur, & quotuplex ſit. 70
Voluntatis libertas in quibus conſiſtat. 71
Voluntas quomodo cogi poſſit vel non in ſuis actionibus. 83
Voluntas intellectum & alias animæ potentias mouet, eiſque imperat, & quo imperio. 84
Voluntas nobilior eſt intellectu. 87. 88
Voluptas eſt vitiorum mater, illaque vt monſtra gignit. 201
Voluptates ſunt ſpinæ diuinum ſemen ſuffocantes. ibid.
Voluptates, hominis animum non ſatiant. 204.
Voluptates reddunt homines effœminatos. 205.
Voluptatum & honorum breuitas & fugacitas 206. 207
Voluptates quibus comparentur. 206
Voluptates corpori ſunt noxiæ, & multas animæ infligunt anxietates. 208
A voluptatibus quanta oriantur mala, & propterea vitandæ. 211. 212. 213. &c.

Finis Indicis Tractatus Tertij.

Errata quæ in Tractatu de Anima irrepſerunt.

Pagina 20 lin. 6. dele à ſuperfluum.
Pag. 50. lin penult lege *Patres.*
Pag. 57 lin. 16. lege *virorum.*
Eadem pag lin. 26. lege *poſſunt.*
Pag 60 lin. 18. lege *vrgente.*
Pag. 68. lin. 5. lege *facultas.*
Pag. 88 lin. 19. lege Cap. XIII. Sect. 4.
Pag 89. lin 8. Sect 10 lege *ſeparata.*
Pag. 93. lin. 7. lege *impediri.*
Pag 115. lin 10 lege *bis tincto.*
Pag. 108. lin. 17. lege *Quis non videt.*
Pag. 210. lin. 22 lege *nimis.*
Pag. 259. lin. 15 lege *adeò.*
Pag 168. lin. 17. lege *effutiat.*
Pag. 278 lin. 29. lege *videt.*
Pag. 283. lin. 35 lege *delectetur.*
Pap. 287. lin 8. lege *impugnarent.*
Pag. 30 . lin. penult appone magnum P. vocab. *Proſper.*
Pap 312 lin. 14. lege *patebat.*
Pag. 310. in marg. *Epheſ. 1.* lege *ad Philip. 3.*